

ROBERTI GAGVINI, RERVM GALLICARVM Annales,

CVM HVBERTI VELLEII SVPPLEMENTO.

In quibus Francorum origo vetustißima & res gestæ, Regumq́ue Gallicorum omnium ex ordine vitæ, & quæcunque sub illis domi forisq́ue memorabilia acciderunt, usque ad Henricum II. describuntur.

Cum præfatione, ad Reuerendissimum Principem ac Dominum, D. MARQVARDVM ab Hatstain Episcopum Spirensem, Io. Wolfii I. C.





FRANCOFVRTI AD MOENVM
Ex officina Typographica And. Wecheli.
M. D. LXXVII.



ortus, progressus & incrementa intuerentur,& cum eo statu,qui nunc Galliam oppressit,conferrent:& præsertim obseruarent,quantos olim Reges & Imperatores vnum regnum orbi terrarum suppeditasset: & quomodo consilio, legibus, pietate & armis ad celsissimam dignitatis atq; authoritatis sedem ascendisset:longè profectò alia ratione, quàm hodie ab illis fit,qui dum,vt Cleon apud Thucydidem ait, leges pro nihilo habent, atq; peregrinis exterorum hominũ consiliis aures præbent,non solum,quod plurimũ est, Christi ouile iurgiis & litibus turbant, sed etiam regni fortunas & Rempublicam in summum discrimen adducunt.

In tuæ autem Celsitudinis tutelam, Reuerendissime Princeps & Clementissime Domine, talem authorem consecrare visum est, tum vt illi patrocinium aduersus nasutos compararem apud eum principem,cuius & amplissima grauissimaq; esset auctoritas,& potestas maxima, & liberalis atq; propensa ad impartiendam gratiam voluntas: tum vt aliqua etiam meæ summissæ erga C. T. obseruantiæ significatio extaret,pro singulari gratia atque clementia,quam mihi C. T. nullo meo merito, sæpe ante hoc tempus clementissimè tribuit. Oro igitur quanta possum animi summissione,vt C. T. in optimã clementissimamq; partem omnia interpretetur:deinde,vt authores & me, vt hactenus fecit, summa humanitate & gratia complectatur. Deus Opt. Maximus C. T. optima valetudine, & fortunis amplissimis florentem, ad summam Germaniæ gloriam, diutissimè conseruet. Ex Mundelsheim mense Martio Anno Domini 1577.

Celsitudini Tuæ

Addictissimus

[redacted] *V. I. L.*
March. Caroli Bad.
Consiliarius.

SERIES REGVM FRANCORVM, QVORVM GESTA IN HOC VOLVMINE DESCRIBVNTVR: VBI ET ALIA omnia summatim repetuntur.

ROBER-



ROBERTI GAGVINI
HISTORIÆ FRANCORVM
LIBER PRIMVS.

Cap. 1. — *Francorum origo.* — *Sycambria.* — *Alani* — *Francorum appellatio.* — *Marcomirus Symon & Genebaudus.* — *Francfordia.*



RANCI, vt pleræque aliæ nationes: à Troianis se prodisse gloriantur: Quibus ob raptam à Paride Helenam in exilium actis, pars ad Meotydem lacum, quem Tanais influit proxime Alanos, Francione duce cõsedit: vbi ex nomine ducis appellatione suscepta, Sycambriam sibi non mediocrem vrbem Pannonijs finitimam extruxerunt. Quam lõgo pòst tempore cùm euersam Gothi reliquissent: alteram in proximo colle à se conditam vsque ad Valentiniani iunioris, qui cum Gratiano fratre in occidente imperauit, ætatem, incoluerũt: vnde & ipsi quoque à Valentiniano ob hãc, quam subijcimus, rationem exacti sunt. Desciscentibus ab imperio Alanis, cùm propter paludis altitudinem adversus inuadentem Romanum facile se tuerentur Alani: accitis ad auxilium Francis, Valentinianus annui, quem Romanis pendebant, census in decem annos remissionem proponit: si rebellantes Alanos in eius ditionem adegissent. Qua spe erecti Franci (cum paludis essent frequenti traiectu assueti) negocium receperunt: ductisque in Alanos copijs locum superant: & feroci strage Alanos reddunt imperatori audientes. Qua victoria Francos, id est, feroces, à Valentiniano appellatos, nonnulli tradunt: alijs contendentibus a remissione tributi, & libertate accepta francos, hoc est, liberos dictos esse. Ipse magis his accedo, qui à Francione nomen sortitos autumant. Nã posterior hæc appellatio gentis antiquitati non conuenit, quam ante Constantini primi imperium bellacissimã fuisse non dubiũ est: & Aurelianũ imperatorẽ qui Constantinũ præcessit, Francos in triumpho duxisse, Flauius Vopiscus memoriæ reliquit. Qui Valentinianus superior Saxones in Francorum finibus auctore Paulo Diacono debellauit. Quæ omnia antiquioris sunt originis argumẽta: quàm vt à iuniore Valentiniano Francos primum dictos esse putemus. Nemo tamẽ mihi certus auctor lectus est, qui tempus eius nominis constanter tradat. Nec ipse Gregorius Turonen. gentis initium satis nouit: cum Supplicium Alexandrum testem citet, à quo Francorum regum vera origo ignorata videatur, & Ciceronis ad Atticum extat epistola, vbi Franconum nomen inducitur: quod ad Francos pertinere non pauci contendunt. Quamobrem non temere credi potest, gentis appellationem, longo ante Valentinianum tempore extitisse. Leuati tributo Franci cum vrbem suam: tum vires, animumque firmauerunt, ita, vt exacto decennio, dum ab illis censum repetit imperator, exactori pensionem detrectarent. Hinc bello exorto, quum pauci plurimis ægrè resistũt, valida Valentinianus manu Francos expugnat. Neque hoc dispẽdio libertatem gens animosa neglexit. Sed coacta raptim ciuiũ multidine: traiecto Histro, ducibus Marcomiro, Symone, atque Genebaudo, multis per Germaniam habitis victorijs ad Rhenum fluuium se contulerunt: vbi etiamnum Francfordia non cõtemnendum oppidũ visitur: Francorum opus atq; ad tempus sedes. Verum cum hæc de Sycambris & Francorum exortu constanter narrantur: suboritur mihi, ex Cæsaris sentẽ-

tia non sine ratione dubitatio, qui gesta in Gallijs à se bella literis mandans, Sycam-

Sycambri.

Vbii, id est, Colonienses.

bros ait ad vlteriorem Rheni oram, proxime Vbios, id est, Colonienses, ea tempestate incolere: eósque aliquando ausos Gallias enauigato Rheno incurrisse: suppetiasq; aduersus Cæsarem Gallis misisse. In illos propterea mouisse: vt terrore nominis Romani quietos Germanos redderet: sed mox ad primum nuncium Sycambros in siluas penitus abijsse. Atq; ita incensis eorum agris ad Vbios se iterum retulisse. Deinde cum Ariouistum fugientem quæri diligenter iubet, atq; Eburonum res depopulari cuiuis liberum esse præconis voce permittit: prædæ occasione suscepta: Sycambros flumine transmisso incredibili celeritate duobus equitum millibus coactis ingentem ex Eburonibus prædam sustulisse.

Sycambri.

Tradit item Strabo Sycambros Rheni accolas fuisse, eosque initia belli factitasse: quod à plerisque Germaniæ populis aduersus Drusum, duce Molone Sycambro gestum est, de quibus triumphum duxisse Drusum, & inde Germanici cognomen accepisse in Romanis historiis lectum est. Igitur constat Sycambros iampridem ante Valentiniani tempora in Germania proxime Rhenum consedisse, & non ab eo primum sedibus esse eiectos, nisi forte quis putat, hos ab illis diuersos esse, quos Sycambriam vrbem ad Meotydem struxisse supra memoraui. Quod & Annonius tradit in ea historia, quam suo Abbati dicauit: scribens Thorgorum vna cum Francione Troia abeuntem Thraciam petiisse: & ab eo Thorgorum gentem nomen esse sortitam, subq; Philippo atq; Alexandro posteros illorum militasse.

Thorgorus.

Vtcunq; res se habet: neminem tamen nostratium scriptorum hæc animaduertisse miror. Sed propositam nobis breuitatem persequamur: de rerum serie vtilissima quæq; excerpentes. Grassantibus in Germania Francis, & castellis aliquot in suam potestatem receptis:

Theodosius.

Theodosius qui imperio præerat, eius rei certior factus, Nammæ & Quintino militum præfectis mandat, Francos adoriantur, data illis forti militum manu. Qui commisso acerrime prælio fusi: Eraclium & Iouinianum ex Theodosii ducibus sibi accersunt. Quorum aduentu redintegrantes pugnam cum ad Francos victoria inclinaret: Eraclius & Iouinianus fuga salutem quęsiuerunt. Tantam in eo prælio stragem Romanos accepisse traditur: vt postea Franci formidini finitimis esse cœperint, omnis tributi exactione liberati: quanquam Bocatius quidam, locorum, vbi Sycambri consederant, administrator, ad Romanos se recipiens, renouato bello Francos partim fuderit, cum reliquis pacem firmans.

Treueris.

Est Treueris cisrhenana potens ciuitas: cui præerat Lucius Patritius Romanus: cuius vxorem, quia Lucius Galliæ Belgicæ præses prostituerat: consilium capit transferendæ ad Francos ciuitatis: remq; fœlici euentu exequitur. Potiti vrbe Franci, cum angustati sedibus proferre terminos percuperent: pars se aliò conferre statuit, triumq; & viginti millium manum Ibro duce educentes: relicta Germania in penitiorem Galliam irruperunt, ad Sequanam vsque fluuium omnia percurrentes: vbi agrorum & fluenti amœnitate oblectati stationem habuere.

Franci in Galliam irrumpunt.

Sequana.

Error historiographi.

Lutecia Parisiorum.

Pudet me hoc loco ignorantiæ historici (vt ita dicam) chronicarii: qui impressam iamdudum historiam Carolo VIII. dicauit. Scribit enim ille rerum & temporum non satis gnarus: Francos cum ad Sequanæ ripam constitissent: Luteciam Parisiorum exædificasse ante Christi natalem CCCXCV. annos: eamq; habitasse anno à derelicta Sycambria CCLXX. supra M. In qua re bis erratum esse, perspicuum est, temporum supputationem non ignoranti. Itaq; si pulsi à Valentiniano Sycambria Franci Luteciam condiderunt: qui fieri potuit, vt rebellantem Luteciam Cæsar in deditionem acceperit? quam minime dubium est CCCC. & X. fere annos Valentinianum præcessisse. Aut quomodo verum est: ante Christi aduentum CCCXCV. annos Luteciam condi à Francis potuisse, qui nondum Sycambria exclusi, Galliā nondum somniauerant: quique post amissas sedes diu per Germaniam vagi, post multa tandem secula ad Rheni ripas se contulere? Sed viderit chronicarius quam à vero distantia turpiter ediderit. Mihi quidem vera Francorū origo minime comperta est.

Marcomirus.

Sessionis ad Sequanam tempore nemo in Francis regium nomen assumpserat. Primus omnium Marcomirus dominationē in Francos accepit: quem à Priamo Troiano rege, longa generis serie prognatum, summa veneratione Franci obserua-

seruabant. Hic, præterquam muro valloq; munire vrbes, nihil illustre gessit. Sed erat illi filius Pharamundus corporis & animi præstantia insignis. *Pharamundus primus Francorum rex.* Hunc ex patris consilio primũ sibi regem constituunt, regendi permissa sibi potestate anno salutis, ccccxx. Qua modestissime administrata, x i. post acceptum regnũ, anno morte absumptus est: relicto Clodione filio regni hærede. Hic Pharamundus auctor fertur extitisse legis, quæ Saliqua à Francis appellatur. *Lex Saliqua.* Nam cum ad Rhenum vsq; peruenissent, ferisq; moribus viuerent: quatuor ex Sycambris spectatos proceres selegit, qui populo legem ferrent: Vsugastum, Losogastum, Sologastum, & Visogastum: qui communi gentis & procerũ auctoritare freti, legem conscripsere, quam Pharamundus promulgauit: ad nostram vsque ætatem nominatissimam. A loco, vbi condita est, dictam quidam asseuerant. Nec desunt qui à sale deriuatam esse tradunt. Nam, sicut cibi condimentum custosque sal est: ita Saliqua lex Francorum moribus condimentum extitit, vitæ melioris: cum ante editam legem incomposite viuerent, nihil satis temperanter operantes. *Clodio Capillatus.* Hic Clodio à promisso capillo Capillatus dictus: augendi regni desiderio, cum adhuc in Germania angustis finibus arctaretur, Thuringos sibi finitimos suæ ditioni adiecit, occupato Dispargo oppido: *Thuringi. Dispargum.* vbi regni sede constituta, cum iam per Gallias Romana vis labcretur, soliq; Belgæ imperium sequerentur: in Galliam Belgicam exploratores mittit. Nã illa tempestate Lugdunum Burgundi, Aquitaniam Gothi subiugarant. *Lugdunum. Aquitania.* Est enim Gallia triplex: Belgica, Celtica, Aquitanica: quæ omnis Rheno amne, Alpibus, Pirene, oceanoq; Britannico septa est. *Galliæ diuisio.* Prima à fluminibus Sequana atq; Matrona incipiens: ad Rhenum septentrionem versus, & partim orientem terminatur. Ab occidente clauditur oceano. *Belgicæ ciuitates.* In qua hæ sunt primariæ ciuitates: Aggripina Colonia, Traiectum, Moguntia, Treueris, Confluentia, Argentina, quæ & Strasburg, Basilea, Canstantia, quæ Vitudura quondã nuncupata à Constantino Costantini patre Constantiæ nomen habet. *Heluetii Suitenses.* Heluetiorum pagi, quos hæc ætas Suitenses vocat: non procul à monte Iura, vbi diui Claudii monasterium apprime venerabile est, quorum opera Franci reges in bello etiamnum vtuntur. Iuliaci ducatus, & ducatus Cliuiensis. In quo insignia oppida sunt: Embrica, Rees, Wesalia, Calcar. Et ducatus Geldriæ, cuius primarium oppidum est, Nouimagium: cætera sunt, Arnem, Ruræmunda & Walaf. Diuiditurq; ab Hollandia æstuario maris Leodium, Hastallum, Hoyum, Dinantum, Bouina, Bruxellæ, Niuella, Antuerpia: vbi emporium est Belgis non ignobile: Berga, Mechlinia, Louanium literarum gymnasium, Boscuducis, Mons in Hanonia, Valencine, Auenna à Ludouico x i. desolata. Quemneyum comitis, Gandauum, Aldenardum, Brugę: quas Gesoria cum nauale Ptholomeus appellat Sclusa. *Brugæ.* Curtracum: Teneremunda, Ypræ, Tornacum, Insula, Orchiæ, Duacum, Sanctus Audomarus, Grauelingna, Ostenda, Nouus portus, Morinum: quæ & Terrauena, Æria, Perna, Hysdinum, Bethumia, S. Paulus, Dorlenum, Calissa, Icius portus, nunc dirutus, Bolonia, Monsteriolum, Attrebatum, Bapalmæ, Cameracum, Sanctus Quintinus, Perona, Corbia, Ambianis, Abbauilla, Anguſ. Sanctus Richardus, Croteium, Clarusmons, Crelium, Bellouacum, Siluanectum, Compendium, Mondiderium, Noya, Pontizara, Rothomagus, Sanctus Dionysius, Francorum regum sepulchrum: Nouiomus, Suessio, Meldis, Castrum Thericum, Remorum ciuitas: vbi initiantur Franci reges, *Remi.* Aspernaicum, Cathalaunum, Sandigerium, Lingo, Barrum, Ligniacum, Marchia, Caluusmons, Mettis, Namurcum, Luxenburgus, Nancium, Caroli Burgundionis morte insigne, Mons Rolandus, Sammiellum, Nouusmercatus, Virdudunum, Tullum, Monbelliardus non tam sui claritate quàm speculorum, quæ illic fiunt, diffamatione nobilitatus. Bisuntium, Dola scholasticorum conuentus, Salinæ, vbi fons emicat, vnde candidissimus sal conficitur: grandi prouentu, si ad vnũ tantùm principem emolumentum pertineret: Losanna, Gebana, Chamberiacum: præter validissimas arces & castella, aliaq; minutiora oppida. Celebres fluuii & ipsi nauigationibus accommodati, *Belgici fluuii.* sunt Sequana, Somma, Ysara, Lysa, Scaldis, Enna, Mosa, Mosella, Dubis, Arar, qui & Sogona, quem Germaniæ Bocatius falso attribuit: Rhenus autem Belgis, Germanisque communis est, à quo complures insulæ Hol-

landia, atque Zelandia, dum oceano appropinquat, circum ferme alluuntur. In eo tractu insignes vici & sacræ ædes maris stagnatione ruptis littoribus periisse narrantur. Et qui periti sunt eius regionis, dicunt, adhuc extare in pelagi fundo vestigia sacrarum ædium & quorundam locorum insignium. Non enim illic æquor altum est: nec turbidum. In reliqua continente sunt vici frequentes, & mercatoribus affatim habitati, qui terra marique mercaturam late exercent. Insignia autem oppida in Hollandia sunt, Leydis, Harlem, Austerdammus, Dordracum. In Zelandia vero Middelburgus & Ziericzee & Brielis peninsula. Vtriusque & præcipue Hollandiæ incolæ pisce plurimo abundant: & telas ordiuntur tenues & candidissimas: quæ ad exteros exportatæ, magni æstimantur. Est item regio anserum & marinarum volucrum frequentissima. Quorum maximam copiam ad finitimos: & procul habitantes populos, pecuniæ gratia, incolæ transmittunt.

Celtica ciuitates. *Alpes.* *Lutetia Parisiorum.*

Celtica à Sequana oritur ad Ligerim vsque protensa: à Materna vero amne ad Rhodanum excurrit, compræhenditque Narbonensis prouinciæ partem: terminatur partim mari Ligustico, & Alpibus, quæ Sabaudiæ montes vulgo appellantur. Illustratur vrbibus infra designatis. Lutecia Parisiorum, quæ Christiani orbis celeberrima Academia est: & Francorum regum primaria sedes, Senone, Memoraco, Moreto, Trecis, Altissiodoro, Heduo: quæ & Augustudunum: Diuione, Belna, Gemona, Argili, Matiscone, Cabilone, Ansa, Lugduno, Ebreduno, Sancto Syphoriano.

Allobroges.

Vienna Allogrobum, id est, Delphinatum metropoli: Grassa, Grationopoli, Valentia, Montelimarto, Diena, Viuario, Aurasico, Sancto spiritu, Auinione, Villanoua, Carpentraco, Tarascone, Arelate, Massilia, Aquis sextiis, Aptea, Regena, Vapincea seu Vapino, Sistarica, Foroiulio, Tollona, Nicea: quam ad Italiam pertinere quidam asseuerant. Est enim Galliæ, quà Genuam spectat, limes: Caualico, Vasione, Tricastino, Biterris, Lunello, Montepessulano, & aliis quæ ad Narbonem spectant, exceptis castellis, quibus hæc pars maxime frequens est. Pesigniano, ad Ligerim vero Nyuerno, Molino, Clugniaco,

Aurelianum.

Sancto Gendulpho, Monte argi, Castillione, Aureliano, quæ & Genabum olim dicta est, Ienuilla vel Ierenuilla, Stampis, Carnuto, Bonaualle, Ebroica, Sagio, Lexouio, Argentono, Falesia, Aresloro Sequanæ ostio, Cadomo, Baioca, Pontorsone, Abrinca, Constantia, & Britonum vrbibus, quæ infra Ligerim ad oceanum vergunt, & veteri nomine Armoricæ nuncupantur: Cenomine, Alenconio, Mauritania, Medonta, quam Mantam appellamus: Vernone, Melano.

Fluuii Celticæ.

Alluitur his fluminibus. Sequana quo à Belgis Celtæ separantur: Ligeri, Vienna, Yona, Oba, Rhodano, Sorda, Durantia: absque minoribus fluentis, quæ vel ex Alpibus in Rhodanum excurrunt: vel ex Auernorum montibus in mare ad Narbonem deferuntur.

Aquitania. *Flumina Aquitaniæ.* *Aquitaniæ vrbes.*

Aquitaniæ tractus principium est Ligeris & ad Pyrenem protenditur, quo discernitur ab Hispanis. Irrigatur nominatissimis fluminibus, Ligeri, Lalerio, Caro, Chalento, Dordona, Garunna: quibus admiscentur complures fluuioli lembis & scaphis nauigabiles. Celebrium locorum hæc nomina sunt. Bituris, Magdunum, Dunum regis, Clarus mons, Vsonnatura & arte munitissima arx. Moneta, in edito iugo castellum, Beyonda, Podium, quod & Anicium: vbi templum est diuæ Mariæ Gallis religiosissimum. Sanctus Florus, Lemouica, Tutela, Caturcum, Rocamadorus, Ruthenum, Vabra, Albia, Mymatum, Montalbanum, Castrum, Corduæ, Carcassona, Galliacum, Tholosa: nobile pontificii, Ciuilisque iuris gymnasium, Appamara, Riuena, Sanctus Paulus, Lombaria, Monlionus, Mirapiscæ, Fuxus, Vaurena, Conuenæ, Miranda, Lestorium, Condonum, Auscus, Bagnera, Conserana, Tarba, Olera, Vasata, Lascurra, Mommarsanus, Morlanum, Hortesium, Baiona, Lebretum, Rigena, Adura, Agata, Vtica, Electa, Limosum, Sanctus Pontius, Castellum Darri, Elna, Lodeua, Turonus, Chyno, Vindocinum, Blesa, Castrumlerum, Lomela, Pictauis, Parrenayum, Malcaca, Rupella, Ludum, Tuarsus, Luxiona, Xantona, Engolisma, Conacum, Petragoricum, Petrabussiera, Bergeratum, Sarlata, Agena, Condona, Lesigniacum, Burgus, Bloya, Villa regalis, Liburna, Burdegala, Sanctus Iohannes Angeliacus, Taliburgus, Lagniersa, Nanetum, Redona: & quæ vltra Ligerim Britones attingunt,

gunt,

gunt. Fongera, S. Paulus, Lambala, Sanctus Maelouius, Dola, Dinantum, Sanctus Briocus. Præterea castella, quæ tam ad tutamen, quàm ad ornamentum regio affatim habet. Et hæc profecto Galliæ loca omnia frumento, vite, consitis arboribus, fontibus, fluminibus, pratis, pascuis, lacubus, saltibus, siluis, pecore, feris, pro cuiusque loci conditione culta sunt. Nam ex paludibus & fere aridis viburnis atque fruticibus nonnihil incolis commodi prouenit. Adeo industria atque laboris patiens gens est: suis principibus ad seruitutem vsque fere obediens: conuictu facilis: amicitiæ custos. Alioquin suarum iniuriarum potens vltrix: & ad arma propensior: sacrorum reuerens & Christianæ fidei præter alias nationes deuotissima: cuius tutandæ solicitudinem, quasi ex professo Franci principes nullo non tempore susceperunt. *Gallorũ industria: cæteræq; laudes.* Extant eius rei in omni, quem adierunt, loco non vana trophæa: sed extructæ ab illis sacræ ædes & illic ad rem diuinam instituti sacerdotes longe profecto gloriosius rei bene gestæ monumentum: quàm erectæ syderum tenus piramides & obelisci: quanquam à Petrarcha in epistolis scriptum sit, cum Belgas peragrasset, & Arduennam tantæ magnitudinis siluam Lugdunum petens pertransisset, nihil toto illo tractu se vidisse, præter superstitiosa quædam Agrippinensium fœminarum & turpem de Carolo Magno fabellam accepisse: *Petrarchæ iniqua æstimatio.* quam prætermisisse dignum erat: ne tanti imperatoris claritati fuliginem induceret. Sed nec apud Parisios quicquam esse, quod laudaret: nisi quòd ipsius auctorem fuisse Iulium Cæsarem accepisset: quod plane falsum est. Erat enim ante Cæsaris in Galliam aduentum supra quingentos annos Lutecia extructa. Quamobrem Picheæ similem Petrarcham recte dixerim, qui (vt Polybius auctore Strabone ait) cum à Scipione rogaretur, quid celebre & memoria dignum inter Aquitanos conspexisset: nihil referre potuit: quanquam Narbonem illustrem olim vrbem, Corbilonemque nobilissimum illo tempore Aquitaniæ emporium non ignoraret. Tam placet quibusdam de rebus exteris sine rubore mentiri: ne suæ gentis, aut natalis terræ titulis derogasse videantur. Et hæc est quidem Galliæ à priscis auctoribus tradita partitio. Quam Octauius Augustus quaternam fecit: Lugdunensem prouinciam ab aliis dispertitus. *Lugdunum.* Iuniores vero Lugdunum à promissis comis, comatam appellauerunt. *Gallia comata.* Narbonensem autem (sicut & illam transalpinam) togatam: *Togata.* quia togis Romano more (cuius erat prouincia) prouinciales eius regionis vtebantur. Braccatam tamen eandem, *Braccata.* sicut cæteram Galliam, dictam fuisse non ignoro à Braccis, quod vestimenti genus est Gallis. Cæterum nos Geographiam, id est, terræ descriptionem non sequimur: sed tempori obsequimur: locos vsitato & trito nomine appellantes. Nam si quis priscam illorum institutionem, iis quibus ætas nostra vtitur conferet: nihil relinquet non confusum. Itaque post Romani imperii inclinationem singulæ prope gentes imperii nomen exosæ, nouis aduenientibus principatibus, alia atque alia locis nomina posuerunt. *Ab imperio defectiones.*

Porro vt omnino Gallia distinctior haberi possit: sciat lector Galliam omnem octodecim prouinciis contineri: quibus totidem præsunt archipræsules: *18. Galliarũ prouinciæ.* sedibus & terminis discreti. *Archipræsules Galliæ.* Treuerensis, Remensis, Senonensis, Rothomagus, Lugdunensis, Bisuntinus, Viennensis, Tarantasianus, Ebredunensis, Aquensis, Arelatensis, Narbonensis, Bituricensis, Turonensis, Burdegalensis, Auxitanus. Maguntinum autem & Coloniensem ideo postremos facio, quòd subiectæ illis ciuitates vltra Rhenum sunt, præter Constantiam & Argentinam, quæ Maguntino parent. Coloniensi Traiectum inferius tantum atque Leodium. Tholosanus enim post hos longo tempore supra nostram memoriam, Auinionensis, dudum nostra ætate archipræsulatus eminentiam per Sixtum IIII. Pontificem Romanum accepit. Ille Narbonæ: hic Arelati subdebatur. Per omnem enim Galliam hi archiflamines secundum hodiernam supputationem centum & sex ciuitatibus principantur. In hac tam populosa feracique regione suas sedes & regnum fœlici pedetentim successu Franci dilatauere. *Francorum in Belgas irruptio.* Ita nunc in maiori Galliarum parte seruent eorum reges principatum. Igitur in Belgas prima fit à Fran-

cis irruptio. Clodionis nuncii (regionis statu perspecto) renunciant terram modicis præsidiis teneri. Vnde nihil moratus rex, in Belgas traiicit: atque agris late excursis: *Cameracum.* Cameracum vrbem à se obsessam capit. Inde per siluam, cui Carbonaria nomen erat, *Tornacum.* Tornacum petit, quæ Romano præsidio tenebatur. Sed egressos vrbe milites prælio fudit & potitur ciuitate. Paucis autem post diebus, nullis relictis liberis xx. post susceptum anno, Claudio vita excessit. Qui autem illi sanguine propior erat, *Merouens.* Meroueus regno præfectus est: à quo vsque ad Pipinum Caroli Magni patrem series generis regum sine discidio perseuerat. Fuit Meroueus regno commodissimus, quanquam ab Hunis, Tugros, Mettensesque & reliquam Galliam incursantibus multa perpessus sit. Nam in campis Cathalaunicis cum Ecio patricio Romano aduersus Attilem Hunorum regem egregie depugnauit, vbi centum & octoginta millia occubuisse traduntur: in quibus Theodoricus Visigothorum rex, Ecium secutus atq; Meroueum, interiit.

Childericus. Huius Merouei filius Childericus cum regnum accepisset: libidine, & adulteriis apud suos viluit. Nam stupratis multorum vxoribus: proceres communicato consilio destituere eum regno statuunt. Qua re ad Childericum perlata, Guinomaldum ex regni primoribus amicum orat: præsenti fortunæ opituletur. Guinomaldus abire regem monet. Abeunti spem proponit reconciliationis. Cuius vt certior in tempore foret: aureum nummum partitur, datque Childerico partem, sibi alteram seruat: admonens si conciliare illum proceribus possit, id signum illi fore recipiendi regni: dum nummi partem reliquam recipiat. Nec cunctatus Childericus ad Bissinum Thuringiæ regem sibi amicum concessit. Eo exacto: *Gillo Romanus.* primores regni Gillonem Romanum, qui Suessionibus præerat, accersunt: ducemque sibi præficiunt. Cui Guinomaldus Childerici non immemor, se quam maximo actu potest, beniuolum exhibet: ita vt suo auspicatu Gillo gereret omnia. Firmata beniuolentia: conscius animi Guinomaldus, quam aduersus Gallos propter ereptam Romanis ditionem Gillo gerebat, suadet benignitatem simulet, amicitias comparet: quo petiti in annos tributi mitior exactio esset. Docet Francos contumaces esse, & superiorem difficile ferre, propterea bene consulturum, si Francorum potentiores tollat, quorum supplicio cæteri terrerentur. Credit Gillo consultori: eique in primis hoc negocium mandat. Guinomaldus non ignarus eorum qui Childerici eiectionem procurassent, primarium quendam læsæ maiestatis insimulat, quem Gillo ad se missum necat, & complures præterea alios persequitur. Qua crudelitate excitati proceres, Guinomaldum conueniunt, Gillonis immanitatem accusantes. Quibus Guinomaldus: miror (inquit) vestram ô proceres inconstantiam, qui electum à vobis regem protinus execramini. An Childericum desideratis: qui à vobis ob voluptariam vitam destitutus apud Thuringos exulat? Tolerabilius mulierosum, quàm sanguinarium regem tulissetis. Ille per adolescentiam illecebris illectus paulo post resipuisset: hic Romanus vobis natura infestus, eatenus cruore vestro lætabitur: donec recuperatam armis libertatem amittatis. At grauior nimis est morbus cui medela non succurrit. Benignus est, quem abiecistis: reuocatus facile iniuriarum non recordabitur.

His verbis persuasi Franci auctore Guinomaldo Childericum clam reuocant. Qui parte nummi, cuius supra fecimus mentionem, accepta ad Francos securus reuertit. Cui occurrens Guinomaldus, eum hortatur, ad Barrum castellum, quod Campaniæ imminet, demoretur: vbi auctis copiis aduersus Gillonem bellum parat. *Gillo fugatur.* Verum admonitus conspirationis Gillo aduenientem Childericum prælio adoritur. Quo superatus, postquam annos VIII. regnasset, Suessionem se recipiens: quod superat vitæ, mœstus illic absumpsit. Cuius filius Siagrius successor habitus est.

CAP. 2.

Odoager Saxo. RECEPTO regno, Childericus magno animo iuuenis: Odoagrum Saxonem sibi aduersantem Aureliam vsque infestat, Vrbemque obsidione cinctam superat: capto qui in ea erat, Paulo præfecto Romano. Deinde Ligerim flumen transgressus, An-

fus, Andegauos in fidem recepit. Huius Childerici prosperitate cognita: Basina Thuringiæ regis vxor ad regem Francum, oblita viri, se confert: illecta profecto iuuenis consuetudine. Quæ à Childerico rogata, quamobrem deserto viro alium sequeretur: quia, inquit, communione tua vsa sum: modestiamq; & virtutem tuam sum experta. Quod si meliorem te quempiam vsquam terrarum esse mihi persuasum haberem: illum terra marique indefessa persequerer. Hac libertate sermonis delectatus Childericus, Basinam vxorem nondum Christo initiatus accepit: Bissini hospitalitatis beneficentiam minime recordatus. Primo itaque nuptiarum concubitu, Basina Childericum admonet: noctem sine re voluptaria prætereat: foresque palatii obseruet: & quæ viderit, ad se perferat. Credulus mulieri vir tertio fores ædium asseruans, ad Basinam quæ visa viderit defert, visos à se in atrio palatii primum quidem rhinocerotas, quæ vnicornes appellantur: leones item & leopardos. Secundo vrsos luposque furentes: non secus ac si in semet sæuire festinarent. Postremo exiguos canes alternis se morsibus impetentes. Quæ omnia veluti futuri præscia vates referenti marito explanat: prodituram scilicet ex eorum concubitu variis moribus sobolem: primam quæ generosa natura foret: rhinocerotas imitaturam, vrsis lupisque haud dissimilem alteram, quæ rapinis animum intendat: tertiam quæ infesto sedente commordens: canum rabiem assumat. His Basinæ præsagiis gauisus rex in maximam spem rapitur, venturæ ex præsentibus nuptiis nobilioris familiæ. Deinde aliquot præliis victos Alemannos in potestatem accepit: multis tandem gestis per annos quattuor & viginti clarus: moriens filio Clodouæo regnum reliquit. Per eos dies sanguinis riuus Tholosæ, quam Gothi occuparant, die toto fluxisse visus est.

Andegaui. *Basina Thuringiæ ducis vxor, ad Childericū venit.* *Visum quod Childericus vidit.* *Prodigium.*

Insigne fuit hoc seculum optimis sacerdotibus. Nam apud Tholosates, Exuperius: apud Viennam, Simplicius sanctitate enituit: Amandus, Burdegalam illustrauit: Albigesios, docuit Damianus. Venerandum Auerni: Rusticum, Caturci: Pegasinum, Petragorii coluerunt. Nec silentio prætereundus est Sidonius. Qui sacerdos Auernorum ex senatore factus, cum graui fame Burgundi laborarent, quatuor egenorum millia suis opibus pauit.

Sacerdotes optimi. *Sutor vltra crepidam.*

CAP. 3.

CLODOVÆVS ipse, vt erat egregia forma, ita magnanimitate præclarisque moribus gratiam sibi facile comparabat. Siagrium in primis, quem Suessionis principem pater Gillo reliquerat, loco exturbat, ciuitate recepta. Inde incursionibus ad Remos vsque prædas ex templis Christianis faciens, vas aquarium (cui vrceolo nomen Franci dicunt) ad Remigii Remorum antistitis ius pertinens, exportat. Quem vrceolum vt recuperet pontifex, oratum regem mittit. Suessionem regressus Clodouæus iubet prædam omnem, eius in milites partiendæ causa, in vnum locum conferri. Quæ postquam congesta sunt, petiit à proceribus præter eam, quæ sibi iure belli pertinebat portionem, vrceolum dimitti. Quod cum primores non abnuerent, quidam, ex iis qui aderant, indignatus, quod plus reliquis ex præda rex desumpturus videretur: in vrceolum ensem adigens, neque tu (inquit) rex supra cæteros, nisi quod tuum est ex hac omni præda recipies. At nihilominus rex iniuriam ad tempus ferens, vrceolum Remigii legato restituit. Nec multo post Clodouæus, cum exercitum recenseret, viso eo qui vrceoli temerator fuerat, occasione sumpta (quod ille videlicet non satis commode armatus esset) appræhensum militem, & solo prostratum gladio confodiens: ad hunc (inquit) modum, vrceolum percusseras. Erat per id tempus Gondobaldo Burgundorum regi, neptis ex fratre Crotildis. Cuius speciem, prudentiamque cum per legatos occulte explorasset Clodouæus, ad Gondobaldum ex suis Aurelium mittit, qui sibi vxorem conciliet: ratus vna cum puella Burgundia quoque potiri posse. Gondobaldo quanquam hæ nuptiæ non satis ad stomachum essent: quod illas in suam perniciem fore intelligeret (nam interceptis dolo Crotildis parentibus, regnum vsurpauerat) ex consilio suorum aulicorum matrimonium non detrectat. Sunt qui Crotildem raptam à Clodouæo

Gondobaldus Burgundiæ rex. *Crotildis.*

fuisse dicunt, dum Gondobaldus superatis Alpibus in Nouarienses & vicinas illis gentes, copias duxisset, multis cladibus eos afficiens. In qua sententia est Iacobus Bergomensis.

Conuentu apud Suessionem habito, rex Crotildem regio apparatu suscepit, amauitque tametsi Christi documenta mulier sequeretur. Quamobrem illa sedulo admonebat virum deos non colere: sed eum cui seipsa addixisset Dominum Christum. Sed ille veteris obseruantia insuetus: se maiorum traditiones relicturum negat. *Clodomirus.* Interim Crotildis filium enixa est, cui vocabulum Clodomiro fuit. Qui Christiano more baptismo ablutus, intra paucos dies moritur. Huius interitum rex in religionem vxoris transfert: infantem ab iratis diis assumptum, quòd illum Christo suo regina dedicasset. Grauida iterum Crotilde effecta, editum item infantem sacris Christianis initiat. Moxque vt eum morbo laborantem rex accepit: vxori religionem improperat: deorum suorum maiestati scilicet inimicam. Regina aduersus regis querelas patientiam spemque adhibens, ægrotanti filio salutem Dei benignitate impetrauit. Pertinaci autem in errore Clodouæo bellum in Alemannos instauratur. Constitutis in conspectu vtrinque exercitibus, manus conserunt: Pugnatum cum diu esset: Francis cedentibus, timet sibi *Victor Clodouæus Christo credit.* Clodouæus: cœlumque suspectans, Deus (inquit) quem Crotildis religiose veneratur, audi. Si vicero, fide te perpetua colam. Vix preces finierat rex: ecce alacres Francos prælium redintegrare conspicatur. Quibus animum ipse quoque adiiciens, rege Alemanno perempto, victoria potitus est: & Alemannis lex posita. *Vedastus.* Victorem etiam credulum Christo regem Vedastus, qui Tulli aderat & qui postea Atrebati pontificatum administrauit, secutus est: cui rex credulitatis & fidei suæ rationem enarrauit. *Remigius.* Crotildis credenti Clodouæo gratulata, Remigium pontificem nihil morata conuenit: atque ad Clodouæum introducit: quem ad se admissum rex diligenter audit de fide & Christi religione differentem. Dies abluendo regi indicitur: parato ingenti ornatu lauacro, cum sacrosanctum oleum, quo liniri ritu Christiano, qui abluuntur, solent, siue ministrorum incuria, siue hoc agente Deo, allatum non esset, ecce, de superis delapsa columba phialam *Ampulla sacra.* (quam ampullam vocant) odoratissimi liquoris oppletam ad manus Remigii detulit. Creditum est spiritus Dei ministerio id perpetratum esse. Eo liquore hic Clodouæus primum: posteri deinceps Francorum reges hactenus regnum administraturi, sacrantur. Ministerio ablutionis expleto: Clodouæus ad circumstantem nobilitatem populumque breui oratione habita, suadet aspernari falsam deorum religionem, & eius fidem profiteri qui Christus appellabatur: & Dei filius esset: quo auctore hostem Alemannum, inquit, superauimus. Regis oratione perculsis Francorum animis, Christum professi, abluti sunt. Clodouæus vt *Templum à Clodouæo Parisiis factum.* professam fidem insigni aliquo opere illustraret: templum in colle Lecuticio, qui nunc Genouefæ appellatur, Parisii à fundamentis extructum diuis Apostolis Petro & Paulo dicat. Non prætеribo huic loco adiicere quod nullo certo auctore, sed perseuerante ad hanc meam ætatem fama vulgatum accepi. Fuisse regibus Francis Buffones tres nobilitatis quidem insigne: sed Clodouæo Christianis sacris initiato demissum cœlo esse id quod nunc reges gestant, lilia aurea quibus *Lilia cœlo demissa.* subest cœli sereni color, quem asurum Franci dicunt. Ad hanc rem mihi astipulatur diui Bartholomæi monasterium, quod *gaudium vallis* appellatur: vbi fons huius miraculi testis ab incolis ostenditur. Traditum quoque est pannum sericeum rubrum instar signi militaris quadratum, miro fulgore splendentem diuinitus esse exceptum: quo in expeditionibus contra fidei Christianæ hostes pro si- *Auriflamma.* gno Franci reges vterentur: huicque vexillo nomen auriflammam hactenus permansisse: diuque à Dionysianis cœnobitis asseruatam esse. Sed abutentibus signo aduersus Christicolas regibus illud euanuisse. Alterum tamen non dissimili forma instauratum esse, quod ab Episcopis & loci Abbate consecratum inter sacra asseruatur. Sunt qui hoc cæleste beneficium Carolo Magno collatum fuisse contendunt. Sed ad Clodouæum reuertamur. Gestum esse inuenio à

Clodo-

Clodouæo bellum aduersus Sigebertum quempiam: quam rem ab historicis non explanatam prætermittam. Occisum tamen eum à Francis & fortunis omnibus spoliatum constat. Paternam deinde necem animo frequenter voluens Clotildis, vltionis percupida mulier Clodouæum adit: queriturque paternum sibi regnum fraude Gondobaldi Burgundionis ereptum necato eius patre, matre vero in profluentum abiecta. Id inhumanum facinus causam maximam regi esse debere, belli aduersus Gondobaldum gerendi, quo & indignam parentum eius necem vlcisceretur, & Burgondorum regnum reciperet. Iam quia in Burgundorum nomen deuenimus, originem eorum breuiter aperiemus. Augusto imperante, cum Vandalorum gens in extremis Germaniæ locis, vbi consederant, tumultuarentur: Tyberius & Drusus Octauii iussu in eos expeditionem duxerunt: quos victos partim vltra regni ripas in Galliis per vicos, quos Galli Burgos vocant, distributos habitare fecerunt. Inde à Burgis Burgundiones primo appellatos fuisse comperio. Qui sequenti tempore Sequanos Allobroges prouinciamque partim Narbonensem & Lugdunum occupauere. Arelatæ siquidem atque Aureliæ regni sui sedem aliquando posuerunt. Nam Otho IIII. Germanus imperator se Arelatensem regem appellauit & possedit.

Burgundorū origo.

Adductus rex coniugis querimoniis in Burgundos mouet, agros incendit: & fugatum Gondobaldum, obsidet: obsessum capit. Sed diues auro Gondobaldus, opera Aredis Arelatæ vrbis præpotentis municipis, magnis muneribus Clodouæo oblatis, se liberat, annuum tributum regi pollicitus. Relicto quinque millium armatorum in Burgundia præsidio: cui Gondesillum Gondobaldi fratrem præfecerat, Clodouæus in Franciam reuertitur. Egresso Burgundia rege, Gondobaldus, Gondesillum Viennæ obsidet: fratrem in ea depræhensum non sine multorum strage trucidauit: prodidit vrbem Gondobaldo plebeius quidam qui aquæ ductibus præfuerat, indignatus scilicet quòd imminente commeatus pœnuria fuisset cum mulegenis ciuitate dimissus. Eam ob rem Gondobaldum docet per eum ductum Viennam capi posse. Reserato igitur meatu immisso milite vrbs capitur: Franci vero milites quos Gondesillo Clodouæus tradiderat, ad Alaricum Tholosam relegati sunt. Per idem tempus irrumpentibus in Galliam Gothis: bona Franciæ parte occupata: Arriana impietate plurimi tenebantur. Assumpta in eos expeditione, Clodouæus, priusquam moueret, Paternum virum ex suis prudentem ad Alaricum Gothorum principem in Aquitaniam oratorem, de rebus quæ ex vsu vtriusque regum essent, mittit. Conuenit diem locumque regum colloquio dicere. Constituto tempore quo inermis quisque accederet, Clodouæus iter in Aquitaniam parat. Interim Paterno negocium dat, exploret quibus Gothi indumentis vtantur. Qui ad Alaricum reuersus offendit hominem, & suorum quenque ferream virgam non minimæ crassitudinis manu gestare: quæ vel ad percutiendum vel iaculandum idonea videretur. Quem dolum prudenter animaduertens Paternus: appræhensa regis manu promissi eum admonuit. Ille dolum quatenus potuit dissimulans, perfidiam abscondit. Tandem Paterno in suspitione persistente, placere sibi Alaricus ait, controuersiam, quæ inter reges agitabatur, ad Theodoricum Italiæ regem referri, & ab eo definiri. Cum ad Theodoricum ventum est, ille, causa cognita, litigatores in Aquitaniam remittens, iubet Paterno, vt in summam turrem, quam ipse designabat, ascenderet, hastamque erectam teneret: Gothi vero tam diu nummos ad hastam coniicerent: donec ad eius mucronem coaceruatis nummis hasta tota tegeretur. Quod iudicium non acceptauere Gothi: Sed indignabundi, Paternum ludibrio habuerunt. Nam cubiculi eius effractis quibusdam tignis, & de super coniectis tapetibus cum periculum occultassent: Paternus, dum noctu curandi corporis gratia exurgit: per effractum tabulatū deorsum præceps delapsus, brachium effregit: reliquo corpore grauiter concusso. Hac iniuria affectus Paternus, Gothorū perfidos mores Clodouæo renunciat. Quamobrem irritatus rex, oratione ad suos de violato oratore habita, exercitū ingredi ad hostes imperat: prius tamē, quàm in aciem prodiret, ad diui Martini sepulchrū

Gondobaldus capitur.

[redacted]

Vienna.

Gothorum irruptio.

Arriana impietas.

Alarici perfidia.

Theodorici iudicium.

donaria mittit: tanquam de futura victoria oraculum expectaret. Venientes qui missi erant, dum ad fores templi accedunt, audiunt psallentes sacerdotes Dauidis hymnum: Protexisti me Domine virtute ad bellum. Quod ominis loco suscipientes, oblatis muneribus, ad regem perniciter se conferunt. Oraculo accepto, rex erectior factus ad hostē festinat. Dum procedit agmen, Vienna amnis obstitit, qui crebris imbribus intumuerat: ita vt vado transiri nō posset. Impeditū dolens exercitum Clodouæus, Deus, inquit, optime in tribulationibus adiutor, attende quod in hostes tuos proficiscor. Faue religioni tuæ quam tueor: & ne differ de hæretico Gotho sumere vltionem, &, qui nos præpedit, da fluuium vadabilem. Hoc precantem Clodouæum, non est aspernatus Deus. Ad primam enim insequentis diei lucem, ceruus è silua (nemine inclamante) in conspectum se prorupit: qui magnis inde militum vocibus excitus, fluuium enatans: quasi itineris explorator vadum monstrauit. Hunc secuti milites, in vlteriorem fluenti ripam, qua ceruus traiecerat, euadunt. Vltra progressus exercitus, ad diui Hilarii Pictauen. ædem consistit. Vbi intempesta nocte quiescente Clodouæo, ignis in tentorium decidere visus est: quod prodigium plerique bonam in partem interpretabantur. Cum non procul abesset hostis, milites in aciem rex educit: moxq; atrox vtrinq; prælium committitur iuxta fluuium Clanum, in campo Voglodinensi, qui ab vrbe Pictauorum decimo miliario abest. Rex inter præliantes Alaricum conspicatus, eum inuadit: & solus soli congrediens, solo deiectum Gothum necat. Hæc finis Alarico fuit, cum annos duodecim tyrannidem assumpsisset. Hanc victoriam Clodouæus mox insigniorem reddit, Theodoro filio cum exercitu in Narbonensem prouinciam misso: quo duce ea pars quam nunc Occitanam linguam vocant: ipsos præterea Aruernos patri audientes fecit. Burdegalæ tunc Clodouæus hyemabat: vnde ineunte proximo vere Tholosates petit: vbi Alarici thesauri asseruabantur. Quibus expilatis: reliquas vrbes, quas Gothi præsidio tenebant, adoritur. Hisque (hoste vndique deturbato) Francorum præsidium ponit. Rebus ad hunc modum quietis: Thuronum se contulit: vbi Anastasii Bizantini imperatoris legatos audiuit, imperatorio nomine amicitiam ei offerentes, Romanumq; consulatum. Quo honore affectus rex, inscenso equo in patentem campum, qui inter diui Martini ædem Thuronumq; per tempus erat, proficiscitur: vbi populo varia munera profudit, cunctis acclamantibus: *Bene sit regi consuliq; Romano.* Equi deinde memor, quo in bellis libenter vtebatur: quemq; diuo Martino voti reus dicauerat: equum ingenti pecunia redimi cum frustra iussisset: nec moueri loco equus scopuli instar potuisset: aureos centū, quos illa ætas solidos appellabat, priori precio adiici iubet. Atq; ita equo recepto, *bonus*, inquit, *in negociis adiutor Martinus est: sed mercede carus.* Pacatis paululum rebus: Regnacarus Cameracus princeps insequentis causa belli fuit. Erat enim petulans & multa libidine famosus. Quibus vitiis (vt principibus fere contingit) Pharo quidam assentator morem blandissime gerebat, ita vt nihil non illi crederet Regnacarus. Hanc rem proceribus ægre ferentibus: ad Clodouæum mittunt, suam pollicentes operam, si effæminatum hominem principatu amoueret. Adduntq;, cum pugna iniretur, se, simulata fuga, Dominum pugnæ tempore deserturos. Clodouæus, vt proceres conuenta seruarent: ærea fabricatus arma, eaq; inaurata, ita, vt credi aurea possent, proditoribus dono dat. Adulterina munera mox cum exercitu sequitur Clodouæus: instructa vtrinq; acie, consertaq; fortiter manu, proditores simulant fugam duce deserto: quem captum occidi rex mandat vna cum eius fratre qui duci auxilium non tulisset. Necauit item & propinquos omnes: ne successionis iure adducti, principatum Regnacari vendicarent. Proditoribus autem (cum se falsis donis à rege circumuentos quererentur) respondit: Quibus præmiis esse dignos eos putarent qui suum ducem prodidissent. Satis illis superque esse, quod vita donati essent, atque ita illos domum dimisit. Clodouæus rebus gestis plurimis clarus, post acceptam CHRISTI fidem cum annos triginta regnum administrasset: quattuor superstitibus liberis vita decessit. Regis mortem præcesserat ingens apud Viennam vrbem terræmotus, quo concussæ palatinæ ædes, vna cum priuatorum domi-

Omen.

Ceruus index itineris.

Ostentum.

Alaricus Gothus à Clodouæo occiditur.

Anastasius imperator.

Miraculū S. Martini pecuniam flagitantis.

Regnacarus Cameraci Dominus.

Clodouæi dolus.

Prodigia.

domiciliis, templisque corruerunt. Hæc Mamerto, qui pontifex vrbis erat, causa fuit, instituendæ supplicationis, quæ ante dominicæ ascensionis diem festum quotannis per quasque ecclesias Letaniæ nomine celebratur. Conditus est sepulchro Clodouæus, quod etiam nunc Parisii visitur, in æde Petri à se ædificata. Additumque tumulo insequens carmen autore Remigio: anno Christiano D. XIIII.

Mamertus Viennensis episcopus.

Letania populis origo.

Diues opum: virtute potens: clarusq; triumpho:
Condidit hanc sedem rex Clodouæus. & idem
Patricius magno sublimis fulsit honore.
Plenus amore Dei contempsit credere nullo,
Lumina qui variis horrent portenta figuris.
Mox purgatus aquis & Christi fonte renatus:
Fragrantem gessit infuso chrismate crinem.
Exemplumq; dedit sequitur quod plurima turba
Gentilis populi: spretoq; errore suorum,
Doctorem cultura Deum verumq; parentem.
His fœlix meritis superauit gesta priorum.
Semper consilio, castris, bellisq; tremendus:
Hortatu dux ipse bonus ac pectore fortis.
Constructas acies firmauit in agmine primus.

Eo regnante, precibus beati Remigii frater Suessionum pontifex Vedastus Attrebacium, & Auitus Nouiomensium ecclesiis præerant: Arrianis magnopere contrarii.

SVCCEDENTES Clodouæo filii, quos quatuor ex Clotilde susceperat, regnũ quadrifariam concordibus animis (quod de imperio agitantibus raro euenit) partiti sunt. Theodoricus Mediomatricos, qui & Mettenses: Clodomirus Genabumq; Aurelianus: Clotarius Suessionem: Childebertus Parisios obtinuit. Hi omnes, cum sese mutua amicitia colerent, regio nomine seorsum assumpto, Dani Mettensem agrum inuadunt, prædas facientes: in quos Theobertum filium cum iustis copiis Theodoricus mittit. Fusis Danis: ad patrem cum bono captiuorum numero triumphans Theobertus se recepit. Interea Clotildis filios ad se Parisium conuenire mandat. Atq; (vt erat appetens vindictæ fœmina) iniuriam illis aperit paternæ necis. Ad se quidem Burgundi regni portionem pertinere: sed Gondobaldi potentia atq; crudelitate, vtroq; parente orbatam se & hæreditate priuatam esse. quamobrem precari vltionem parricidę Gondobaldi pariter assumant. Moti maternis precibus filii: contractis copiis Burgundis bellum indicunt. Quos per idem tempus (Gondobaldo patre vita functo) Sigismundus moderabatur. Qui delectu militum habito: aduersus Francos se obiicit. Dimicatum est acerrimis viribus. Sed inclinante ad Clodomirum fortuna Sigismundus in fuga capitur, vinctusq; Aureliam missus est: quem non multo post Clodomirus pariter cum liberis interemptum in altissimum puteum deiici iubet. Sed inde tandem exemptos ad diui Mauricii monasterium, quod non longe ab Octodoro Sabaudiæ vico Sigismundi frater extruxerat efferri, ibiq; sepeliri permisit. Huic Clodomiri fortunæ aduersa successit. Namq; cognito, quod Gondeuallus Burgundionum imperium vendicaret: bellum redintegrat. Sed dum longe à suis Clodomirus hostem persequitur, à multis circumuentus (quamquam furentibus oculis & minaci vultu terrori esset) inimicis coniectis vndique telis appetitus, pugnacissimus rex temeritatis suæ pœnas luit. Amisso rege, Franci nihil pauentes, Domini sui mortẽ vlcisci perseuerant. Verso in fugam Burgundione, multis interemptis, vicos agrosq; depopulantur atq; incendunt. Erant Clodomiro libri mares tres: Theodoaldus, Gontherus, & Clodoaldus: quos à patris morte educandos apud se Clotildis recepit. Clodomiri morte nũciata, Clotarius atq; Childebertus fraternæ necis vltores, coacto exercitu, in Burgundiã pergunt. Fugato Gondomaro, eiusq; vxore in captiuitatem abducta: vniuersa Burgundia potiuntur. Hoc bellũ mox Hispaniense secutũ est: Cui Amalricus causam dedit. Hic in extrema Gallia, quæ ad Pyrhenẽum

CAP. 4.

Clotildis filios suos Parisium vocat.

Bellũ in Burgundos.

Amalricus.

spectat, incolens: Hispaniam cum Gothis tenebat. Mortuo vero Clodouæo, intactam antea regionis partem Amalricus occupauit. Vnde animos tollens, ad reges Francos de ea re nuncium mittit: petitq; eorum amicitia frui liceat: atq; ex eorum familia ducere vxorem. Non indigna petitio regibus visa est. Sororem virginem illi dant. Quam regio fastu susceptam, Amalricus liberaliter primum, mox contemptissimè habuit: quippe qui Arriano veneno imbutus, rectæ fidei mulierē, despuebat: adeuntemq; ex more Christiano ecclesias contumeliis persequebatur, lutoq; per viam à pueris mandabat cōtaminari. Hoc diu passa mulier, regibus per literas significat, quæ à viro infideli toleraret: laturaq; esset, nisi Amalrici petulantiam temeritatemq; compescerent. Crebro mulieris quæstu perciti reges cogunt exercitum. At Childebertus, sublimi vir animo, non expectato Clotario: militem in Amalricum educit. Cognito quid in eum à Childeberto parabatur: magnam, quoad potest, manum Amalricus terra mariq; cogit, tueri se festinans. Aduenientibus Francis hostiliter occurrit: & quanquam militum numero inferior esset, in fortitudine tamen spem omnem firmauerat: qua prima eximiaq; virtute, victoria sæpenumero visa est comparari. Pugnatū est æquis viribus diu acriterq;. Sed Gothis cedentibus, victoria penes Childebertum fuit. Fugientem Amalricū dum animaduertit miles quidam Francus: excitato calcaribus equo, tyrannum lancea confodit. Qua re cognita, rex Francus mediam petens Hispaniam Gothos incredibili diligentia persequitur: donec Toletum, ad amnis Tagi ripas munitissimā vrbem, accessisset: quam obsessam, & à ciuibus non segniter defensam capit, captam, omnibus exactissime coaceruatis bonis, spoliat. Atq; ita sorore recepta, & mox morbo, dum reuertit, absumpta, ad patris sepulchrum Parisii collocat defunctam. Quos vero calices & vasa sacra Toleto exportauerat, religiosis regni sui locis distribuit.

Toletum capitur. Tagus.

CAP. 5.

HIS, vt memorauimus, à Childeberto gestis, nunciatur Theodoricum fratrem Montemclarum Aruerniæ primariam ciuitatem: quam ab eo Childebertus abstulisset, recepisse præsidio interfecto. Dum ciuitas à Theodorico obsidetur, miles, qui in obsidione erat, accepto, quòd in diui Iuliani templum plæriq; ciues fortunas suas contulissent: in templum refractis foribus irrumpit: & cuncta diripiens exportat. Sed protenus vindex sacrilegii Deus prædatores corripit insania: horrenda voce clamantes. *Cur ô beate martyr tam dirè nos crucias?* Hoc exemplo doctus qui militiam sequitur temperet à rapinis, ne sacris locis iniurius sit. Appræhendit interdum pœna sacrilegos, & suas Deus iniurias grauiter vlciscitur. Quod Siginaldus Aruernorum præfectus non ignorauit. Itaq; licentia dominandi elatus: postquam multa ab incolis surripuit: villam Burgratensem, quam Tetradius ecclesiæ diui Iuliani donauerat, occupauit: moxq; mente captus, non prius sui compos factus est, quam villam reliquisset, compensatione exhibita rerum quas temere abstulerat. Sed re intra paucos dies composita, concordibus animis reges in Hermofredum Thoringiæ principem bellum mouent, propterea quod suasu Amalbergæ vxoris duos, quos habebat, fratres Bercarium & Baldricum necauerat: delatos, quod regnum affectassent. Thoringus re cognita: collecta magno numero manu: dolo intercipere Francos instituit. Fossam altam, quà Francus iter facturus erat, longitudine magna perduxit, cespitibus desuper coniectis: vt specie virentis herbæ miles illusus, fraudem non perciperet. Detecto per exploratores dolo: reges irritatiores facti, hostem ferocius persequuntur, donec effusi fuga Thoringi ad flumen, quod eorum lingua Onestrut vocant, se recipiunt. Vbi ad fluminis ripam, reuocato ex fuga milite, bellum instaurant. Sed cedere coacti, in profluentem se promiscue committunt: Factaq; est eorū tanta strages, vt occisorum cadaueribus pontis loco Francus vteretur. Hermofredus tamen cum paucis in vrbem quandam (quæ regi Theodorico postea fuit) se recepit. Ad quem dimisso nuncio, Theodoricus salutem pollicetur, si ad castellum Tulbiacum, quod non procul erat, se conferre non pigritaretur. Nuncianti fidem adhibens Hermofredus ad Theodoricum se confert. Dum vna ad pinnas castelli inambulant & fabulantur, Theodoricus Hermofredum cubito impellens, eum e muro præcipitat: quo

Sacrilegii pœna.

Bellum aduersus Hermofredum.

Dolus regis Theodorici.

quo lapsu interiit. Deinde liberis eius necatis: omnem regionem in potestatẽ rex accepit: ibique id tempus moratus, Lotharium fratrem (licet auxiliaris illi in hoc bello fuisset) clam suspectum habuit: siue quod benè gesti belli partẽ ad se verteret: siue quod (vt est humanus animus) causas quęreret vsurpandi fraterni regni qui finitimus esset: & ideo inuidiæ Theodorico esset. Dissimulato odio, Theodoricus precatur per nuncios fratrem, ad se in Thoringiam veniat: habere quod ex vtriusque commodo sit. Ad quem, nihil a fratre doli metuens, Clotarius accedit. Occultos post tapetem in cænaculo milites Theodoricus in armis locauerat, Quod cum paulo altius penderet velum, Clotarius cænaculũ ingressus: armatorum pedes conspicatus: fraude deprehẽsa restitit: admonitisque, quos secum habebat, clientibus, clam armari eos iubet. Theodoricus animaduersum a fratre dolum intelligens: ioco suspitionẽ purgauit: habito deinde cum fratre colloquio, argenteo vase, quod peluim vocant, Lothariũ donat, atque ita discessum est. Verum sollicitatus ira Theodoricus, peluim à fratre per filium repetit, belli occasionem meditans si vas nõ redderet. Impetrat a patrueli Theodebertus adolescens: & vas ad patrem refert. Sed tandem in apertum se Theodorici ira prodidit. Crebris incursionibus in alterutrum factis, pax inter eos paucis post diebus cõuenit: quæ tamen susurronum delationibus violata est: obsidibus, qui apud Theodoricum erant, interfectis. *Nihil enim apud dominandi cupidos probitatis aut fidei est. Libidine enim habendi reges feruntur, nec amicis, nec generi indulgent suo.* Interim dum se fratres odijs agitant, Clotildis mater ex Clodomiro nepotes diligenter non secus ac ex se natos apud Parisios procurabat. Hac suspitione ductus Childebertus: quasi illos regina ad regnandum educaret: accersito fratre Clotario, quid de matre nepotibusque pensitet, aperit. Placuit, visendi eos causa: atque cognoscendi, si illorum ætas, diuisa inter illos hæreditate, ad principandum idonea esset: ad se per Archadium quendam mitti. Læta nuncio Clotildis, dimissos nepotes patruelibus commendat. Quibus in conspectum adductis, maiorem natu Clotarius mox terræ allidit: ense per ilia adolescẽtis prostrati traiecto. Hic perterritus alter ad Childebertum se proripuit: orans vt se protegeret. Qui siue misericordiam simulans, siue reuera pueri misereretur: Clotarium placare pergit. In quem indignabundus rex: tu, inquit, huius auctor facinoris es: & nunc pœnitet consilij: aut ergo illum proiice abs te: aut mortem meis manibus obito. Ad hæc verba dimissum puerum Clotarius obtruncat. Interim dum in nepotum nece intentos reges Clodoaldus videt: auxilio procerum dilapsus, clericatum professus est, & sacerdos effectus, vitam religiosissimam vixit. Scribunt quidam vna cum pueris nutrices quoque esse necatas. Huius sceleris immanitatem, aliud, non minus inhumanum, pręcessisse tradunt. Ad priorem nuncium Archadium de pueris ad reges deducendis Vridanum quendam aulicum protinus Clotildem regio iussu adiuisse: eique gladium & forpicem obtulisse: ad anceps oblatũ Clotildem mussitasse: mox ex Vridano quęsiuisse, quid hoc oblatum protenderet: illumque respondisse, gladium necem: forpicem sacerdotium in nepotibus ominari: expectare se, vtrum regina eligeret. Demum hæsitantem reginam negasse nepotes sacerdotes fore: scilicet de filijs regibus securam, quòd innocentibus nullam vim inferendam formidaret. Sed regnum ambientibus odiosa miseratio est. Tam crudelem nepotum necem, etsi modestissime ferret Clotildis: eam quoque insequens belli motus misera sollicitudine confecit. Theodorico, quem Mettensibus imperasse scripsi, vita sublato, Theodobertus paternum regnum suscepit: qui aduersus Clotarium in societatem belli, quod iam diu Childebertus Parisiorum rex animo agitabat, accitus, vocanti Childeberto auxilio fuit. Iunctis ergo pari fide exercitibus, in Clotarium proficisci constituunt. Ea re Clotildis cognita: relictis Parisijs Turonum abijt: diui Martini ædem lachrymans ingreditur. Orat religiosa mulier beatissimum confessorem, preces eius exaudiat: neque sinat fratres reges, filios suos inter se conflictari: qui tametsi compluribus essent inquinati flagitijs, occurrat tamen furentibus, ne insania effetati, fraternitatis quoque obliuiscantur. Clotildis

Dominandi cupido, omnis mali causa.

A patruelibus nepotes occiduntur.

Martinus nõ Christu[illegible] in anxietate quæsitus.

oratione,& bene de deo meriti pontificis interuentu, credi poteſt in beniuolentiam fratres rediiſſe. Nam cum acies non procul conſtitiſſent: ortis imbribus: tonante ſupra modum cœlo: atque validiſſimo inſufflante vento: tanta tempeſtate Childeberti Theodebértique copiæ attritæ ſunt, vt nihil illi ſibi armorum, præter clipeum, reliquum habuerint. Procumbentes humi milites laceris veſtibus & ſagis, diem illum vltimum ſibi certo eſſe credebant: equis inſuper per multa miliaria diffugientibus rari recepti ſunt. Quin ipſis regibus cœleſtis ignis, qui crebro fulgure continenter micabat, timorem incuſſit: ne cum tentoriis incendio vnà flagrarent: cum huius tempeſtatis nulla procella, neque vllius pluuiæ gutta Clotarij militem attigit. Hoc terribili admodum prodigio haud dubie intellexerunt reges, rectè in illos dei iram exerceri, quòd innocentem fratrem bello perdere cogitaſſent. Miſſis ergo ad Clotarium legatis: pacem vltro pollicentur: qua vtrinque data, diſceſſum eſt. Hæc in agro Aurelianenſi apud Combrum vicum geſta fuiſſe comperio. Poſt hæc Childebertus, velut ad bellum natus eſſet, breui requie militibus conceſſa, comitãte fratre Clotario in Terracones mouet. Cuius belli cauſam ab auctoribus traditam non inuenio. Credo eum prædæ & regnandi ſolum cupiditate affectum, huic bello incubuiſſe. Prima huius expeditionis caſtra ad Cæſarauguſtam vrbem Childebertus ſiſtit. Quam circumuallatam oppugnare iubet. Ciuibus fortiſſime ſeſe primum tuentibus: cum altera inſuper oppugnatione primi expectarent, ad dei opem conuerſi ſupplicationem decernunt: circumeunt per pomerium ciuitatem, reſonante diuinis hymnis clero. Quem concentum vbi animaduertit Childebertus, cognoſcit per ruricolam quendam ſupplicationem ritu chriſtiano à populo fieri: vt miſerto ciuitatis deo in hoſtium poteſtatem non veniant. Ea re cognita, & quòd Chriſtiani eſſent, Childebertus ruſtico imperat, loci pontificem adeat, moneatque ad ſe in caſtra venire. Edoctus à ruſtico pontifex ad regem nihil veritus accedit. Quem affatus Childebertus: quia, inquit, ô præſul compertum nobis eſt, vos chriſtianiſmi ſacris initiatos eſſe: eique religioſe famulari, decretũ nobis eſt, parcere ciuitati: obſidionemque ſoluere: ſi modò de diui martyris Vincentii ſuperſtitibus apud vos monumentis aliquid nobis impertiemini. Regis voluntate ad clerum relata, ſepulchrum martyris pontifex adit: indeque ſuſceptam ſtolam & tunicam regi dono contulit. Quæ religioſiſſime ſuſcepta rex perſanctè aſſeruauit. Obſidione igitur liberata ciuitate, cum de prouincia cum pontifice nihil interueniſſet, digrediens exercitus agrum Cæſarauguſtanum vaſtauit: atque ita Pariſium adueniens, ædem diuo Vincentio dicat: monachis ibidem inſtitutis, quibus eas, quas de martyre induuias habebat, attribuit. Huic monaſterio diui Germani de Pratis appellatio in hodiernum diem manet.

Mirum.

Bellum in Terracones à Childeberto geſtũ.

Cæſarauguſta obſeſſa.

Reliquiæ diui Vincentii.

Riſum teneatis amici.

Monaſterium beati Vincentii extructum

CAP .6.

REBVS in Hiſpania (vt prẹmiſſum eſt) geſtis Theodorici mors regi renunciata eſt. Huic filius Theodebertus, quia regno ſucceſſiſſet, iniquo animo Childebertus tulit. Communicato igitur cum fratre Clotario conſilio, à Theodeberto regnum ſurripere meditantur. Quorum cœptis rex prudens occurrens, prius quam in apertum prodiret dolus: inſurgentem in eum, debita erga auunculos reges obſeruantia, retardauit. Eam ob rem alios ſibi vultus effingens Childebertus, ſatius eſſe cenſet beniuolentia vti, quam nepotem regem eundemque potentem laceſſere, quem facile ſuperare non poſſet. Vocatum igitur ad ſe Theodebertum blande excepit: precioſiſque muneribus donatum, à ſe dimittit. Adeo rara eſt inter principes amicitia: aut enim liuore perculſi: aut imperii maieſtate feroces: aut (quod plerumque accidit) aliorum potentiam ſuſpectam habentes, occultis inter ſe dolis agere ſolent. Interea ſenio morboque confecta Clotildis mater moritur: præclaræ religionis fœmina, & diuo Martino Turonenſi præſuli præcipue deuota. Quam Turono vrbe, regia pompa elatam, filii reges ad Clodouæi tumulum apponunt: Eleuatumque nunc veneratur corpus eius in capulo ac pheretro ibidem adhuc conſpicuo. Eodem ferme tempore Theodebertum vltima fata aſſumpſerunt: relicto filio Theodebaldo regni paterni hærede:

Clotildis non Dei ſed diui Martini cultrix moritur, ipſa quoque diuinius honoribus affecta.

de: Clotario autem iniqua iterum fortuna aduersata est: Nam maribus liberis septem, & fœminis duabus, cum beatus hominum opinione haberetur, Crannus patri contumax extitit. A quo in Aquitaniam missus premere populum vectigalibus cœpit. Ea re cognita, Clotarius Crannum domum reuocat. Qui contempto patris imperio, ad Childebertum, quem non bono satis in patrem animo esse arbitrabatur, se contulit: Addit ad exulceratum Childeberti animum nouas indignationes: iureque iurando se persanctè astringit, oppugnaturum perpetuo patrem. Securus igitur acceptæ fidei à Cranno Childebertus, bello persequi Clotarium constituit, eo quidem tempore dum Clotarius expeditionem in Saxones haberet. Quos cum semel prospere superasset, secundo in eos mouens, quòd promissum tributum non soluissent, quamuis prælium deprecarentur, & imperata se facturos pollicerentur: pugna non abstinuit: in qua multis Francis occumbentibus, Clotarius cum paucis ad Suessiones regressus est aduersus Crannum. Gontrano atque Ariberto in Aquitaniam Clotarij iussu mouentibus: Childebertus Campaniam infesto exercitu incurrit. Inde vastatis agris cum præda multa reuertentem post nonum & quadragesimum regnandi annum mors occupat, anno salutis quingentesimo quinquagesimo nono. Mortuo apud ædem Vincentij martyris proximè Parisios sepulchrum fuit. Childeberti morte, quia liberis careret, omnia ad Clotarium peruenerunt. Quo accessu Francorum regnum magnum incrementum accepit. Sed aucto regno: auaritia Clotarium inuasit. Excogitauit enim tertiam ecclesiasticorum prouentuum partem accipere. Cuius concupiscentiæ assentientibus ipsis: vnus tantum Turonorum antistes iniuriosus resistit: dicens. *Si, quæ Deo dicata sunt, auferes: & de pauperum horreis, tua perges explere: regnum à te auferet Deus.* Qua increpatione territus Clotarius, incœpto abstinuit: Eadem tempestate inter Francos atque Hispanos erat de celebrando paschate contentio. Illi enim decimooctauo Calendas Maij: hi duodecimo Calendas Aprilis festum diem obseruabant. Sed hæc pertinax varietas finem diuinitus accepit. Nam sabbato sancto, dum catechumeni ad regenerationis lauacrum accedunt, salutaris apud Hispanos aqua peraruit: cum eadem apud Francos redundaret, Gregorius Turonen. Chilperici ætate hoc euenisse tradit.

Cranni rebellio.

Controuersia de paschate celebrando.

ROBERTI GAGVINI

HISTORIÆ FRANCORVM

LIBER SECVNDVS.

Cap. I.



LOTARIVS regno assumto, Crannus aliàs Cramiris (vtrumque enim scriptum inuenio) temeritatem vlcisci perseuerat: ratus plus audere in eum cæteros: si repugnantem filium non flecteret. Habito igitur delectu militum: in rebellem progreditur. Quem venientem audiens Crannus, ad Conobaldum sibi finitimū Aquitaniæ regem pergit: quo adiutore patrem prælio exciperet. Sed Conobaldus cum in sacellum diui Martini Clotarium fugiens se recepisset: neque inde vllis pollicitationibus educi posset: immisso igni pariter cum sacello crematur: quod non multo post tempore rex iussit instaurari. Mox Crannus nihil moratus ad Britonum comitem Senabutum se contulit: vbi receptis ex fuga militibus, quum terra marique iustum exercitum coegisset, pio patri filius nocens & armatus occurrit. Ordinatis ad prælium alterutris copiis, de pace per legatos tentatum est. Negan-

Sacelli diui Martini exustio.

te conditiones pacis Clotario: armis decertare conuenit. Sed non ingnarus pater, quàm dubius sit belli exitus: dei ante omnia opem implorans, *Iuste Deus*, inquit, *aspice: & quod Dauidi regi de filio Absalone iudicium, fecisti mihi impertito.* Atque ita in prælium vtraque acies concurrit. Diu stetit dubia victoriæ spes, demum ad Clotarium inclinauit. Fugati profligatique sunt hostes. Inter quos bona Britonum pars cæsa est: Cranno cum vxore & liberis intercepto. Quem in scamno per lictorem alligatum cremari cum vxore & liberis duobus rex iubet. Huiuscemodi supplicio Crannus pœnas soluit conceptæ aduersus patrem rebellionis. Cranno merita pæna affecto, pater accepti à deo beneficii memor, in Franciam reuertens, ad diui Martini sepulchrum se contulit: ibi de beneficiis deo gratias exhibens, largissimisque muneribus templo ditato, petit preteritæ ætatis sibi offensas remitti. Nec mora Suessionem repetit. Moxque, vt est Gallicæ nobilitatis vana consuetudo, ad feras venatu depræhendendas se conuertit: vbi dum cursu clamoreque supra quàm rege dignum est, curiosius oblectatur, morbum contrahit: quo languore, cum annos vnum & quinquaginta imperasset, absumptus est: assistentibus quatuor superstitibus sibi liberis, Ariberto, Gontrano, Childerico, atque Sigisberto. Fuit enim Clotarius libidini obnoxius, & ex tribus vxoribus, Iugunde, Arregunde atque Consona mares septem & fœminas duas suscepit. Aregundem, quæ primæ vxoris soror erat, ex hac causa sibi assumpsit. Rogatus ab vxore vt Aregundem viro illustri collocaret: ad eam profectus est, sibique copulauit. Atque paullo post ad Iugundem reuertens, feci, inquit, mea coniunx de sorore tua, quod me hortabaris. Illam enim mihi accepi, quæ præter cæteros regni mei proceres sum illustrior. Quod factum modesta mulier æquo animo ferre simulauit. Patris funus filii Suessionem vsque ornatissimo comitatu prosecuti, digno patre tumulo regem sepelierunt. Sed priusquam à Clotario discedo: illud non prætermittendum reor, quod cum maxime cognitu dignum est, mirari licet à nullo Franco scriptore litteris fuisse commendatum. Fuit inter familiarissimos Clotarii aulicos Galterus Iuetotus Caletus, agri Rothomagensis apprime nobilis, & qui regii cubiculi primarius cultor esset. Huic pro sua integritate, de Clotario cum melius meliusque indies promereretur, reliqui aulici inuident, deprauantes quodlibet ab eo gestum, nec desistunt donec iratum illi Clotarium pessimis susurris efficiunt. Quamobrem iurat rex se hominem necaturum. Percepta Clotarii indignatione: Galterus pugnator illustris, cedere regi irato constituit. Igitur, derelicta Francia in militiam aduersus religionis catholicæ inimicos pergit, vbi decem annos multis prospere gestis rebus: ratus Clotarium simul cum tempore mitiorem effectum: in primis ad Agapitum pontificem se contulit. A quo ad Clotarium litteris impetratis, ad eum Suessione agentem se protinus confert: veneris die quæ parasceue dicitur: cogitans religiosam christianis diem ad pietatem sibi profuturam. Verum litteris pontificis exceptis: cum Galterum Clotarius agnouit: vetere ira, tanquam recenti liuore percitus, rapto à proximo sibi equite gladio, hominem statim interimit. Tam indignam insignis atque innocẽtis hominis necem religioso loco & die ad Christi passionem recolẽdam celebri, pontifex inæquanimiter ferens, confestim Clotarium repræhendit, monetque iniquissimi facinoris rationem habere, se alioquin excommunicationis sentẽtiam subiturum. Agapiti monita reueritus rex capto cum prudentibus cõcilio, Galteri hæredes & qui Iuetotũ deinceps possiderent, ab omni Francorum regum ditione atque fide liberauit, liberosq; prorsus fore suo syngrapho & regiis scriptis confirmat. Ex quo factum est vt eius pagi & terræ possessor regem se Iuetoti hactenus sine controuersia nominauerit. Id autẽ anno christianæ gratiæ D.XXXVI. gestũ esse indubia fide inuenio. Nã dominantibus lõgo post tẽpore in Normãnia Anglis, ortaq; inter Ioannẽ Hollãdũ Anglũ & Iuetoti dominum quæstione, quasi prouẽtuum eius terræ pars fisco regis Anglorũ quotannis obnoxia esset, Calleti proprętor ann. sal. M. cccc. xxviij. de ratione litis iudiciario

Cranni supplicium. — *Clotarii obitus.* — *Regni Iuetoti principium.* — *Clotarii immane facinus.* — *Rex Iuetoti*

iudiciario ordine se instruens (sicut annotatum a me est) comperisse iudicauit. Huius Clotarij vxor fuit Radegundis, quæ per viri assensum religionem professa, cœlitibus meruit ascribi. Patre enim Berengario rege nata, cum à Francis capta esset, in Clotarij sortem veniens, ab eo in vxorem ducta est. *Radegundis deificata.* Sed casta mulier deo magis quàm viro complacuit. Eius regis decreto diui Medardi monasterium Suessione inchoatum est: sed a Sigiberto filio tandem absolutum. Est in Anglorum gestis, Egilbertum regem, cum ab inimicis propter eius desidiam risui haberetur, filiam regis Francorum, cuius nomen silentio prçteritur, vxorem assumpsisse, & cum ea Letardum, virum admodum sanctum, in Angliam nauigasse. *Letardus.* Quo connubio Egilbertus gensque Anglorum didicit modestiam, & cognitionem quandam accepit vnius dei & fidei Christianæ, ita vt ad Anglos proficiscente Augustino, gens tota facilius Christum confessa sit, Pelagij reiectis erroribus. Porro quia nec filiæ nec regis nomen ab autoribus traditur, ego temporum annotationem secutus, hunc fuisse Chilpericum conijcio, aut primum Clotarium. Nam per Clotarij secundi tempora diuus Gregorius pótifex Romanus Augustinum ex monasterio, quod Romæ instituerat, in Angliam prædicationis causa misit. Id autem scriptum a me ideo est, vt intelligant Angli exordium rectæ credulitatis in Christum a Franca muliere accepisse. *Anglorum fides a Franca muliere.*

CLOTARIO sepulto fratribus de partiendo inter se regno consulentibus, cum quisque sibi partem accipere merito speraret, Chilpericus, cui plus ingenij atque astutiæ inerat, præter ætatis legem Parisium occupare cótendit: paternisque thesauris potitus, mox Francorum nobilitatem, quam velocissime potest, ad se vocat. *CAP. 2.* Quos partim in se procliues beniuolentia amiciores reddit. *Chilpericus* Alios quibus aduersam in partem pédere animum commodi expectatione cognouit, magnis admodum donis muneribusque conciliat. Sed, vt est in Gallico prouerbio, *Solicitus sui est nec dormitat inimicus*, cognita Chilperici perfidia, amicorum opera, quos Parisij habebant fratres, inscio Chilperico in vrbem clam admittuntur. Inde fratre deturbato, ne bello res ageretur, Chilperico renunciát, si pro lege patria diuidi inter se regnum volet, liberum sibi ad eos patere regressum. Hac condicione proposita Chilpericus Parisium reuertit. Ariberto, quod prior natu esset, Parisiorum regnum: Gontranno Aureliorum: Mettensium Sigiberto obuenit. Chilpericus Suessionem adeptus est, suscepto secundum seriem cognationis Parisiorum gubernaculo. Therebertus, qui Aribertus dictus est, nulla re insignior fuit, quàm Marcanosæ & Merosidis stupro, quas Nigebrida eius vxor seruitio habebat. Quarum consuetudine rex ita deperijt, vt Nigebrida dimissa, eas in vxorum loco habuerit. *Gontrannus rex Aurelianorum.* Nec deseruit, licet à pontifice Germano admonitus esset. Verum paucis interiectis diebus, vtraque vna cum filio, quem altera ediderat, repentino obitu perierunt. Sed nec diu superstes Aribertus fuit. Gontrannus, quamquam benignior natura fuerit, petulantia tamen atque libidine non dissimilis erat. Nam prçter prostitutas à se virgines, alienas quoque nuptias, spretis legitimis vxoribus, inquinauit. Ab huiusmodi fœdis amoribus abhorrens, Sigibertus Mettensium rex, ad Athanahildũ Hispanum regẽ, misso legato Gogone, Brunechildẽ regis filiam vxorem accepit. Chilpericus vero fratris exemplo adductus, alteram Athanahildi filiam Galsondam coniugem expetit. *Chilpericus Suessionis rex.* Cui, cum Fredegundis quædam forma insigni puella inseruiret, insolens tamen mulier in Chilperici se insinuauit amorem, regemq; ita blandicijs deprauauit, vt odio habitam Galsondam, non vxorię dignitatis, non fœderis nuptiarum memor, laqueo per noctis silentium strangularet. Superinducta Andouera nihilo magis continens fuit, quippe qui Fredegondæ voluptatis illecebrarum amator consuetudine illectus tenebatur. Non possum (quamuis breuitatem initio sim professus) huius pellicis malitiam tacitus prçterire. In Suessionibus loco & plebe humili nata est, in vico Balencurto, specie quidem egregia, atque ingenio, supra fœminæ modum excellenti. Igitur cum Sueuorum infesta Sigiberto gens bellum aduersus eum suscepisset, Chilpericus fratri auxilium tulit. Egredienti domo, cura fuit Andoueram coniugem grauidam fideli sibi cuipiam commendare. Huic negocio idonea visa est Fredegonda *Fredegonda fraus.*

atque ita profectus est. Pariendi cum tempus aduenisset, fœminam regina parit, quæ priusquam baptismo ablueretur, consilio ex Fredegonda capto quænam idonea satis mulier ad hoc sacramentum testis (hoc est commater) adhiberetur, Nulla inquit Fredegonda, nobilior te est, quam huic mysterio anteponas, vt quam carne puellam extulisti, eam prætereà ad spiritalem vitam regeneres. Sciebat enim ex christiano instituto nephas esse, virum mulieris concubitu potiri, quæ baptizando filio commater extitisset, eo pacto Chilpericum a reginæ contubernio disclusum iri, callidissima pellex sperabat. Abluitur ex sententia Fredegondæ filia, atque ei, cui mater Andouera erat, cōmater spiritali regeneratione efficitur, Childehindam ei nomen imponens. Regi domum bello exacto reuertēti gratulabunda pellex occurrit. Narrat quę de nata sibi filia contigerant. Sed dolere se, ait, quòd regina testis & commater ablutionis filiæ esse voluerit. Hæc loquenti Fredegondæ, rex sanctè iurat, si ita compertum haberet, se eam vxoris dignitate donaturum. Ingredienti palatium Chilperico Andouera filiam complexa, salutem impertiri, déq; nata sibi filia gratificari festinat. At rex exulceratus animo, abi, inquit, in malam partem imprudens mulier, quæ tua me insipientia à tuis nuptiis exclusisti. Nec multo pòst tempore rex pontificem, qui sacrum peregisset, ire in exilium iubet. Andoueram vero vna cum filia intra ecclesiæ septa vitam apud Cenomanos agere compellit, designatis, quantum ad annuum alimentum satis esset, prouentibus. Pellicem mox Fredegondam in suis ambitiosus malis Chilpericus vxorem accepit. Adeo nihil videntem hominem reddit cæca libido, & petulans viuendi licentia. Nec vno crimine irretit eum quem deprauauit. Enimuero Chilpericus legitimi contemptor thori, alieni quoque appetentissimus fuit. Sigebertum fratrem suum persecutus est (& vt perfidiorem dicas) grassante in eum fortuna. Nam irruentibus in regnum eius infestis signis, Cacano duce, Hunis: occupatissimoque in eo bello Sigisberto Chilpericus fraternæ charitatis desertor, in Remos ad Sigisbertum pertinentes incurrit, quos præsidio per fratris absentiam destitutos, in potestatem recepit. Verum fugatis Hunis, Sigisbertus victor reuertens, copias in Suessionensium agrum dimittit, quem dedente se populo facile cepit. Theodebertum Chilperici filium in vrbe deprehensum abducit. Sed non multis post diebus intercessione patris liberatus est, Chilperici fide interposita, quòd in Sigisbertum nullo vmquam tempore bellum moueret. Sed fœdifragus rex nihil moratus, bellum redintegrat: cuius illico pœnituit. Nam inferior factus, compulsus est conditiones pacis, quas Sigisbertus voluisset, accipere. Sed nec sic quies facta. Clodouęus ex Chilperici liberis Burdegalam Sigisberti ditionis vrbem cepit. Sed à Singulfo, quem prouinciæ Sigisbertus præfecerat, mox exturbatus Clodouęus, insequente præfecto Parisium ex fuga se recepit. Qua iniuria prouocatus Chilpericus Theodeberto (quem diximus à Sigisberto liberatum) mandat, Neustriam (quæ postea Normannia appellata est) adoriatur. Eam, quia Sigisberto parebat (receptis in ea plerisque insignibus locis) incursionibus vastant. Eodem quoque furore Turonos, Pictauos, Lemouicas, & Caturcos, non clero, non monachis, non sacris virginibus parcens, perdit. Eius petulantiam cum Gondoaldus, Pictauus, qui Sigisberti partium erat, non parua iactura affecisset, & demum mouente in eum Sigisberto fugatus interemptusque fuisset, Chilpericus iniquo animo filij mortem ferens, Campaniam furibundo exercitu excurrit, Remosque iterum spoliat, in quem reductis copijs Sigisbertus hominis temeritatem corripere constituit. Verum intercedentibus vltro citroque legatis, pax icta est. Rebus, inter Chilpericum Sigisbertumque, mature compositis, in Gontranni fratris Burgundionibus imperantis exitium coniurant. Belli causa à scriptoribus non traditur. Inuidisse illi fratres crediderim, quòd ad Aurelianum Gontrāni regnum Burgundionum quoque principatus accessisset. Vt cumque res se habet, leuis existimari potest, quæ facilē habuit exitum. Constitutis itaque ad pugnam apud Victoriacum Archiacúmque copijs, breui momento per legatos conuentum est, Trecas Campaniæ ciuitatem proficisci reges, atque illic pacis conditiones dicturos: Quam in diui Lupi templo reges interposito iureiurando postea firmauerūt. Abeuntibus

Institutum Christianum, sed a Christo nusquam mandatum.

Chilpericus in Sigisbertū fratrem bellū mouet.

Bellum in Sigisbertum.

Superatur Clodoueus.

Neustriam Theodebertus incursat.

Theodebertus occiditur.

Chilpericus campaniā vastat.

Tumultus in castris Sigisberti.

euntibus inde regibus milites Austracij, qui Sigisberto parebāt, queruntur, quòd nihil ad se, neque gratiæ, neque honoris, sed neque prędarum deferretur: eos omnibus prælijs primos adesse, vltimos esse quibus aliquid mercedis à rege contingeret. Placere quidem cum Gontranno pacem, sed Chilpericum exosum habere, quòd præter regiam dignitatē spurce viueret. Hac militum tumultuatione tradūt Sigisbertum copias in fratrem, nihil belli ab eo timentem, imo etiam exercitu nudatum, conuertisse.

Bellum in Chilpericum.

Hac re per nuncium accepta Chilpericus suis rebus desperās, quàm festinantissimis itineribus potest, Tornacum vna cum Fredegonda & liberis se recepit.

Chilpericus Tornacum petit.

Huic repentino Chilperici malo incommodum aliud fortuna inuexit. Procedenti cum copijs Sigisberto, magnus procerum atque equitum numerus, qui à Chilperico defecerant, ad Victoriacum occurrit, quos iuramento obstrictos in exercitum admittit, præter Anselmum, qui integra in suum regem fide, negat se Sigisberto auditurum: atque ita dimissus Anselmus ad Chilpericum migrat.

Anselmus domino fidelis

Cognita fratris fuga, Sigisbertus fugientem insequi pergit. Ciuitatem milite circundat. Eo metu fractum animo regem quum intellexit Fredegonda, audax facinus cogitat. Vocatos ad se clam duos, quos ad negocium promptissimos iudicabat, magnis pollicitationibus allicit, in castra Sigisberti se conferant, regemque interimant. Si salui se receperint, fore vt præclaris fortunis abundent. Sin illustri facto oppetant mortem, collaturam se templis atque sacerdotibus donaria, quibus saluti animarum suarum bene consulat deus.

Fredegonda Sigisberti necem procurat.

Egregia ratio

Recepto à Fredegonda negocio, securi sui satellites in familiam regis Sigisberti se insinuant. Sigisbertum mox (conuenienti eorum cœptis tempore) confodiunt. Ad regis necem tumultu per castra exorto, sicarij interficiuntur. Cum clamor & strepitus in vrbem delatus esset, nec causam sciret Chilpericus, Fredegonda festinans regem securo animo esse orat, dicens tumultuari & lamentari in castris milites, propterea quod Sigisbertus morte esset absumptus. Vix hæc nuncianti vxori Chilpericus credit. Sed multorum nuncio firmatus in castra contendit. Cui obuij primores exercitus regem consalutant, iurantque in verba Chilperici. Quos liberaliter regiéque primò habitos hortatur, beniuolentiam in se fidemque seruent. Nonnullos tamen de se benemeritos minore, quàm sperauerant, æstimatione & gratia tractauit.

Chilpericus à militibus Sigisberti rex salutatur.

Fraternum deinde funus more regio curauit, extructo Suessione in diui Medardi æde sepulchro, vbi iuxta Clotarij tumulum appositus est, postquam annos XIII. regnasset. Fratris exequijs debita religione absolutis, Chilpericus Brunechildem Sigisberti vxorem, quæ filium Childebertum Parisij habebat, Rothomagum exulare cogit, recepta ingenti pecunia, quæ penes eam erat. Causa exilij fuit, quod Childebertum filium, ne in Chilperici potestatem veniret, Gondebaldi ducis ministerio fune per fenestram demissum ad Mettenses deferri mandauerat. Mox ad Bituriges, & eas vrbes, quæ ad Ligerim fluuium sitæ sunt, ne quid turbæ molirentur, Merouæum filium mittit, qui eas recipiat. Sed neglecto patris imperio, Merouæus Cenomanum, vbi dolo Fredegondæ mater eius Andouera exulabat, diuertit. Deinde Brunechildis viduæ recordatus, Rothomagum contendit: ibique mulieris ingenio delectatus, eam duxit vxorem.

Merouæus paterni mandati spretor.

Quare indignatus Chilpericus, veritus, ne astu Brunechildis in patrem filius armaretur, Rothomagum citus proficiscitur. Cognito eius aduentu, noui coniuges in templum diui Martini, quod pone vrbis muros ligneis tabulis constructum erat, se committunt. Ex quo cum illos educi inuitos per legem non liceret, solita perfidia rex vsus, sancte illis iurat, si ad se veniant, nunquam illos à thoro separare. Egressi templo, postquam vno alteroque die apparatissimis conuiuijs accepti a rege fuissent, filium renitentem à Brunechilde Parisium abducit. Quem paulo pòst ecclesiæ sacris addixit. Sed suasu Gontrandi reiecto clericatu, ad secularem vitam reuersus est. Latuit inde metu patris in beati Martini Turonensis templo. Inde cum eruere eum Chilpericus quæreret, sortibus Merouæus egit, quibus illa ætas ad insequentem modum impune vtebatur. Dies tres apertis coram se sacris codicibus pernoctans Merouæus, diuinum oraculum expectat, reuoluto codice, in librum regum

Sortes.

Ecce Theologia praxin Romanam & catholicam.

oculos intendens, ita legit. *Quia reliquistis dominum deum vestrum, tradidit vos in manus inimicorum vestrorum.* Secundò, Dauid Psalmos scrutanti mox illud occurrit: *Deiecisti eos dum alleuiarentur.* Tertiò, ex Christi euangelio offendit, *Scitis quia post biduum pascha fiet.* His tanquam ad se diuinitus pertinentibus oraculis, confirmatus Meroueus, templo egreditur comite Gontrando. Inde sex ex omni numero seruis (Gregorius scribit quingentis) secum desumptis, per Altissiodorum atque Diuionem in Campaniam migrat, vbi ab incolis depræhensus in desperationem venit, patrem, maxime formidans. In eo mentis agone constitutus, seruum orat Gaildum, vt eum perimat, a quo mox percussus, interijt. Interim dum hæc aguntur, nunciatur Chilperico Campanos Suessionem occupasse, quam mox paruo negocio recepit, interfectis ciuitatis primoribus, qui cum Campanis senserant. Eodem fere tempore ad Turonos Petragoriosque atque Aginenses, Clodoueum filium cum exercitu legat, cui Desideriũ, nobili ortum loco, cõsiliarium attribuit. Per id tempus Monmoleus a Gontrando regioni præpositus, accepto Francorum aduentu, cõtractis copijs in eos mouet. Cõmisso prçlio Monmoleus non sine suorum cæde victoria potitus est. Nam ex suis quos in aciem Monmoleus eduxerat millia quinque desiderata sunt, cum ex Clodouei exercitu viginti quatuor millia cecidissent. Tam graui Chilpericus incommodo affectus, bello tamen non abstinuit, nunc hinc, nunc illinc arma circumferens. Abstulerat Chilpericus Varroco Britonum regi vrbes quasdam. Quas ne repeteret veritus, aduersus eum (si forte incautum intercipere posset) Pictauis atque Andegauensibus mandat, copias cogant & Varrocum insidijs fallere tentent. Cuius rei gnarus factus Varrocus, exercitum parat, intempesta nocte hostem inuadit, funditque multis occisis. Sed tertio pòst die, Chilpericus cum Britone paciscitur, misso ad eum obside filio, restitutisque quos occupauerat locis, quibus etiam addidit & Vannas maritimam vrbem, conditione annuæ pensionis apposita. Tot bellorum turbinibus impeditum regem Fredegonda nihilominus sollicitat, mulier ad discordi am nata. Erat Prætexatus Rothomagorum archiflamen: hunc detulit regina consiliatorem nuptiarum Brunechildis cum Merouco extitisse, eique aduersus Chilpericum consensisse: Brunechildis quoque cum preciosiora bona apud se habuisset, ea mulieri (nesciente rege) restituisse. Muneribus præterea apud populum egisse, vt Chilpericum occiderent, quibus irritatus iam in Prætexatum regius animus, odio indies magis torquebatur. At quia præsuli manus inferre non temere audebat, cõtrahit in Petri apostoli templum episcoporum consilium: In eo præsentem Prçtexatum insimulat, eorum quæ supra a Fredegonda suggesta fuisse retulimus. Quæ nullo teste cum a rege tantum dicerentur, sanctior pontificum sententia (quam sequebatur Gregorius Turonen.) propiciari Prætexato videbatur. Plærique in diuersam partẽ adducti, Chilperico scilicet assentabantur. Inter repugnantes igitur sententias, quandoquidem Chilperico non pateret via Prætexatum damnandi, pauci, qui partes eius tuebantur, episcopis negocium Chilpericus dat, Prætexatum conueniant: regis benignitatem patefaciant, qui in humiles etiam crimine conuictos indulgentissimus sit. Si culpam confessus, ad misericordiam confugerit, afferant se Prætexato liberalissime omnia remissurum. Suasus ab episcopis Prætaxatus in consilium venit: aduolutusque ad pedes Chilperici, maiestatem se regis quidem offendisse confitetur, sed pientissimum regem esse qui lapsis misereri non neget. Ad hæc Prætexati verba, sella regia exurgens rex, mox in genua demissus, quasi humilitate simul & regia mansuetudine contionem flexurus esset: Vos, inquit, reuerendissimi præsules confitentem reum audiuistis. Rubore moti pontifices, quod regem humi demissum intuerentur, eum erigunt. Quo vno tantum rex assentiri sibi patres interpretatus, ad palatium redit, inde missis ad consilium quibusdam pontificij iuris canonibus, quibus iudicatos maioribus criminibus sacerdotes dignitate exui mandabatur: Bertrandus in primis Burdegalensium antistes ad prætexatum conuersus, dudum, inquit, episcope frater commercium tuum non erubuimus, nunc absque regis beniuolentia communionem tuam admittere non possumus, atque ita Prçtexatus consilio extrusus est. Quem apprehensum

Meroueus a seruo occiditur.

Monmoleus a seruo occiditur.

Bellum aduersus Britones.

Fredegonda Pretextatũ accusat.

En pontifices etiam regibus assentantes, ad impotentioris interitum.

Pretexatus pontifex in exilium mittitur.

henſum rex ergaſtulo ſeruari mandat. Inde cum liberatur, ferme noctu euaderet. Cōtumelia vulneribuſque affectus tandem in inſulam Conſtantianę diœceſis relegatur. Ad hunc modum Chilperico ſæuiente, cum nec ſuis parceret, nec alieno abſtineret, Gontranus Aureliæ rex Childebertum nepotem, qui Mettenſium regno præerat, acceſſit. Eo apud pōtem Petreum corā poſito, orbus, inquit, amantiſſime nepos ſum liberis, nec ſobolis mihi ſpes per hanc ætatem vlla relicta eſt. Te liberorum loco habere conſtitui, ita vt filius adoptione meus ſis. Regni bonorumque hæres eſto, nec me ſecus ac patrem colito. Gontrano hæc dicenti, quia puer erat Childebertus, cum ample ſatis reſpondere non poſſet, vnus ex proceribus aulicis gratias copioſiſſime egit. Deinde muneribus vltro citroq; datis atque acceptis, de Chilperico habita ſunt verba: qui ambitione & armis terras ad Gontranum pertinentes occuparet. Eam ob rem ad Chilpericum mittunt qui ablata recuperent: alioquin bellum denuncient. Quo nuncio indignatus rex, ſupra quam ſolitus erat, ira incanduit. Ad hanc quoque regis perturbationem alia à Britonibus orta nunciantur. Hi infeſto agmine in agros Redonicorum ingreſſi ad Cornutum vſque vicum omnia populabantur. Quos vt ab incurſionibus reuocaret domum, Bibolenum bello aſſuetum hominem, Chilpericus cum multis copiis in Britones mittit. Quorum terræ, duce Regio Nauetum vſque vaſtatæ ſunt, atque ita repetentes domū Britones, qui in Redones graſſabātur. Non multo poſt Francis Britannia exeuntibus, hoſtis Brito iterum conuertitur. Interea inquietus Chilpericus, Pictauos, qui Theodeberto parebant, in poteſtatem accepit, fugato Theodeberti præfecto. Et quo magis regis huius efferatiſſimos mores ſtupeas: Cum Dacus quidam falſo ne an vero crimine delatus à Souſtrio duce, in carcere Chilperici iuſſu teneretur, quia ſcilicet admiſſo ad ſe in carcerem ſacerdote, peccatorum pœnitentiam inconſulto rege feciſſet, necari protinus iubet. Nec finis erat malorum Chilperici. Legem fert, ſingulos qui vineas vel poſſiderent vel colerent, pendere quotannis in vſum regis vini vrceolum, id eſt, amphoram. Cui tributo legendo Marcus quidam apud Aquitanos quæſtor poſitus, dum penſionem ſuperbe contumelioſeque exigit, à Lemouicibus occiditur. Inter hæc continuis imbribus Aruernia menſe Septembri inundauit, ita vt melior eius pars, quam Alemaniam vocant, ſtagnaret, & lacus eſſe putaretur. Quamobrem ſementem facere agricola non potuit. Amnes quoque Liger & Melacris ſuperatis ripis confuſi, in agros ſe diffuderunt, pecora cum ſegetibus rapientes. Rhodanus prętêrea præter morem excreſcens, ſe Arari permiſcuit. Quo diluuio plurimæ ædes, & muri Burdegalę vrbis partim corruere. Defluentibus tandem aquis, cum ſolum apparuit, gratiſſimus florum decor arbores veſtiuit, nullo inde fructu ſuſcepto. Viſum item eſt per Turoniam frequens & ſtupendum fulgur, cum fragore arborum. Apud Burdegalam terręmotu perterriti ciues, in alias ciuitates ſe receperūt. Nec Pyrhenus mons hunc tremorem ignorauit, ruentibus inde grandibus ſaxis ad hominum pecorumque perniciē. Ignis etiam cæleſtis in Burdegalam demiſſus, complures vrbis domos vna cum areis cōſumpſit. Simile incendium Aurelia perpeſſa eſt. In agro Carnutium ex effracto pane ſanguis profluxit. Et denſiſſima grando grauem Biturigibus calamitatē importauit. Quæ mala ſecutum eſt alui profluuium & æſtuans febris: quibus morbis comes erat vomitus & renum dolor, cū capitis & ceruicis grauedine. Interim Chilpericus feruenti febre maceratus eſt. Conualuit tamē. Mox ſanato patre, vnum ex liberis recētius natum morbus occupat, qui lauacro ſacro poſtquam ablutus eſt, dolore leuatur. Sed nec infantis ſalus Fredegondæ diu iucunda extitit. Maior natu qui erat ei filius ea profluuii peſtilentia intabuit, qua omnis ferme Chilperici cognatio, velut aliquo deſuper immiſſo contagio, conſumpta eſt. Tot igitur malis crebriſque doloribus admonita ſui Fredegonda, regem adiit. Memorat dei beneficia, quibus cum ampliſſime donati eſſent, ingratiſſimi tamen pluribus ſceleribus ſe commaculauerunt. Nunc eorum quæ flagitioſe perpetraſſent, vindicem adeſſe deum, qui liberis, inquit, noſtris vno tempore ægrotantibus, cognationis quoque noſtræ bona parte fato vltimo ſublata, nos vlciſcitur. Dum proſpera nobis fortuna blandiretur

Bellum in Britones.

Crudelis Chilpericus.

Chilperici quæſtor a Lemouicibus necatur.

Inundationes & ſæuitia cæli.

Morborum illuuies.

Chilperici domus infortunium.

Vexatio dat intellectum.

blădiretur, ferebamur elati ad omnem iniuriam, rapuimus aliena, subditis legum iniquitate grauatis nihil pepercimus, nec à genere nostro tēperantes, alios opprobriis, alios carcere, atque alios exilio, nonnullos parte bonorū mulctauimus, plurimos vindice ira morte sustulimus. Iam igitur sua nos deus iracundia, vt resipiscamus, pulsat, cuius patientiam longitudine peccandi habuimus irritā. Execremur, oro Chilperice priorem illam vitæ consuetudinem, & tentemus vera pœnitudine placare, quem tam multis flagitiis offendimus. Chilpericus hac Fredegondæ cōploratione permotus, simul quòd tres sibi filios breui tēporis interuallo mors eripuisset, benignior deinceps fuit, atque quam de vinearū cultoribus legem tulerat, abrogauit: dei tēpla magnis donariis cumulauit: inopes frequenti liberalitate cōsolatus: Filium Clodouæum altera vxore susceptum, quem impellente Fredegōda vinctum in castello Brennæ habebat, cum occidi imperasset, custodia eduxit. *Adeo maxime potens est reuocare ad bonam mentem insanientium animos, virtutum stimulus, aduersitas.*

Austrigildis.

Erat Gontrano regi vxor Austrigildis, maligna mulier & sæua. Quæ eadem peste laborās, cum sentiret nulla sibi medicorum ope posse subueniri, ad virum conuersa: ecce, inquit, mi vir in mortē eripior, propter potiones quas medici confecerunt. Te per cōiugij fidem obtestor, cum è vita excessero: cura, ne peream inulta. Iube medicos duos, quorum dolo morior, capite damnari: vt par dolor sit eorum beniuolis: qualem eis cōiector amicis affuturū. Hac vxoris querela motus rex: funere statim expleto, innocentes medicos necat.

Mauritius imperator. *Longobardi in Italia.* *Chilperici auaricia.*

Per id tempus Longobardi partem Italiæ occupantes Mauricio imperatori non parebant. Eos, quia id nec modeste ferre, nec exturbare hostē commode Mauricius posset, tentat Chilpericum pecunia, si forte aduersus illos cōparato exercitu Italia expellat. Chilpericus mille auri pondo ab imperatore missa accepit, statimque in Longobardos mouet. At illi cum in aciem prodire munitis locis defensi non auderent, Chilpericus grădi pecunia ab illis donatus: pace data in Franciă reuertit. Ea re cognita, Mauricius per legatos Chilpericū monet, aut pecuniă restituat: aut, veluti conuenerat, hostem Longobardum Italia deturbet. Chilpericus, qui parui (vt fere omnes) imperatorem haberet: nullo illum responso dignatus est. Quem nihilominus res, quam mox narrabimus, mitiorē fecit.

Nigegonda Gothorum contumeliis afficitur.

Nigegōda Chilperici soror Hermegildo Gotho nupta (qui Hispaniæ cum patre Hengildo imperabat) virū Arriana impietate deceptum, tum sua tum Leardi sanctissimi viri opera ad rectam fidei regulam reuocauit. Qua re per Gonsaldam ad regem Hengildum delata, virum suum Hermegildum pater dominicæ resurrectionis festo die, in ergastulo securi trucidauit, Progressusque ad malitiā, multis persecutionibus affecit Christianos. Cuius vt sæuitiam fugeret, Nigegonda: Hispania excedere & ad Francos proficisci tentauit. In itinere à militibus Bisantinis, quod aduersus Gothos, Mauricius imperator in armis habebat, cum filio deprehenditur. Illa dum ad Mauricium ducitur: mœrore confecta mulier interiit: filius Cōstantinopolim ad Mauriciū ductus est. Chilpericus & filii & sororis acceptis iniuriis, grandi exercitu coacto in Hengildum persecutionis autorem mouet. Fiunt vtrinque & prælia & cædes, sed Gothorum longe plures.

Bellum in Hispania.

Quibus abunde satiatus & ingenti præda onustus Chilpericus domum se contulit. Reuersum Mauricius per legatos hortatur, Longobardos, sicuti data fide conuenerat, Italia expellat. Negocium Chilpericus eo libentius suscepit, quo sororem filiumque facilius ad se remitti sperabat. Nam de sororis morte nondum cognouerat. Ea expeditio irrita fuit. Orta enim ab Alemanis, qui Chilperico auxiliares venerant, in Francos seditione, regem arma promouere non permisit.

Chilperici impietas in deū.

Nec multo post Chilpericus, cuius malitia in homines multis fraudibus perspicua esset: in deum quoque impietatem meditatus est. De diuina siquidem trinitate ita credi voluit: vt non tres in illa discretas personas: sed vnam confiteretur, quam patris interdum nomine: interdum filii: nonnumquam spiritussancti sacræ litteræ designarent. De qua etiam perniciosissima hæresi ad pontificem atque in primis Gregorium Turonensem litteras dedit. Vtque idoneos suo errori testes adhiberet, Hilarium Augustinumque primæ inter Christianos auctoritatis doctores, in hac parte esse, confirmat.

At Gregorius homo in primis sanctitate spectatus, regem admonet: caueat dei indignationem tanta impietate prouocare: impium maxime esse quod diceret: nec religioni catholicæ conuenire: quinetiam eos, quos in testimonium citabat, tam religioso dogmati repugnare: eosque longe secus scripsisse & docuisse. Aegerrime tulit Chilpericus Gregorii responsum, atque ira feruens: à pontifice igitur, inquit, consilium de hac re capiemus. Mox ad regem venienti Saluio Abigensi cuidam ex aulicis episcopo hæresim patefacit, producta etiam charta impietatē continente: eamque ad aures pōtificis secreto recitauit. Sed tametsi Saluius animum in re pręsenti continuit: vultus tamen indicio intellexit rex, sacerdotem ei non assti pulari. Et cum reliquos omnes idem facturos: repugnaturos quoq; sibi dubitaret: in sententia non perstitit. Tradunt auctores Chilpericum, cum græce latineq; eru tus mediocriter esset, ad litteras nostras tres insuper grçcas α, θ, ω, intulisse: quę & in diplomatibus atque chirographis eius, de donatis ecclesię prouentibus exscriptis, plurimo post tempore permanserunt. Interea Lendascus Turonis à rege præpositus comes, quòd populum durius infestaret: Gregorioque antistiti ciuitatis irreuerens atque infestus esset, magistratu remouetur. Nam per id tempus regendis pro uinciis comites pręficiebantur, non secus ac magistratus, quos Balliuos Senescallosque nunc rex instituit. Hique pro regis libidine dimouebantur. Qua insignis ignominia Lendascus, Gregorium proditionis insimulat: quòd scilicet Turonum vrbem Gontrano prodere cogitaret, aususque esset reginam stupri cum Bertrando Burdegalæ pontifice consuetudineō ctaminare. Cuius lasciuię assertorē Lendascus effecerat quendam Rigulphum Gregorio aliquando familiarē: qui sacerdoti obtrectans, eum, quatenus poterat, maledictis persequebatur. Ea re grauiter permotus rex, concilium episcoporum ad Brennacum oppidum contrahit. In eo Gregorius, cum nullius in regem offensæ conscium se diceret: simul persancte more maiorum tertio iurasset: nihil eorum quæ ad regem de eo delata essent commisisse: ea assertione purgatum esse Gregorium, concilium iudicat. Tunc coram introduci Lendascum rex mandat. Sed cognito patrum iudicio, sibi timens Lendascus, perfugerat. In contumacem lata excommunicationis sententia est. Qui diu profugus, amicorum ope Chilperico reconciliatus, cum reginam pacare speraret, ad eam in sacello orantem accessit: petitque humi pronus remitti sibi quæ peccasset: prostratum sacello excedens regina despexit. Sed nec sic desperans Lendascus auariciæ recordatus muliebris: muneribus reginā mansuescere posse, sibi persuadet: ipse ad nummularios veniēs dum preciosiora quæque venalia perquirit, à reginæ satellitibus cum deprehēsus esset: vno illorū grauiter vulnerato elapsus, dū ad Sublitium pontem, qui Sequanam iungit, altero pede, inter duo male commissa tigna, prolapso, crus fregit: quem vrbe exportatum quamquam rex curari mandaret, reginæ tamen iussu gulam eius satellites infregerunt: Rigulfo vita intercessore Gregorio donatur. Sed tormenta non euasit, donec dolos omnes detexit. *Nō facile obliuiscitur sui scelerum insueta malicia.* Fredegonda, quæ filiis omnibus orbata pœnitentiam profiteri videbatur, Clodouęū, quem diximus custodia à patre emissum, persequi rursus perseuerat: ea maxime causa, quòd illum Chilperico successurum hæredē formidabat. Et ne hoc sibi dolere mōstraret, fingit causas, quamobrē patri merito foret odiosus. Erat Clodouęo cum scorto quodā voluptatis cōtubernium. Eique scorto mater erat vetus. Vtraque ad reginam delata est: illa quòd multorum causa malorum esset, hæc, quod maga: & per malefici demoniacæ artis Fredegondæ liberos sustulisset. Depręhensam igitur pellicē Fredegonda palo trāsfigi ante Clodouęi ædes mādat. Matrē longo cruciatu per tormenta examinatā crimē confiteri coegit & cōfessam cremari. Nec cessat cædis appetēs mulier: donec Clodouęū exterminet. Orat igitur regē, pœnam de filio sumere: cuius assensu tres filios amisisset: quique regnū patre superstite affectaret. Chilpericus nihil mulieri negare assuetus: venatum proficiscēs Clodouęū vna venire iubet. Dum ad siluam ventum est: ligatum filium ad Fredegondam mittit pater. Illa coram positū rogat, qui sint proceres, qui partes eius aduersus Chilpericū tueātur. Clodouęus, vt fœminę timorē suspicionemque incuteret, plerosq; ex Fredegondę seruitio nominat

Lendascus comes.

Accusatur Gregorius Turonensis.

Lendascus necatus.

Fredegonda pertinax in maliciis animus.

Clodoueus Fredegōdæ iussu occiditur.

Mox

Mox custodiendum militibus Clodouæum tradit, imperans vt in costas eius traiecto gladio necent: relicto in vulnere mucrone, quasi mortem sibi ipse consciuisset. Eius necem perfacile Chilpericus tulit. Sepulchri tamen honore dignatus est: & ad matris tumulum humari. Hinc ad exhibendos populo vetustissimo Romanorum more ludos se conuertit, instituto Suessione circo, intra quem equites in gyrum cursitarent. Causa interea belli Chilperico incidit, Theodoro Massiliensi antistite de sede eiecto: fortunisque eius omnibus, autore Dynanno, direptis, qui terræ prouinciæ sub rege Gontrano imperitabat. Hunc Theodorum ad Childebertum fugientem Gontranus deprehendit. Ea re cognita, Childebertus, cui ex dono Gontrani dimidium vrbis Massiliæ attinebat, Gontranum legatis missis, petit, debitam sibi partem restituat. Negat se Gontranus regis iussa facturum. Quinimo omnibus aditis, præsidium imponi iubet: ne aduenienti Childeberto pateat via. Erat regi Gondesillus summo genere natus perfamiliaris. Hunc ducem copiis prefectum Massiliam Childebertus mittit, qui ciuitatem recipiat restituto Theodoro. Accedenti Gondesillo Massiliam ingredi Dynannus prohibuit. Qui non multo post verbis suasus Gondesilli ad beati Stephani templum, quod extra vrbē non procul à muro est, venit: quem vnicum ad se admissum Gondesillus de Theodoro expulso, deque rebus male ab eo peractis arguit. Et nihilominus mandat vocari ad se primores ciuitatis, apud quos erat illi à Childeberto mandatum negocium. Dynannus hac re territus, supplex orat, id ne faciat: paratum se esse patefacere illis vrbem. Et deinceps iurare in verba Childeberti Theodoroque pariturum. Dimissus Dynannus, promissa implet. Massilia igitur recepta & Theodoro restituto, ad Childebertum reductis copiis Gondesillus reuertitur: at Dynannus abeunte Gondesillo ad Gontranum mittit, qui Massiliam recuperet. Cui tamen cœpto Theodorus obstitit. Ex hac causa, quęcunque superioribus annis inter Childebertum Gontranumque pacta conuentaque erant, irrita habita. Erat Childebertus Chilperici ex fratre nepos, qui Gontrano cum infensus esset Gillonem Remorum antistitem quibusdam sibi proceribus attributis ad Chilpericum mittit: occasione hinc sumpta, vt superioris anni fœdus inter reges constitutum fide scriptisque firmaretur. Sed primaria legationis mittendæ causa fuit, vt de Gontrano quereretur, cum quo nec fidem nec amicitiam conseruare potuisset. Quamobrē, inquit, Gillo Childebertus tuus, ô Chilperice, nepos te petit: liceat iunctis copijs vestris in Gontranū arma sumere: vt quę tibi atque illi perfidus princeps abstulit, recipiamus. Lętus autem oratione Chilpericus, conuenta omnia grata habuit. Bellū insuper, quod iamdudū agitabat, ab vtroque rege geri, placere respōdit. Nec mora, exercitus parātur qui partitis agminibus incedentes, Bituriges inuadunt: partē copiarū Desiderius vir strennuus ducebat. Huic ad Mediolanum castellū, cui nomen nunc est Magdunū, Bituriges cum quindecim millibus armatorum occurrūt. Pugnatum est æquo marte, & ex vtraq; acie septē hominum millia cecidisse referuntur. Dum vtrinq; pugnatur: reliqui duces Berulsus Andegauorū præfectus, & Bladascus obsidione vrbē cingunt. Gōtrano subsidiū suis ferre festinanti nunciatū est, partē hostium è castris prędatum abiisse: eosq; nō procul abesse. Quo cognito Gontranus militē in armis paratū esse iubet. Inuentos mox prędones nō magno labore fudit. Postquā omnes regū copię, quasi ad pugnā instructæ, mutuo se conspectu intueri possent, spectatissimi homines, vt quisque suo regi assistebat: metientes animo quid incōmodi, si prẹlio decertaretur, cōtingeret: vltro citroq; cōmigrant: si forte irritatos regū animos reducere ad beniuolentiā possent. Nec inanis fuit labor. Ita constituta est res, vt ablata restituerentur. Discedentibus copiis, Chilpericus suis imperat, continere à prędа & rapinis manus. Cuius rei præuaricatorem, qui Rothomagorū comes erat, incādescens Chilpericus gladio transfixit. Hoc exemplo reliqui absterriti, cōtinentiores ibant. Per hos dies cometa visus est, fusca nube circūdatus, radio vno fulgens. Suessione cœlum ardere conspectū est. Parisii sanguis à nube in multorū vestimēta stillauit. Siluanecti interior cuiusdam agricolę domus sanguinolenta inuenta est. Post huiusmodi prodigia, inguinaria pestis multos absumsit. Dum hæc geruntur, Theodorū quem

Causa belli in Chilpericum.

Bellum in Biturigibus aduersus Gontranum.

Prodigia varia.

quem Fredegonda pepererat, infantem mors rapuit. Eius interitum mater quorundam suasu in Momoleum, cuius supra feci mentionem, atq; in quasdam mulieres magas transfert. Mulieribus depræhensis, cognoscit eas quidem complures interemisse, quorum cruor ad Momolei salutem profuisset. Deinde Theodorum quoq; in similẽ vsum fuisse necatum confitentur. Sumptum est de illis suppliciũ. Aliç viuç crematæ: aliç circumactç. Momoleum cùm Chilpericus morte affecturus esset, à Fredegonda rogatus, dimisit. Sed cum esset variis tormentis toto corpore maceratus, paulo post interiit. Hunc Fredegondæ maternum dolorẽ Clotarius, qui ex ea non multo post natus est, infans oblitterauit. Cuius exortum tanta læticia Chilpericus excepit, vt recludi ergastula, & custodias laxari, emissis inde vinctis, mandauerit. Sed (vt sunt res humanæ) læticiam mœror intercepit: formidante Chilperico Gontrani aduersum se atq; Childeberti confœderationem. Eam ob rem thesaurum suum omnem & preciosissima quæq; exportari Cameracum iubet. Quam vrbem scilicet munitissimam incolere, & in ea se tueri statuerat. Tantus illi metus à fratre nepoteq; fuit: vt in agris tentoria non secus ac in bello haberet: in eisq; pernoctaret: militibus ad excubias vigilantibus. Adeo meticulosa est malorum testis conscientia. Ad omnia pauet, dum nemini confidit. Interea tamẽ ad vicum Callam, qui à Materna flumine non procul abest positus, venationibus se oblectabat. Ad quas cum die quodam se parasset, in cubiculum Fredegondæ ingressus, cum eam quietis causa decubantem vidit: tenui admodum, quem gerebat, baculo Fredegondam, à tergo ludens, percussit. Quo ictu in partem alteram vt ludentem cognosceret se regina non conuertit: sed suspicata Landericum esse, qui palatio præerat: Landerice, inquit, vt quid me ferire audes? Huius Landerici vxorem Chilpericus stuprabat: quare Fredegondç responso perculsus, suspectam de adulterio Fredegondam habuit: atq; ita leuandi mœroris causa venatum pergit. Fredegonda rege à se abeunte sensit verbo offensum esse Chilpericum: quare verita, id quod vero simile erat, ne regis animo suspicio stupri altius insideret: mulier multis homicidiis insignis, ausa est memorabile facinus tentare. Landericum clam ad se vocat: quæ sibi contigerant, meminit. Monet non cubiculum sed sepulchrum cogitet. Haud dubium sibi esse, regem pro confesso habere, Landericũ cum ea consuetudinem fecisse illiciti amoris. Turbatus animo Landericus præsentem adesse sibi mortem arbitratur: seq; veluti iam captum rapi ad supplicium putat. Quem supra quàm virilem animum decet, cùm videret Fredegonda intabescere, vna, inquit, Landerice, res est, quæ nos à periculo eximat. Solet à venationibus Chilpericus nocte plurima domum reuerti. Age igitur impigre, & facinorosos quosuis homines & sanguinarios pecunia muneribusq; sollicita, qui per noctis caliginem Chilpericum ex equo descendentem citis vulneribus necent. Hoc pacto & mortem superabimus: & regno potiemur. Reginæ consilium secutus Landericus sicarios in insidiis locat. Hi vt conuenerant, regem inter tenebras adoriuntur atq; interimunt: atq; noctis beneficio defensi, perpetrato homicidio exclamãt, Chilpericum interfectum esse: & quasi homicidii expertes ipsi essent, Childebertum auctorem parricidii vociferantur. Aulici, ascensis equis, huc atq; illuc depræhensuri fugientes homicidas, frustra discurrunt. Madulphus Siluanectensis præsul eo tempore aliquid negocii in curia habebat. Is rege cæso, sepeliendi officium exhibuit: atq; naui impositum secundo flumine ad diui Germani de Pratis, quã rex exstruxerat, ædẽ extulit: vbi etiã nunc eius sepulchrũ visitur. Tã misero vitç exitu Chilpericus regnũ reliquit, homo impudens arrogansq;: *qui cum amicum neminem obseruaret, nemo illi amicus fuit.* Exscripserat, nescio, quot libros incondito versu, aliosq; non paucos: quos impiam scilicet rem continentes, viri sapientia probati, deletos prorsus exterminauerunt. Sed iuuat me Chilpericum à tergo relinquere, pauperum quidem abiectorem, sacrarumq; ædium osorem, irrisorem insuper ecclesiastici ordinis, qui pluris semper existimauerit recenter ad fidẽ conuersos: quàm eos quos diuturna religio commendabat: illis ecclesias attribuens: his perraro ministrans: vni tantum Germano Parisiorum antistiti obseruantissimus fuit. Cuius sepulchrum hoc à se edito epigrammate dignatus est.

Chilpericus filiolum à sagis interemtum vlciscitur.

Clotarius fecundus nascitur.

Fredegonda in regem, scelere non carentem, scelus.

Ecclesiæ speculum: patriæ vigor: ara reorum:
Et pater & medicus pastor amorq; gregis.
Germanus virtute, fide, corde, ore beatus:
Carne tenet tumulum: mentis honore polum.
Vir cui dura nihil nocuerunt fata sepulchri:
Viuit enim. nam mors, quem tulit ipsa, timet.
Creuit adhuc potius iustus post funera. Nam qui
Fictile vas fuerat, gemma superba micat.
Huius opem ac meritum mutis data verba loquuntur:
Redditus & cæcis prædicat ore dies.
Hunc vir Apostolicus rapiens de carne trophæum,
Iure triumphali considet arce throni.

Chilperici igitur ingenium & mores execrari debebit, quisquis ad gerendam rempublicam optimus accedet.

CAP. 3.

NVNC Fredegondæ reliquias persequamur. Interempto Chilperico Fredegonda suis fortunis timens, se cum omnibus opibus ad beatæ Mariæ Parisiensis ædem, tanquam ad asylum, transfert. Quam liberaliter accepit loci antistes. Thesaurum qui penes Chilpericum erat, dum apud Callam ageret, quidam aulici auferentes ad Childebertum pertulerunt. At Fredegonda rebus suis filioq; tutius consultum iri cupiens, Gontranum Aureliæ regẽ per nuncios orat, sibi Clotarioq; tutor assit. Nec tardat Gontranus: venienti, vrbe egressa Fredegonda, obuiã progreditur. Suscepta nepotis tutela, per regni insigniores vrbes circumferri Clotarium infantem iubet. Qui Clotarium circumferebant, proceres: vrbes Gontrani nomine in fidẽ recipiunt. At Gontranus popularis inconstantiæ non ignarus, cum in æde diuæ Mariæ esset, ingensq; populi turba astaret, facto silentio: Viri, inquit, Parisienses, qui huc conuenistis, vos oro, seruate stabilius in me fidem, quàm in fratrem habuistis, vt & meum nepotem in pace educare, & vos iusticia moderari possim: ne (quod nolit Deus) aut ille sine tutore, aut vos sine administratore periclitemini. Gontrani oratione lætus populus: principis humanitatem fidemq; collaudat, Deum precatus, vt illum saluum faustumq; seruet. Fuere per id tempus motus quidam belli, repetente Gontrano loca quæ Childebertus occupabat. Sed Ganescus Pictauorum comes, qui Childeberti partes tuebatur, Lemouicenses ipsosq; Pictauos in fide continuit. Turonos præterea tentauit: sed repugnante vrbis antistite ciuitas in fide Gontrani perstitit. At non multo post Childebertus, quem post Chilperici necem Parisium aduenientem ciues non admiserant, Gillonem Remensem quibusdam adiunctis ei illustribus viris: ad Gontranum ire iubet. Admissis legatis Gillo assentatione vsus, principiò gratias Deo egit: qui Gontrano tam clementi & potentissimo regi pacem sinceram tribuisset. Nec vltra tulit Gontranus verba pontificis: sed dicere volenten intercipiens: non, inquit, pessime præsul blanditiis istis libens (te maxime orante) auditum exhibeo. Omniũ enim qui sunt, cum sis perfidissimus: tu prætextu lineæ huius vestis religionẽ præ te ferens: fraude proditioneq; omnes fallis. Te enim consultore vrbes, quæ ad me pertinent, com plures incendio absumptæ sunt. Sic loquenti regi Gillo nihil respondit. Sed alter legatorum, quæ à Childeberto mandata erant, paucis ad insequentem modum elocutus: Gloriosus, inquit, rex noster Childebertus nobis præcepit repetere abs te paterni regni partem, quam tu illi Gontrane ademisti. Respondit Gontranus: iampridem ad hæc respondisse, se nihil à Childeberto præter conuentorum formam vsurpasse. Ea propter, quæ legitime possideret, se retenturum. Nisi tantum ea quæ vel gratia forte vel liberalitate donare decreuisset. Ergo cum intelligeret legatus frustra aduersus regem contendere: quandoquidem, inquit, legatio nostra non procedit, reliquum est quod ad extremum pro tua iusticia impetremus: est apud te Fredegonda Chilperici relicta, quæ Sigisbertum principis nostri parentem, & supra paucos dies Chilpericum interemit: mulier digna affici multis suppliciis. Propterea petit Childebertus hanc ad se dimitti. Cui ob scelerum immanitatem, pœnas, vt par est, irroget. Legato Gontranus respondit: iniquum sibi videri, ad

Gontranus Clotarii tutor.

Gillo Remensis ad Gontranum legatus.

Egregia, Pontificis cuiusdã, descriptio.

deri, ad

deri, ad pœnas rapi mulierem regio nuptu insignem: & quam non putaret culpam contraxisse eorum, quæ illi obiicerentur. Atq; ita irrita legatione abeuntibus legatis, primarius ille locutor, Gontrane, inquit, magne rex, postquam pacem abnuis, scito iam securim, qua tuus frater interemptus est, capiti quoq; tuo imminere. Ad hæc verba commotus rex, extrudi palatio legatos iubet: eosq; luto cœnoq; per viam euntes contaminari. Hinc graues inter reges inimicitiæ conflatæ sunt. Gontranus post hæc Fredegondam in Neustriam emittit: vbi non procul Rothomago incoleret. Ad quam ex Francorum nobilitate nonnulli profecti, tanquam fortunæ eius misererentur, operam illi suam pollicentur. At cognito, quòd Prætexatus, quem in custodia Chilpericus habuerat, à Gontrano liber factus esset: indoluit vehementer Fredegonda: quòd ex fastigio regiæ dignitatis delapsa, tam parui haberetur. Accedebat ad dolorem Brunechildis præsens fœlicitas: quam se potentiorem & magis honoratum iri conspiceret. Quo liuore cruciata mulier: audacem quendam & cædibus assuetum hominem Holdericum seorsum vocat: magnis pollicitationibus satellitem onerat, si Brunechildem reginam necet. Conuentione cædis facta, Holdericus, cum multis iam diebus consuetudinem familiaritatis apud reginam Brunechildem assentatiunculis blandiitisque comparasset, blandior tamen indies visus, in suspitionem venit. Depræhensusq; & tormentis affectus, crimen confitetur. Fustigatus deinde & ludibrio habitus ad Fredegondam dimissus est. Quem paulo post sanguinaria mulier pedibus manibusq; truncatum dimisit: vel quòd desidiæ eum argueret: quia videlicet necandæ Brunechildis occasionem vecors præterisset: vel quod significare volebat se nihil de homicidio satelliti mandasse. Cura dehinc Gontrano fuit Chilperici necis autores persequi, inter quos delatus est Cherulphus, qui primarius Chilperico cubicularius fuerat: ad Martini sepulchrũ effugit, vbi tandem Gontrani iussu à quodam Claudio multis vulneribus interfectus est: publicatis eius bonis, quorum ditissimus erat. Eadem tempestate Gondoaldus (qui se Clotarii filium diu prædicauerat: quamobrem conciliato sibi procerum fauore, cùm bonam in Aquitania populi atque vrbium partem in ditionem suam recepisset) Petragorios, Tholosates, Burdegalosque non difficile conciliauit. Auctus imperii amplitudine Gondoaldus: literas ad Francos proceres dat, quas ligneæ tabellæ mandatas, & cera desuper oblitas: duobus cadurcis sacerdotibus proferendas committit. Quibus in itinere à Gontrani aulicis depræhensis, ex literis & sacerdotum confessione cognitum est, quid Gondoaldus ánimo concepisset. Nec moram interponit Gondoaldus ad Gontranum legatos mittere: quibus oliuæ ramos in manu gestare iubet: quo signo quasi pacis nuncii tuti ad regem peruenirent. Cum ad regem ventum esset: rogati nomen & gentem: A Gondoaldo, inquiunt, venimus ad te: qui cum Clotarii patris tui filius sit: debitam sibi paternæ possessionis portionẽ petit. Quod si neges, armis hæreditatem repetere decertabit: ex Aquitania numerosum exercitum iam habere: accessurum insuper suis viribus à Childeberto magnum delectum militum. Gontranus legatos opprobrio habitos: in equorum dorsa distendi atque fustigari: præter ius legationis imperat. *Legati etenim nomen violare, apud barbaros etiam nephas.*

Fredegonda iterum necem cogitat.

Cherulphus occiditur.

Gondoaldus filium regis se appellat.

Cap. 4.

PER superiores dies constitutum inter Gontranum atq; Childebertum erat de cõuentu habendo: ad quem Gontrani edicto Childebertus magno suorũ procerũ comitatu venit. Ibi ante omnia Gondoaldi nunciis introductis, Gontranus dicere imperat, quę superioribus paucis diebus apud eum habuissent. Postquam cuncta ordine enarrassent: addunt Gondoaldum rebus omnibus spoliasse Rigondam Chilperici filiam, dum eam ad Hispaniam nuptiarum causa pater destinaret. Eius rei gnaros esse Childeberti proceres. Dũ hæc nuncii perorassent: suspitio mox incidit regibus: eam causam esse, quare aliquot ex nobilitate Childeberti concilio abessent. Nec propterea destitit Gontranus rem animo conceptam patefacere. Accepta lancea extremum eius ad Childebertum intendens: hoc, inquit, indicium tibi esto, chare nepos: regni te mei hæredem fore. Et nunc quidem totius gentis atque vrbium tibi potestatem imperiumque committo. Tu enim, & alter meus

nepos Clotarius tantum superestis, quibus hæc optimo iure conueniant. Hæc cū in conspectu multitudinis dixisset: appræhensum dextera Childebertum seorsum non longe à concione deduxit. Primo illum monet tacitus, quæ dicturus sit, seruet. Deindedocet, quos ad gerenda regni negocia admittat: quibusue consultoribus vtatur: quos item reiiciat: quibus etiam sui custodiam atq; salutem credat. Caueat à Brunechilde matre: à Gillone præterea Remensi, qui esset perfidus maxime. His ita inter se prolocutis: ad rem communem tractandam considunt. Quibus omnibus, quæ ad reipublicę commodum attinere videbantur, & quorum gratia concio habebatur, absolutis: consilium dimittunt. Ad conuiuium deinde itur. Inter comessandum Gontranus circumstantes ita proceres affatur. Viri Franci & apprime nobiles, quos mihi semper & primores & caros habui: Hic est meus ille nepos, quem hæredem institui. Colite illum, oro, & fide integra parete vestro regi. De magnitudine etenim eius futura, spem capio maximam: cum iam imperio auctus sit & virtute commendatus. Hæc dicens simul restituit Childeberto ciuitates, quas Chilpericus abstulisset.

CAP. 5. REBVS ex regum vsu constitutis: Childebertus ad suos profectus est. Dum hæc agerentur principum vnanimitate cognita: hi qui Gondoaldo fauebant, Desiderius, Mommolus, Landascus atque Sagittarius ab eo defecerunt. Est trans Dordoniam flumen loco edito vrbs, quæ Conuenæ appellatur: ad quam Gondoaldus se recepit: primo quidem ciuibus beniuolus: mox simulato hostium aduentu bonum fore ait, si in arcem fortunas suas ciues contrahant. Deinde cum prope adesse hostem diceret: omnes in armis esse mandat: & in hostem portis patefactis erumpere. Procedente ergo agmine cum in planiciem venissent: exturbato vrbe antistite, portas obstruit. Ipse cum præsidio suorum ciuitate potitus, fortunam, quæcunque futura esset, illic expectare constituit. Hic Gondoaldus Clotarii filium & Gontrani fratrem se esse iactabat. Militaueratque in Italia apud Nasertem contra Gothos: post cuius interitum Constantinopolim se conferens, cum per Gontranum Bosonem accepisset, Chilpericum esse necatū, Gallias repetens, à Massiliensi præsule primo receptus est: inde Auinionem, mox Aruernos atque Burdegalam & tandem Conuenas se recepit: comitantibus illum Sagittario episcopo, Mommolo, Landasco & Valdone, quorum consiliis maxime agebatur. At Gontranus loci munitione cognita, cum inde Gondoaldus erui facile non posset: literas Brunechildis nomine ad eum perferri iubet: quibus hortabatur eum, opes omnes suas Burdegalam conferat: ibique hiberna habeat. Paruit fraudulentis monitis Gondoaldus, resque omnes & ingentem auri summam Burdegalam præmittit. Cognito Gondoaldi discessu, milites Gontrani, qui iter eius explorabant: Gerondam flumen enatant: deprælenduntque iumenta, quæ sarcinas Gondoaldi veherent. Quibus spoliatis, ad locum, vbi Gondoaldus se receperat, contendunt. Lendegisillus copiis præfectus, carros ad vrbis obsidionem ad hunc modum excogitauerat. Intecti enim vndique cratibus atque tabulatis carri munimento erant his, qui intra carros delitescebant: quorum negocium erat, cuniculis patefacere viam in vrbem. Comparata inde frequenti ex vicinis siluis materia: fascium ingentem numerum in vallem coniiciunt. Oppidani contra non vecordes præacutis sudibus & lapidum molibus, igni quoque ac pice desuper iactis, cum materiam tum milites incendebant. Hac oppugnatione incassum suscepta: Lendegesillus alia via obsessos intercipere statuit. Mommolum igitur ad colloquium clam vocat, quem primo increpitum, quod à Gontrano defecisset: secutusque esset Gondoaldum, si operam nauet, vt suo aliquo facto ciuitas dedatur, se sperare Gontranum, qui benignissimus esset, facile illi dimissurum quicquid in eum commisisset: Mommolus de ea re se consideraturum respondit. Igitur Mommolus Sagittarium Landascumque & Valdonem, sibi arcta amicitia deuinctos, conuenit: docet quid illis periculi, si ciuitas expugnetur, impendeat: vtile fore illis, si saluti suæ consulant. Mommolo cum omnes acquieuissent, conuenit in aliquod insigne ciuitatis templum ignem summittere: ad quod incendium restinguendum omnibus concurrentibus, facile factu, Lendegesillum in vrbem admittere. Ad hoc negocium

Defectio à Gontrano Conuenæ ciuitatis.

Gondoaldus se Clotarii filium esse iactat.

cium accersito Carulfo ditissimo homine, apud quem & ipsi diuersabantur: consilii compotem facit: postquam de incendendo templo tradendaque hosti ciuitate compositum inter eos est. Ad Lendegesillum Mommolus occultissime venit: monstrat qua via ciuitas in potestatem Gontrani dedi possit: si modo id, quod de reconciliando sibi rege Lendegesillus pollicebatur, re ipsa efficeret. Lendegesillus spe recuperandæ vrbis lætus: iusiurandū Mommolo dat, nihil de conuentis detracturum. Quòd si animum regis se ad id deducere non posse intelligeret: daturum illis tamen firmum aliquod templum, in quo tuto, dum rex placari posset, consisterent. Re ita condita Mommolus, consilio incendendi templi omisso, Gondoaldum adit: memorat quàm integra in eum fide semper vsus sit: quámq; item deinceps esse velit. Verum eam esse rerum conditionem, vt multum confidere non debeat. Propterea tentasse se Lendegesilli animum, quem in se & ad concordiam procliuem inueniat: Lendegesillum hoc vnum nō probare, quòd tu de Gontrano male existimans, conspectum eius aufugis: nec de cognationis attinentia (cuius forte dubius es) vllam rationem cum fratre ponis. Hoc tantum si facias, regemq; conuenias, omnia Lendegesillus ait ex vsu tuo fauste processura. Sentio igitur his tot curis atq; perturbationibus te explices: & nos vna tecum ad Gontranum proficiscamur. Ad hunc modum suadente Mommolo: sensit dolum Gondoaldus, nec tamen cauit. Nō enim facile esse videbat, eorū maliciæ occurrere, quorū & fidei & tutelæ se tanto tempore credidisset: Hortatur tantum: se non derelinquant euntem, quò eum ducerent. Dum hæc tractantur, Landascus igne in proximam ecclesiam iniecto, cum multi ad restinguendum incendiū concurrunt, sensim ex turba lapsus aufugit. Stabant pro portis hostes Bolo & Boso Biturigum comites, qui Gondoaldum à Mommolo exciperent. Foribus patefactis Gondoaldum in Lendegesilli potestatem Mommolus tradit: regressusque inde in vrbem Mommolus portas claudit. Erat inter ciuitatem & hostium castra tumulus terrenus mediocriter editus. Ad huius summum cum Gondoaldus successisset: Bolo eum præcipitem deiecit: qui in caput pedesq; rotæ instar circumactus, illiso in caput eius à Bosone saxo trucidatus est. Mommolus autem, quem in vrbem reuertisse diximus, Gondoaldi opibus direptis: in reliquam multitudinem grassatus est. Miles vero vrbem ingressus, nemini hominum pepercit, mœnibus solo æquatis. Igitur Mommolus incensa reliqua vrbe, in Lendegesilli castra se contulit. Lendegesillus iam de regis in proditores sententia certior factus: Mommolum ad se venientem excedere tentorio tantisper iubet, donec tumultuantes in eum milites sedet. Egredienti præsens mors licet ante oculos (irruentibus in se militibus) versaretur, fortiter quidem restitit: nonnullis ex hostibus vulneratis: sed signo à Lendegesillo clam suis dato: circumuentus vndiq; Mommolus: proditionis pœnas pendit. Sagittario episcopo, fuga salutem quærenti, caput vnico gladii ictu à milite quodam amputatur. His rebus cognitis Gontranus Mommoli opes ad se deferri imperat. Erant nummi aurei M. pondo (Besantium Franci vocant) argenti CCL. Id omne æquabiliter Gontranus Childebertusq; sibi dispartiti sunt. Acceptam inde partem Gontranus rex in pauperes distribui mandat. Inter Mommoli spolia ad Gontranum deductus homo est, terno pede cæteris hominibus maior. Inciderunt per id tempus nunc in Italia, inde in Hispania occasiones nonnullæ belli: quod quia parum momenti vel propter nimios imbres: vel quod rebus mox compositis reditum est domum, volens prætereo. Vnum fuit aduersus Gothos duce Bosso: cui attributis à Gontrano magnis copiis: ducis incuria male pugnatum est: fusis cæsisq; ad magnum numerum Francis. Commissum præterea aduersus Britones non incruentum prælium: vbi Pepolinus dux, Catharri dolo occisus. Inter hæc quasi Gontrano cœlum aduersitatis nonnihil comminaretur: anno priore mortis eius, luna, supra quàm in eclipsi solet, obscurior visa. Ipse vero post annum trigesimum adepti regni moritur: & Cabilonem Burgundiæ ciuitatem elatus, in monasterio diui Marci, quod extructum magnis prouentibus cumulauerat, sepultus est. Cuius si spectentur mores: dignus profecto, qui principantibus annumeretur bonis. In pauperes benignissimus: erga sacerdotes & Dei ministros obseruantissimus.

Perfidia Mommoli in dominum suum.

Insueta hominis proceritas.

Signum ante Gontrani regis mortem.

CAP. 6. ADEPTO Gontrani regno, Childebertus animo reputans Fredegondę in patrem & patruelem crudelitatem, pœna afficere mulierem meditatur. Quamobrē Gondoaldū ad se vocat: huicq; exercitus curam imponit: mandans incursionibus perdere Suessionensium regnum, quod Fredegonda tanquam ad filium Clotariū pertinens moderabatur. Cognito hostium aduentu, Fredegonda regni proceres in armis ad se proficisci quàm velocissime iubet. Quibus in conciliū admissis, Fredegonda filium adhuc lactentem amplexa: viri, inquit, regni huius Francię primores, non parui vobis æstimari debet rex & Dominus vester, quanquā ætate paruulus est: vt in conspectu pene vestro regnum vastati perdiq; patiamini. Et reminisci quidem vos decet fidei vestræ, quam, Rothomagi cum essem, præstitistis: non deserturos vllo tempore filium hunc meum regem vestrum: sed eum obseruaturos vt paterni regni hæredem. Per eam ipsam fidem vos oro proceres: tueamini possessiones vestras: quas hostis tā crudeliter infestat. Facile etenim factu est (quanquā pauciores sumus) aduersarios vincere. Neq; animo fracta, neq; consilii inops, reb. deero: si modo adiutores fueritis: neq; bene rem gerentibus laus & præmium negabitur. Cedentes vero ignominia notabuntur æterna. Assentientibus, qui aderant: Landericū Fredegonda præficit: cui & belli gerendi omnem potestatē permittit: iubetq;, id faciant, quod à Landerico fuerit eis imperatum. Ipsa vero animo erecta mulier: ab vberibus pendentem Clotarium gestans, agmen anteibat. Ad siluam quæ haud procul à via erat (cum iam sol occidisset) Landericus exercitum secedere iubet: ipse cæsum ex arbore frondosum ramum, in eoq; suspensam nolam (vt fieri animantibus, quæ nemora pascuntur, solet) equi iubæ alligat. Cæteris vt idem faciant iussis. His ita ad Landerici votum compositis, noctu è silua mouens: ad castra hostium sub lucem peruenit. Quos ex hesterno labore dormitantes adoritur: atque compluribus interfectis cæteri in fugam conuertuntur. Direptis mox hostium castris in Campaniam quæ Remis adiacet ingressi: vicos incolasque igni perdunt. Hanc insignem victoriam suo astu Fredegonda apud Truecum adepta est. Successit alia in Britones ducendi causa, quæ à prioribus non tradita scriptoribus, neq; à me scribi potest. In eo prælio grandem stragem factam esse, traditum est. Mox insurgenti belli gerendi occasione: Childebertus in Longobardos expeditionem parat: qui Insubres Mediolanumq; vexabant. Deliguntur ad id bellum duo & viginti ductores, qui negocium gerant. Quorum omnium principes constituuntur Andoaldus, Oloq; & Codiueus. Superatis Alpibus cum in agrum hostium ventum est: Olo ad castellum proximum accedens, sagitta traiectus, interiit. Mediolanum inde progressi, vrbem obsident. Ad quos Mauricius Bisantinus imperator missis legatis pollicetur, suppetias Francis ante septimum diem se destinaturum: eius aduentus signum fore, si oppidum in colle positum ardere intueretur. In irritum cecidit imperatoris promissio: quamobrem soluta obsidione, Franci castellis quibusdam in potestatem receptis: prædisq; actis: cùm æstiuo æstu & alui profluuio toto exercitu laboraretur, ad suos reuerterunt.

Bellum aduersus Fredegondam.

Fredegōdę astu victoria Franci potiti sunt.

Childebertus in Longobardos.

CAP. 7. HIS paucis post assecutum Burgundionum regnum gestis: Childebertus, qui iunior appellatus est, vna cum vxore, non sine veneni suspitione, moritur. Fuere Childeberto iuniori liberi duo. Theodebertus maior natu, Mettense imperium, cui Austrasiæ appellatio fuit, adeptus est. Quod Campaniæ superioris partem continens, ad Alemanos vsq; protendebatur: sic quidem vocitata, quòd Austracus rex: vel, vt aliis placet, Auster eam incoluisset. Theodorico Burgundia obuenit. Hi sunt reges duo, ad quos & ad Brunechildem eorum auiam, Gregorium Romanum pontificem, dum Augustinum ad Anglos fidei Christianæ doctrina imbuendos mittit, scripsisse legimus: legatum apostolicum commendantē. Eodem tempore Auares, id est, Huni sedibus suis egressi: editis aduersus Francos aliquot præliis: ingentibus tandem muneribus donati, quietam Franciam reliquerunt. At Fredegonda regum hostis, collecto grandi exercitu, Clotarium filium in bellum contra illos excitat. Qua re cognita, non segniores facti Theodebertus & Theodericus, quanquam tutela Brunechildis agerentur: magnis copiis occurrunt: pugna atrox longaq; committitur. Fusis deniq; fugatisq; hostibus: Clotarius victor à ma-

Childebertus vna cū vxore interiit.

Gregorius Romanus pontifex.

Huni.

tre magnis plausibus exceptus est. Quæ tamen non multo post, cum iam consenuisset, obiit mortem & Chilperici regis viri sui sepulchro illata est: fœmina necis multorum autor: & cui nemo sine sui pernicie hostis fuit. Nam iræ ita pertinax fuit, vt supplicio satiari non potuerit eorum, quos odio persequeretur. Prætexatum, quamuis carcere atque verberibus, moxque relegatione violasset: reuocatum tamen à Gontrano & suo pontificatui restitutum, apud Rothomagum, dum rem diuinam facit, percuti iubet, quo vulnere paulo post interiit. Fuit & aliorum innocentum sæua persecutrix. Nam cum timeret filium Clotarium credi, non ex Chilperico, sed ex Landerico adulterino concubitu esse conceptum: metui studuit: quod tyrannis proprium est. Per id tempus lacus Dunensis tanto feruore ebulliuit: vt cocti in eo pisces ad ripas in esum venirent accolarum. At vero reges iniuriarum, quas à Clotario acceperant, non obliti: ad arma Brunechildis hortatu consurgunt. In quos Clotarius mouens: positis apud fluuium Aruennam castris: infœlici prælio dimicauit. Nam profligato exercitu: tanta occumbentium strage fluentum oppletum est: vt fluere velut obiecta mole desierit. Est enim in annalibus Francis, tria in eo conflictu millia hominum occubuisse. Clotarius autem citus per Meldunum ad Parisios se recepit. Quem insecuti reges, pacis conditiones, quas ipsi voluissent, Clotarium recipere coegerunt. Formula pacis hæc fuit: vt quæ inter Sequanam Ligerimq; atque Isaram, loca ad Oceanum vsque continentur, ea Theodebertus possideret. Duodecim vero regiones, quæ Sequanæ Isaræq; fluentis alluuntur, Clotarius haberet. Rebus ad hanc formulam confectis: cum Theodeberti iussu Bertoaldus, magnæ apud regem autoritatis, bonam militum manum tuendæ Neustriæ causa accepisset, (parebat enim his diebus Theodeberto Neustria) Clotarius Meroueum filium Landericumque palatio præfectum, in Bertoaldum cum exercitu mittit. Ea re Bertoaldo nunciata, cum imparem se militum numero intelligeret, Aurelianum se contulit. Quem Landericus insecutus: hominis fugam cum hostiliter exprobrat: Bertoaldus ex ciuitatis muro, non, inquit, Landerice, quia militum multitudine me superas: virtute quoque superiorem te esse putes. Sed si compertum habere vis, quæ vtriusque nostrum animi fortitudo sit: ad singulare certamen te prouoco. Quod cum non admitteret Landericus: Si ergo (inquit Bertoaldus) tuus forte Clotarius manus cum Theodeberto conferet: vis ne in ipso conflictu, quid vter vtri præstet, experiamur? Excepta est à Landerico conditio. Nec multo post duo reges ad Lunam amnem, qui Stampas alluit, castra ponunt. At dum Clotarianus miles amnem traiicit, Theodebertus, ne totis copiis Clotarius pugnare posset: signo dato prælium init: in quo multi vtrinque ceciderunt, sed ex Clotarii exercitu multo plurimi. Inter præliandum Bertoaldus, qui Landericum ad singulare certamen prouocauerat, cum Landericum sæpius frustra inclamasset, non ignarus, quid in eum doli machinaretur Brunechildis: in confertissimos hostes irrumpens, vitam maluit fortiter pugnando amittere, quàm à magistratu (id quod Brunechildis maxime petebat: vt eius loco Prothadium quendam promoueret) turpiter dimoueri. In eo prælio Merouęus in hostium potestatem venit. Idem Clotarius cum Landerico sese fuga eripuit. Nec desistit Theodebertus persequi hostes, donec Parisium vsque infesto agmine æstu & cæde madens peruenisset. Nulla tamen alia re egregie gesta: domum reuersus est. Erat inter aulicos Theodorici Prothadius quidam, Italus, qui cum Brunechilde stupri consuetudinem (vt credebatur) habebat. Quam ob causam Brunechildis illum apud Theodericum & dignitate & auctoritate plurimum posse omni studio adnitebatur. Et poterat quidem. Nam Italus cum esset ingenio astuque præditus, regi gratus habebatur, sed proceribus omnibus propter singularem pecuniæ auariciam, exosus. Hoc ergo Prothadio freta Brunechildis, & quæ nondum bono animo in Theodebertum Mettensium regem, qui eam ab se relegauerat, esset, Theoderico suadet, illum thesauros patris ad se sustulisse, quorum partim hæres ipse esse debeat, simulque Theodebertum ait ex alieno concubitu fuisse susceptum, atque ex Hortulano prognatum. Quamobrem mitteret ad Theo-

Fredegundis moritur.

Lacus Dunensis.

Luna fluuius prope Stampas.

Merouæus capitur.

Prothadius Italus Brunechildis familiaris.

debertum legatos, qui suam & patris pecuniam supellectilemq; repetant. Talibus frequenter animatus consiliis Theodericus, cum frustra Theodebertum admonuisset, contracto plurimo exercitu, aduersus Theodebertũ profectus, ad Carisium castrametatus est. A quo quia non procul abesset, Theodebertus aciem instruit, postera die dimicaturus. At primores exercitus animo volutantes, quàm turpe erat fratres inter se digladiari, nec minus ignari rerum bellicarum, quibus & imperia atteri & nonnunquam pessundari solent, regem adeunt, orant ne fraternam pietatem temere violet, neue committat, quò sua dignitas, fortunæq; suæ deteriores sint. At Prothadius in contrariam sententiam regem inclinaturus: Minime, inquit, decet, ex leui causa de pace repente agere, sed tẽtare oportere hostis animum, si forte petitis acquiescat. Quo verbo irritati proceres, in cædem Prothadii conspirant, protinus tumultus exoritur. Quem adhuc non in apertũ prodeuntem, cum Theodericus, ad tentorii vestibulum stans, coniectura aliqua percepisset, regem à Prothadio omnem iniuriam prohibentẽ, quidam ex conspiratoribus (ne vltra progrederetur) distinuerunt. Qui in santentia nihilominus perseuerans, vocato ad se Vselino imperat indicere militibus, ne Prothadio noceant. Vselinus vero cõscius, quãto cunctis esset odio Prothadius, vbi ad coniuratos venit, rex, inquit, mandat Prothadium occidi. Concurrunt igitur alacres milites, & hominem, alea cum Petro quodã medico ludentem, interimunt. Qua re perpetrata, omnes ad regis tentorium conuolant: orant, ne iniquo animo ferat pessimi hominis necẽ, quem scirent omnes amicitiæ & pacis inimicũ. Ad hęc Theodericus recenti homicidio turbatus, cũ aduersus quàm plurimos furendi via nõ esset, animos ponit: & paci se accõmodat. Qua, priusquã armis decertaretur, ex procerũ consilio concessa, discessum est. Inde Theodericus, qui nullis ad id tempus legitimis nuptiis vsus esset, sed duos ex concubina filios excepisset, animũ ad matrimonii fœdus conuertit. Erat Hispano regi Deterico filia nubilis. Hanc sibi à patre coniugem dari per legatos postulat: fide præstita, illam perpetuo & vxorem & reginam fore. Detericus Membergæ pater (id enim erat filiæ nomen) genero lætus, filiam Theoderico desponsat. Acceptam Theodericus vnice diligit. Sed huius tam arctę charitatis, inuida Brunechildis, ita regis peruertit animũ: vt despreto vxoris thoro, eam cum iis, quæ paterna domo exportauerat, muneribus ad patrẽ remiserit. Qua à Theoderico ignominia affectus Detericus, Clotarium per nuncios sollicitat, recordari quid in eũ priore bello Theodericus commiserit: si ad vltionem exurgat: se qui insignẽ à Theoderico iniuriã accepisset, illi auxilio fore. Excepit periocunde legatos Clotarius: eosq; ad Theodebertũ mittit, tentaturos, si forte ad belli societatẽ iungeret sese. Qui idem quoq; se facturũ legatis respondit. Inde ad Lombardos profecti legati, Agonẽ regem adeunt. Memorant reges tres in Theodericum coniurasse: si ad eos quartus accedere velit, adesse tempus: cum ipsi omnes ob superiores eis illatas molestias Theodericũ vlcisci facile possint. Agon sese regibus coniuncturũ spondet. His responsis exhilarati legati, ad Detericũ reuertuntur. Coniuratione regũ ad Theodericũ perlata, rem grauissime tulit. At Theodebertus sperans ad bellum conuenturos coniuratos reges, primus copias eduxit. Venientibus in mutuũ conspectũ regibus: nihil armis tentatum est. Sed vltro citroq; euntibus legatis: dies apud Salesiam castellum de concordia componenda dictus est. Quo Theodericus cum decem hominum millibus se contulit. Theodebertus longe maiore procerum numero profectus est: animo omnia disperdendi, si frater à conuentis resiliret. Territus numero fraternæ gentis Theodericus: nihil repugnat, pacem recipere quamcunque Theodebertus voluisset. Conuentum inter reges extitit, vt comitatus duos Turoniæ atque Campaniæ, quasi ad se hæreditario iure pertinentes, perpetuo Theodebertus reciperet. Rebus ad huiusmodi formam confirmatis: vale sibi dixerunt reges.

Verũ non ita pacato animo Theodericus mussitabundus sæpe cogitabat, qua ratiõe fratrẽ bello vexaret, à quo & bello fuisset impetitus, & bona parte regni mulctatus. Consilio cũ prudentiorib. aulicis accepto: sibi conducere ratus, si Clotariũ amicũ faceret, ne Theodeberto iungeretur: ad eũ legatos ire iubet: quibus mãdat

Bellum à Theoderico in Theodebertũ Metensium regẽ.

Prothadius prohibente Theodeberto à militibus occiditur.

Nubit Theoderico filia regis Hispaniæ, quam postea dimisit.

Bellum inter fratres.

Pax componitur.

regi

regi dicere, quibus se calamitatibus Theodebertus pressisset: adempta sibi grandi terræ possessione. Ideo constituisse repetere ab eo quæ iniquissime rapuisset: si Clotarius fidem det, se non suppetiaturum fratri. Audiuit per summam beniuolentiam legatos Clotarius. Et quæ regis sui nomine petebant, concessit. Erat enim Columbanus eo tempore sanctitatis nomine præclarus. Hic Clotarium admonuerat: ne fratrum bello se insereret: fore post aliquot dies: vt illorum hæres esset. Cognito Clotarii responso: Theodericus ad Lingonas copias cogit: inde Verdunum, quæ ciuitas per id tempus primum ædificabatur, præteriens, Tullum petit: quo & ipse Theodebertus ex Austrasia educto milite, castra posuerat. In eo loco acerrime pugnatum est, cadentibus ex vtroq; exercitu permultis. Sed inclinante in Theodericum fortuna, Theodebertus per Mettenses fugiens, tandem Coloniam se recepit, ibiq; reparatis viribus: non multo post Theodericum infesto agmine, non tamen meliore fortuna, aggreditur. Nam tametsi non ignauiter pugnaret: tamen postquam videt suos superari: deserto prælio, fugæ se mandat, insequentibus eum Austrasiis, quorum magna pars fugiens occiditur. Traditum est tam confertos milites in sese eo prælio concurrisse, vt qui in equis sedentes vulneribus confecti erant, delabi ab equis, turba digladiantium impediente, non possent. Theodericus cognita fratris fuga, cum illum hostiliter insequeretur: omnia quà iter agebat perdens: regionis incolæ illum conuenientes orant, ne ob vnius hominis culpam innocentem populum exterminet: eos quidem cum omni prouincia, quam armis comparasset, suos esse: nec imperata vnquam negaturos. Quibus rex respondit, se quidem illis veniam daturum, si fratris caput ad illum perferant. Igitur qui venerant responso accepto, Coloniam sine mora proficiscuntur: Theodebertum his verbis alloquuntur. Frater tuus Theodericus bello abstinebit, si partem thesaurorum, quos ex patris successione possides, illi distributam esse voles. Propterea tibi nobisq; consule: & tuum fratrem patere consortem esse paternæ supellectilis. Credidit loquentibus Theodebertus: statimq; in reconditorium, vbi thesaurus asseruabatur, vna secum turbam admittit. Interim vero dum secum reputat quid fratri impertiat: vnus ex populo districto in Theodebertum gladio, caput illius amputauit: nec cunctatur per ciuitatis muros ad Theodericum caput proiicere. Morte fratris cognita: Theodericus Coloniam ingreditur. Regnumq; Austrasiæ, quod Theodeberti fuerat, suscepit. Mox rebus ex sua sententia compositis, duos Theodeberti filios, cum sorore formosissima puella, Mettim repetens duxit. Cui occurrens Brunechildis, conspectis nepotibus, furens mulier innocentes protenus interemit.

Theodebertus fugit.

Theodeberti amputatũ ab vno de turba caput ad Theodericum fratrem defertur.

Brunechildis crudelitas.

Theodericus autem, parta victoria, ducatum, sicuti conuenerat, Clotario restituit: deinde cum specie illectus, neptis, quam Colonia abduxerat, eam sibi desponsare & vxorem accipere omnino contenderet, Brunechildis impediuit: dicens nepharium esse, ducere vxorem quæ proximo sibi generis gradu attineret. Cui Theodericus respondens: O, inquit, perfida & odiosa multis fœmina: nunquid mihi persuaseras Theodebertum adulterino concubitu prognatum, meum fratrem non esse: quare me & fratrem & proximum meum persequi atq; perimere compulisti? Hæc loquens Theodericus Brunechildem occidere tentauit: sed ope aulicorum protecta, cœnaculo se proripuit. Nec differt crudelis mulier vltionem. Potionem lethiferam conficit: quam Theoderico per ministros, quos ad id idoneos instructosq; reddiderat, bibendam, dum balneo egrederetur, offert. Veneno epoto, rex balnei calore æstuans: repente interiit. Sunt tamen qui scribant profluuio alui interiisse, postquam annos x. & VIII. regnauerat anno dominicæ salutis DCXVIII.

Aliud Brunechildis parricidium.

ROBERTI GAGVINI HISTORIÆ FRANCORVM LIBER TERTIVS.

CAP. I.

Clotarius regnat.

Brunechildis audacia.



EGIBVS, vt præmissum est, interemptis, vnus ex Clodouæi cognatione tantum Clotarius supererat: ad quem regnũ pertineret, VII. & L. anno, postquam Clodouæus esset vita defunctus. Sed Brunechildis plurimorũ cæde audax: Sigisbertum, Theoderici nothum, Austrasiæ regno præficere contendebat. Cuius cœptis repugnant Austrasii proceres: quia crudelis fœminę mores execrarentur. Igitur ad Clotarium duos ex numero eorum longe nobilissimos, Arnoldum Pipinumq; mittunt, oratum, venire ad eos festinet ad castellum, cui Capthomarum nomen erat. Audita legatione, Clotarius ea, quæ proceres velle intelligit, impigre complet. Castello, quod proxime diximus, agenti Clotario: Brunechildis, cum non longe abesset (nam Warmaciæ, quæ Vangionum caput est, ad vlteriorem Rheni ripam agebat) mandat finibus regni Austrasiæ abeat: quod Sigisberto filio Theodebertus pater reliquisset. Ad hæc Clotarius Brunechildi nunciare iubet: *Moris esse, fœminam leges viris non ponere: neque de distribuendis regnis inuitis proceribus agere.* Quos si in contionem vocatos velit: non repugnare se, quin ipsis diffinientibus, vel Sigisberto, vel sibi Austrasia cedat, Accepto Clotarii responso: Brunechildis Germanos ad belli societatem accersit. Nec segnius ex omni Austrasia, quàm maximas copias potest, cogit. Erat inter legatos, à Brunechilde in Germaniam missos, Garnerius: quem secus ac iussus esset, rem gesturum suspicata: ad Albonam Garnerii in legatione collegam literas de occidendo Garnerio dat. Literas cum legisset Albona, laceratas à sese abiicit. Quarum fragmenta vnus ex Garnerii amicis cogens, exceptam inde diligenter sententiam Garnerio patefecit. Re dissimulata, Garnerius clam suadet Germanis, Brunechildis partes ne sequantur: deinde ad Brunechildem reuersus in Burgundiã, vna cum Brunechilde iter facit: Vbi seorsum quosq; proceres conueniens: eos in sententiam suam eo facilius vertit, quòd Brunechildis tyrannidem horrori haberent. His igitur sic se habentibus, Garnerius Clotario nunciat: si se ad eũ tuto conferre possit: velle ad ipsum proficisci. Non difficile fore, vt Mettensium Burgundionumq; regno, adiutore sese, potiatur. Garnerii cognita voluntate, Clotarius cum certior factus esset: quis ad rem conficiendam modus Garnerio satis perspectus haberetur: contracto raptim exercitu, in Campaniã Cathalaunensem mouet, quo Sigibertum iam castra posuisse constabat. Defecerant per id tempus à Sigiberto ad Clotariũ nonnulli ex Austrasia apprime nobiles, Arturus, Ruco, Sigoldus, & Euulanus. Instructis ad pugnam copiis, priusquam manus conserant: commilitonibus signum dat Garnerius, de quo inter illos conuenerat. Ipse sensim acie excedens: cæteros sui concilii conscios comites educit. Quos lento agmine ad flumen vsq; Sagonam (quem veteres Ararim nominabant) persequente Clotario: cum Sigibertus infestis copiis ad eum locum venisset, ipse cum duobus fratribus Corbo & Merouęo in potestatem Clotarii venit. Sigibertus autem equi pernicitate saluus, nullo postea tempore comparuit. Victori mox Clotario Brunechildis captiua offertur vna cum Eudelina Theoderici sorore, quas in castris hostiũ Garnerius depræhenderat. Nec tardat rex Corbũ necare: seruato Merouęo, quem ex lauacro Christiani baptismatis filiolum habebat, cuius & ipse diligentem curã deinceps habuit.

Sigibertus vincitur.

Brunechildis vltimum supplicium.

Exultans tanta rerum fœlicitate Clotarius, accitis ad contionem diuersæ gentis, qui cum eo militauerant, proceribus, de Brunechilde castiganda consilium capit. Recensitisq; mulieris flagitiis: & quod esset decẽ regum aliorũq; multorũ cædibus rea: rogat quo supplicio digne plecti posset. Acclamantibus cunctis, *crudelem fœminam vilissima aliqua morte affici debere*: priusquam in conspectũ contionis rex eã introducere mãdaret: quarto fustigatã tandẽ deduci ad se iubet, in quã postquã diu aspereq; inuect᷈ esset, insidẽtẽ equo mulierẽ per totũ exercitũ circũferri impat. Inde à

de à capillis & lacertis, ferocientis equi caudæ alligatam, reliquo corpore humi prostrato, lictor distrahit. De cuius nece vaticinium Sibyllinum esse nonnulli asseuerant: id quia minime compertum habeo, asseuerare non ausim. Vatum siquidem ænigmatibus atq; obscuritatibus interpretationem adhibere diuinantiũ est. Ne tamen sua laude Brunechildem fraudemus, complura sacerdotum collegia & monachorum apud Burgundos Austrasiosq; extruxit, inter quę apud Lugdunum pro muris adhuc visitur diui Vincentii cœnobium. Apud Heduos quoq; alterum: vbi assentiente Clotario sepulta est: & alia locis diuersis templa diuo Martino, cui deuotissima erat, dicauit. Ita, vt si impensam cum Brunechildis fortunis conferas: mireris sane, tot vno sæculo templa: assignatis cuiq; prouentibus: mulierem exædificasse potuisse. Eius ætate Etherius Lugduni: apud Heduos Siagrius: Viennæ Desiderius: Antisiodori Annarius, Austerius Aureliæ: Lupus & Columbanus apud Senonas mira sanctitate claruerunt.

Brunechildis laus scilicet.

Satan inquit se sui cultorib. omnia daturum.

Cap. 2.

Clotarius prouincias distribuit.

Redvctis ad vnius regis imperium quatuor regnis, Clotarius palatio præfectum Garnerium (cuius opera vsus maxime fuisset) constituit: Burgundiã Harponi commendat. Austrasiis Rado præpositus est. Et ne liberalitatis quicquam Clotarius prætermitteret: Garnerium imprimis sui palatii præfectum: complurimos deinde Burgundiæ ditionis proceres, antistitesq;: &, qui aliquid pensi haberent, ciues ad se vocat. Vocatos amplissimis quemq; muneribus, ad conciliandum eorum sibi beniuolentiam, impartit. Nam præter summam humanitatem atq; modestiam, quibus illum natura instituerat, religionem quoq; venerabatur: &, quod rarum est, pietatem colenti: bello optimus atq; strennuus erat. Longobardis, qui annuum Francis, à Gontrano ad ipsum vsq; Clotarium, pensum duodecim auri pondo quotannis soluebant, tributum abrogauit: acceptisq; prius VI. & XXX. millibus nummûm, Augustam Suzamq; in Alpibus ciuitates liberas illis dimisit.

Longobardi tributo liberati.

Dum hæc agerentur, natus est Clotario ex Bergedruda vxore Dagobertus: quem literis erudiendum Arnulpho Mettensium præsuli commisit. Bergedruda vero non multis post annis moritur: in cuius loco Sichildem Clotarius accepit, quæ Haibertum enixa est. Dagobertus autem, postquam sibi per ætatem licuit, feras indagare & venari (vt Gallis mos est) pergit. Excitato ceruo, cum longo iam cursu lassus, quietis locum quærit, vicum, quem Catulianum vocant, profugit. In eo vico sacellum erat, vbi cõdita humo & lapide instrata corpora beatorum Dionysii, Rustici, & Eleutherii à suscepto pro fide Christi martyrio per annos. XXX. supra quingentos religiose colebantur. Eo (cum patens sacellum esset) se ceruus proripit: soloq; decumbens, quieti se mandat. Insequentes crebris latratibus ceruum canes, cum ad sacellum venissent: ceruo conspecto frequentiore latratu perstrepentes: nulla eis: sed nec ipsis venatoribus in sacellum irrumpendi facultas fuit: suam ædem tuentibus viris sanctitate spectatissimis. Ea re per vicina loca perlata, locum veneratiorem fecit: & Dagoberto admirationem simul & pietatem cumulauit.

Dagobertus nascitur: & Haibertus.

Miraculum de ceruo.

Nota bene, quomodo Satan auxerit sui cultum.

Mortua per id tempus Bergedruda, Clotarius Sichildem accepit: vnde processit (vt proxime scripsi) Haibertus. At Dagobertus cum præceptorem, qui eum secularibus ornatum redderet institutis, à patre accepisset, quem Aquitaniæ ducatu pater donauerat: intellexit non rudis adolescens quantum Sadragesillus (id enim nomen erat pædagogo) propter acceptam à patre dignitatem superbiret, ita vt eum neq; satis reuereretur neq; obseruaret: vocatum ad conuiuium Sadragesillum: cum è regione Dagoberti velut par illi assedisset: poculumque tanquam ex æqualis manu desumpsisset: iubet eum virgis cædi: & barbam, quam promissam habebat amputari. Qua accepta iniuria: ad Clotarium Sadragesillus fere lachrymans procurrit. Eam rem pater furente animo excepit: Dagobertũq; protinus ad se venire iubet. Exasperatum patrem quia adolescens pertimesceret, non alium fugæ locum, quàm sacellum, quo à canibus tutus fuerat ceruus, secum reputans eò se confert: non minus præsidii sibi à sanctis conferri arbitratus, quàm beluæ contulissent. Cognito filii perfugio: Clotarius Dagobertum inde extrudi: & ad se deduci, ferociter imperat. Id vt facerent abeuntibus seruis: cum prope ad sacellum minus miliari constitissent: tam fixi stupentesque hæserunt:

Dagobertus pædagogũ suum virgis cædere iubet.

Eñ diuos scelera defendẽtes.

vt vltra procedere minime poſſent: quanquam progredi maxime conatentur. Igitur reuerſi, quid illis obtigiſſet, patri renunciant. Credidit Clotarius fabulamentũ eſſe quod narrarent ſerui: veriti ne Dagobertum offenderent. Secundis, qui præceptum exequerentur, miſſis par accidit. Nec ſic ab ira temperari potuit ferox pater: niſi & ipſe miraculum experiretur. In ſacello dum ſopori ſe mandaſſet Dagobertus: vidit per quietem tres reuerendiſſimos viros ſeſe affari. Adoleſcens (inquiunt hi) martyres ſumus, quos multo ſupra tempore pro fidei veritate mactatos hoc loco catula ſepeliuit. Qui locus quandoquidem non ſatis cultus decoratusq; eſt: minore nos dignatione populus colit.

Reuelatio ſanctorũ Dionyſii ſociorumq; eius Dagoberto facta.

Quare ſi ad te receperis digniore apparatu tumulos nobis extruere: cum tibi ſecuritatem, tum placatũ patrem reſtituemus. Et ne ſomnio te illuſum exiſtimes: ſi terram, vbi deliteſcimus, effodies: optimis characteribus ſuo quemq; nomine comperies eſſe ſignatũ. Huiuſmodi viſione confidentior factus adoleſcens: ſe, quæ diui martyres petiiſſent, impleturum religioſe promittit. Ad filium pater cum indignabundus contenderet: eodem, quo ſerui, ſtupore & miraculo perculſus: filio parcit: eumq; non multo poſt regni conſortio donatum, Auſtraſiæ præfecit: prætereа quæ citra Arduennam ſiluam ad Remos ſpectant. Surrexit per eoſdem annos ex mœcha Arabiæ loco Chriſtianæ puritatis ſpurcus hoſtis, Mahumetus. Heraclio imperante, anno Chriſtianæ pietatis DCXX.

Arduenna ſylua.

Mahumetus.

A quo tempore ad hunc vſq; diem Chriſti religio turbata plurimũ eſt atq; labefacta. Eadem tempeſtate Phara virgo Agarici Meldenſium comitis filia, eccleſiam, quæ Pharonis monaſterium appellatur, extruxit: quam multis prouentibus auxit.

Pharo.

Huius virginis frater Pharo, cum Meldenſem comitatum patre defuncto poſſediſſet, ex comite clericus factus, pontifex tandem ciuitatis effectus eſt.

Auſtraſiorum ſuſcepto gubernaculo Dagobertus conſobrinæ Chicildis apud Chippiacum Pariſiorum vicum nubit: vixq; à nuptiis dies tertius agebatur, cum patrem conueniens Dagobertus, petit ea ſibi omnia dimitti, quæ Auſtraſiorum regni eſſent, nec inde ſibi pater quicquam vſurparet.

Contentio de regno inter patrem & filiũ.

De qua re vbi inter patrem filiumq; diu diſceptatur, placuit tandem ad arbitros de controuerſia referre. Hic fuere ſelecti prudentes duodecim, in quibus fuit Arnulphus Mettenſium præſul, magna vir ſanctitatis opinione clarus. Ex eorum ſententia Clotarius filio dat, quęcunq; ad Auſtraſiæ potentatum veteri iure pertinebant: hoc adiecto, ne Arduennam prætergrederetur, vbi limitem Dagoberto dudum poſuiſſet. Repetenti Auſtraſiam Dagoberto, Saxones, qui vltra Rhenum incolunt (quia potentiam vicini ſibi regis ſuſpectam haberent) bellum duce Berthauldo inferunt. In quos & ipſe Dagobertus traiecto Rheno non impigre copias ducit. Dum vtraq; acies magnis animis atq; viribus pugnat, Dagobertus, caſſide ictu gladii diuulſa, graue vulnus capite excepit, ita, vt à vertice pars oſſis vna cum multo crine conſciſſa deciderit. Quo vulnere humo delapſus, in hoſtium poteſtatẽ facile veniſſet, niſi mox opem tuliſſet ex regis ſeruis vnus Attila: quem protinus ad patrem Clotarium mittit.

Attila fidelis ſeruus.

Is tum non procul Arduenna agebat. Cognito filii periculo, feſtinat pater magnis itineribus ſuppetias filio ferre. Vbi ad flumen, cui Wiſara nomen eſt, conuenerũt, reciproca militum ſalutatione clamor ſublatus, ad hoſtium caſtra defertur. Quod miratus Berthauldus, rogat, quid id læticiæ, quod in caſtris Francorum audiret. Reſpondenti cuidam Clotarium cum ingenti exercitu aduenіſſe: Mentiris, inquit. Nam & Clotarium iam pridem mortem obiiſſe accepiſti. Cum non procul à ſe caſtra diſtarent, loquentis Berthauldi vocem Clotarius exaudiuit, qui vt ſui aduentus fidem hoſti faceret, galea nudauit caput, canicie iam candidũ. Quo ſigno agnitum regem Berthauldus barbara voce inclamans: O peruetus, inquit, & canum iumentum, huc ne ades? Eo verbo indignatus rex, non expectato exercitu flumen tranat: nec Berthauldum mox fugientem perſequi deſtitit: donec obtruncatum hoſti caput ad ſuos ipſe defert. Nec finem belli gerendi facit: In Saxones vſq; penetrat.

Victoria de Saxonibus.

Vbi memorabilem edidit ſtragem: nemini maſculini generis parcens, qui gladii ſui longitudinem excederet: inde vaſtatis agris & vicis incenſis: victor Clotarius in Franciam demigrauit.

Reuerſo cura fuit Godini nobilis Burgundi temeritatem vlciſci: quod deſpretis

spretis maiorum institutis: patris relictam vxorem coniugem sibi desumpsisset. Sed interueniente Dagoberto, dimissa nouerca Godinus Clotario conciliatus est. Sed contempta à Godino mulier, regẽ adit: & conceptæ in regem necis hominem insimulat. Ille iussu regis apud sanctum Medardum: deinde apud sanctum Vincentium de Pratis tactis sacrosanctis altarib. accusationem iureiurando cum diluisset: deniq; vt idem apud diuũ Martinum Turonensem faceret: dum Carnuti aduersatus cœnat: missis satellitibus imperio Clotarii (vt plerique petant) necatur. *Regibus enim, quandoquidem licentia vt volunt viuendi permissa est: vitæ quoque & necis potestate ad se traducta nunc hos nunc illos pro suo arbitrio occidere, fas esse videtur.* Bellis iam plurimis fœliciter gestis, Clotarius posteritati suæ consulens: consilium procerũ ex Burgundia Trecas contrahit. Rogat eos quem sibi maxime principem post se optent. Respondent alium pręter se neminem cupere: eum esse, qui & pace fouere & bello eos tueri possit. Procerum responso lætus rex, eos monet, fidẽ in eum seruent: seque & regni iura tueantur, atque eos ita domum dimittit. Mox prælatorum quoque conuentum apud Cypiacum habuit. Vbi dum de his, quę ad regni commoditates essent, consulitur: Haimarus inter nobiles primarius, quia Riberto datus fuerat à rege institutor, iussu Agniani Saxonis occisus nunciatur. Quamobrem seditio fere inter aulicos studio diuersarum partium orta est, sed regis modestia ab armis temperatum: atque interea Clotarius anno regni sui. xliiij. salutis vero Christianæ. D. C. XXX j. moritur. Rex non mediocriter litteratus, patiens admodum, erga deum timoratus, ad inopes liberalis, clero populoq; acceptus: cui apud S. Germanum de Pratis sepulto (quia alter Clotarius præcesserat) secundi appellatio fuit. Huius Clotarii ætate Fiacrius venit Scotus in Briam: qui dum solitarium sibi locum quęrit, a sancto Pharone Meldensium pontifice susceptus, & loco, vbi nunc ob sanctitatis merita religiose colitur, donatus est. In cuius sacellum fœmina non ingreditur. Quæ enim aliquãdo ingredi temere tentauit, in rabiem versa est. De hoc sancto heremita quidam hoc distichum composuit.

Accusatus Godinus à relicta vxore. — *Haimarus occiditur.* — *Sanctus Fiacrius Scotus.*

Fœmina quæ læsit blasphemo murmure sanctum.
Fecit quod sancti non intrat fœmina templum.

CAP. 3.

DAGOBERTVS in Austrasia agens: de morte patris nuncio accepto, ne quis à nouarum rerum studiosis tumultus oriretur: & in Burgũdiam & in Franciam exercitum dispertitur, mox in Franciam profecturus. Sed cum apud Remos agit, veniunt ad eum ex Francia atque Burgundia legati: qui nouo regi debitũ honorem fidemque pręstarẽt. Erat Dagoberto ex patre frater Aribertus, cui cum regni pars iure optimo deberetur, auunculi sui Brunulphi studio nixuque patris, regnum habere contendebat. Sed conuenit inter fratres, vt in Aquitania Tholosam & alias vrbes, quæ infrà Pyreneos montes & Ligerim continentur, Aribertus reciperet: neque post hac in reliquis regnis quicquam vendicaret: aut ad ius suum spectare vllo pacto arbitraretur. Aribertus parte hæreditatis sibi attributa, regni sui primariam sedem Tholosæ instituit. Quarto deinde anno belli occasione captata, Vascones in deditionem accepit. Pacatis vndique rebus, Dagobertus voti non immemor, quo diuis martyribus Dionysio eiusque collegis obnoxium se fecerat, Catulicum vicum petit: & sacrosancta corpora inde exhumari iubet. Inscripti erant tituli cuique mausoleo, quibus alter ab altero sine cõtrouersia erat designatus. Ea in conditorio, quod fabrefieri rex mandauerat, reponi ad tempus imperat. Tandem magno sumptu, cum templum exædificasset (quod & solido argento tectum erat) eo transferri corpora instituit, condito ad eum vsum aureo feretro, additisque ad decorem multis variisque gemmis. Annuis insuper prouentibus ad sacerdotum & ministrorum templi alimoniam designatis, & ne minus ornamenti interius locus haberet: tapetes quoque vnionibus & gemmis variis intextos, quibus interior paries tegeretur, attribuit. Adeo gratissimus diuis martyribus patronis suis Dagobertus fuit. Inopum præterea curam non omittens, reconditorium proxime aram maiorem templi argenteum apponit, vbi quæ diuis donaria martyribus offerrentur, reposita sacerdotes egenis impertirent. Hæc dum religiosus princeps diligenter curat, non minus impigrè cætera, quę regiæ sollicitudini impende

Dagobertus portionem regni Ariberto fratri distribuit. — *Ecclesia sancti Dionysii ædificatur, & argento tegitur.* — *O tenebras Cymmeriis tenebrosiores.*

bant, exequebatur. Nam & Austrasiam atque Burgundiam, vbi Gertrudis regina agebat, reuisit, ius cuique postulanti dicens, ita, cibo vt interdum parceret: ne quid à se prætermissum esse, videretur. Pergenti ex Lingonibus Cabilonem, apud Daterram cum balneas peteret, Brunulphi memoria illi incidit, quem supra diximus Ariberto, dum regni partem peteret, fauisse. Quamobrem accitis, quos ad id idoneos nouerat, Amalgarum Arnobertumque & Willebardum, his imperat, Brunulphum tollant necentque. Qui mox imperata perficiunt. Cum Heduos

Brunulphus iussu Dagoberti occiditur.

Antissiodorosque inuisisset, per Senonum vrbem Parisium se contulit. Iam enim Dagobertus Gertrudem, quod sterilis esset, reliquerat, altera superinducta virgine, cui Nanthildi nomen fuit. Vsus est potissimum Arnulphi Mettēsis atque Pipini consilio.

Vxoris dimissio.

Dagoberti fama.

Arnulpho fato absumpto, Cumbertum Coloniensem pontificem in demortui locum suffecit. His consultoribus ad præsentes regis mores congruentibus, iustitiæ illius atque æquitatis tanta fama etiam apud exteros percrebuit, vt ex ea gente, quæ Turcis Sclauonibusque finitima est, nonnulli Dagoberti examen ad suas controuersias deposcerent. Asseuerantibus insuper Sclauonibus, si ad eos aliquando commearet, se illi vt suo regi parituros. Regi cum deessent, propter vxorum sterilitatem, liberi, concubitu virginis Raguetrundæ filium marem suscepit: cui Aribertus, Dagoberti frater, qui per id tempus Aureliæ erat, nomen dedit, appellatusque est Sigisbertus.

Sigisbertus nascitur.

Hic inter sacrosancti lauacri, quas sacerdos Amandus enunciat, orationes, dum nemo de more Christiano *Amen* responderet, infans ipse, qui tantum dies quadraginta natus esset, cunctis tacentibus *Amen* expedito sermone personuit.

Nemo certe qui fidelis.

Quod diuinitus factum esse quis non credit? Iam de huiusmodi instabili conditione queri possemus, si lex historiæ permitteret. Dagobertus, quem initio principatus præclarissimæ virtutes commendabant, transuerso animo esse cœpit.

Dagobertus Pictauos spoliat.

Quippe qui ministrandi iuris specie Franciæ regni vrbes prouinciasque cum visitaret: quosque vi adhibita spoliabat. Et, tanquam diui Dionysii obsequiis omnia deberentur, æneas ingenti pōdere valuas, Lauacrum insuper, vbi baptismatis mysterium sacerdotes explebant, vna cum diui Hilarii corpore, nulla compensatione sacrilegii facta, ad diuum Dionysium mari ex Pictauis transtulit. Nec tamen tota præda potitus est. Altera enim portarum, dum naui per oceanum exportanda committitur, in fluctus delapsa, perpetuo latuit. Verum, quia male agentibus occasio aliqua peccandi in promptu suffragatur: causam sacrilegii esse dicunt, Pictauorum rebellionem: quos vt compesceret Dagobertus, omnia ad se belli iure pertinere ratus: postquam agros peruasisset, vrbem quoque depopulatus esset, mœnibus omnibus dirutis solum arare, & in eo salem disseminare, ad inducendam sterilitatem iubet.

Libidinosus Dagobertus.

Sacrilegio comes libido non defuit. Amandus autem Tungrensis episcopus, cuius sedes Traiecti erat per id tempus vita vir spectatissimus & doctrina, cum peccanti Dagoberto verbum salutis prædicat, regno extruditur. Sed tandem resipiscente Dagoberto: Amandus gratus regi factus est.

Aribertus Tholosæ rex moritur & eius filius Chilpericus.

Comitabantur Dagobertum quocunque pergeret, pellicum cateruæ: præter eas quas compluribus locis comptas & reginarum instar ornatas alebat. Obnitebatur tamen regis turpibus factis Pipinus de Laudis qui palatio præerat: fueratque à Clotario Brabantino ducatu donatus. Nec vsque quaque sinebat regem per tot vitia libere defluere. Cuius etiam optimis consiliis adiutor accedebat Egnauus homo nobilis & non mediocriter prudens. Quorum perseueranti cohortatione tandē Dagobertus sanior effectus est. Interea Aribertus Tholozates, Dagoberti frater, relicto filio Chilperico, vita defungitur: quem filius nō multo post secutus est. Quamobrem Tholozatium regnum Dagobertus recepit. *Sed omni fere humanæ fælicitati pedissequa est aduersitas.* Sclauones in Thoringiam irrumpere nunciatur. Selectis copiis cum ad Rhenum Dagobertus venit, Saxones ad eum mittunt, oratum, vt tributo, quē patri filioque hactenus pependissent, leuarentur (id enim tantum quingentorum boum erat.) Si id ab rege impetrarent, suis se impensis atque armis Sclauones debellaturos spondent.

Tributum Saxonibus remittitur.

Conditione admissa, pensum Saxonibus remissum est. Sed alio vsus animo Dagobertus: Sadragesillo, qui pædagogus eius fuerat, mortem procurauit. Quam cum vlcisci liberi eius minarentur, ex procerum

rum sentẽtia paterna possessione priuantur, rebus omnibus ad fiscum traductis. Interim dum hæc geruntur, Dagobertus Sigiberto filio Austrasiam dimittit: diademate illi imposito, attributoque Cũberto Coloniȩ pontifice & comite Palatino Adalgiso, quorum moderatione regnum administraretur. Eodem tempore natus est Dagoberto Clodouæus, quem plerique Ludouicum appellant, ex Nanthilde vxore. Quo adulto: dissidii causam fratribus auferre Dagobertus studuit, distributa cuique portione hȩreditatis. Sigiberto enim omnis Austrasia, Ludouico Burgũdia Neustriaque cessit. Dehinc ad diuos martyres conuersus, inter multas, quas illis donationes largitionesque tribuit, emporium annuũ mense Iunio, in campo nõ procul a basilica sanctorum, instituit: trãslata ad ministros ecclesiæ omni ditione. Id Lenditum vulgus appellat, corrupto, vt ipse iudico, vocabulo. Nam edictũ dici crediderim. Propterea, quod ad eas nundinas, mercatores suas vndiq; merces, edicto regio, tanquam ad communẽ regni mercatum, conferre deberent. Vascones Ariberto mortuo à Dagoberto deficiunt. Qui primũ Francorũ congressum ægre ferentes: multis cæsis, fugatisque, alii in montes, alii in siluas sese abdiderunt. Sed cum ex fuga se recepissent: missis ad Doinum nunciis, quo duce bellum gerebatur: imperata facturos se esse pollicentur. Itaq; saluus exercitus in Franciam reuertit: præter Aribertũ & paucos, quos negligenter agentes, inter angustias Roncheuallis Vascones interemerunt. Vasconibus in potestatẽ redactis: Dagobertus iniuriarũ non oblitus, quas in Frãcos superiore anno Britones cõmisissent, Legatis apud Nidicahilem Britonũ principem agens, bellum (nisi offensam purget) cõminatur. Quo metu perculsus Nidicahil ad Dagobertũ venit. Quẽ Cypiaci agẽtem magnis muneribus placauit, se cum omni gente sua & regno Dagoberto dedens, non alio animo, quàm illa omnia sub Dagoberti Francorũq; perpetua ditione tenere confessus. Cum in verba regis iurasset Nidicahil, à rege dimissus est. Per id tempus episcopis apud diuũ Dionysium dedicandȩ ecclesiæ gratia à Dagoberto conuocatis, dum VI. Cal. Martii mysterium absoluere statuissent, pridie ipsarum Calendarum homo lepra admodũ deformis ab æditiuis impetrat in æde pernoctare. Vbi dum vigil in oratione perseuerat, videt perspicue Christum comitantibus eum Petro Pauloq; vna cum diuis martyribus Dionysio, Rustico & Eleutherio per fenestrã in basilicam aduentare. Qui candida veste amictus dedicationis sacrũ munus absoluit. Indeque ad lepra contaminatum progressus Christus: Tu, inquit, homo, dicito pontificibus cum crastina luce ad hanc ædem se conferent: eam à me consecratam esse. Cuius rei fidẽ fecit infirmi hominis cura. Nam cõtacta hominis facie leprã omnẽ Christus auferẽs, eam proximo lapidi glutinauit, quæ ad hunc vsq; diẽ per summã admirationẽ visitur. Quo miraculo attoniti præsules, dedicatione abstinuerunt. Hæc causa est, quamobrẽ frequens admodum populus ad ecclesiam ipsam VI. Cal. Martii cõueniat, firmissime credens, id à Christo deo fuisse perpetratum. Tam multis rebus à Dagoberto præclare gestis, rerum præsentium sollicitus, nec minus prouidus futurarum, ex regno Francorũ pontifices proceresq; Bigargium ad cõsilium vocat. Vbi throno insidens aureo, duobus sibi assidẽtibus regibus filiis, inter multa, quæ de breui & misera hominũ vita locutus est, filios ad mutuam charitatem cohortatus, testamẽtum condidit. Quo in primis quæ Christi sacerdotibus donasset, rata esse mandat. Confectis inde quattuor vno tenore syngraphis, vnum Lugduni, alterum Mettis, tertiũ Parisiis, quartum apud se in archiuis perpetuo reponi imperat. Sacerdotes vero, id est, pontifices qui regis beneficiis donati essent, astrictos facit, dum de ipsius morte nuncium acceperint: tribus continuis à morte annis rem diuinã quisque in suis locis ter per singulas hebdomadas faciant. Eius testamenti curatores Sigibertum Ludouicumque, vel (vt alii volunt) Clodouæum filios instituit. Hæc rex cum dixisset: omnes qui aderant, testamentũ subscriptione & sigillis firmant. Tum dimissa contione: domum quique discesserunt. Eodem ferme tempore Vascones duce Hermanno impleturi, quæ à Doino conuenta erant, cum proxime Cypiacum aduentassent: commissæ in regem rebellionis conscientia admoniti, ad diui Dionysii cœnobiũ, velut ad asylum salutis, cõfugerunt. Quæ illis causa fuit à Dagoberto misericordiam consequendi. Itaque in

Ludouicus seu Clodouæus nascitur Dagoberto.

Nundinæ sancti Dionysii quas léditum vocant.

Vascones rebellant.

Nidicahil Britonum rex fidem præstat Dagoberto.

Ecclesia sancti Dionysii à Christo dedicatur.

Nisi se Satan in lucis Angelum transformarit.

Dagoberti testamentum.

Legati Vasconum metu regis ad ecclesiã sancti Dionysii confugiunt.

fidem recepti abierunt. Paucis deinde exactis diebus, rex alui profluuio afflictus apud Spinogillū in agro Pariſienſi cum decubuiſſet: ad diui Dionyſii ædē ſe transferri iubet. Illic, quia morbo non leuaretur, ſpe ſalutis deſtitutus: Againū, cuius fides probitaſque ſpectata ſibi eſſet, accerſit. Vxorē Nathildē illi filiumque Clodouæum commendat, vt eius prouidentia regnum adminiſtraretur. Proceres quoq; Palatinos, qui aderant, adiurat: reginæ filioq; obſecundent. Morbo tandē extenuatus rex anno regni ſui XIIII. domini autē Chriſti DC.XLV. Cal. Feb. vitam morte cōmutauit. Elatumque cadauer eius eſt vniuerſis conlachrymantibus: & in templo martyrum regio apparatu ſepultum. De cuius vltimo exitu Anſoaldum Pictauenſium antiſtitem (qui paulo ante Dagoberti mortem ad Siciliam legatus fuerat) hæc retuliſſe litteris traditur.

Viſum in morte Dagoberti.

Iohannes erat inſulanus anachorita, vitę ſanctitate famatiſſimus. Ad hunc ex itinere diuertens Anſoaldus: ſalutaribus vitæ ſpiritualis confabulationibus vltro citroq; habitis: cognito quòd Francus eſſet: Ioahannes hominem rogat, quiſnā eſſet Dagobertus rex: & quibus aliquādo moribus vixiſſet. Cui Anſoaldo vitam regis per ordinem enarrante: referam, inquit, anachorita ſanctitati tuæ quænam mihi per quietē de ipſo Dagoberto viſa accepi: procumbenti mihi quietis cauſa, quidam multa canicie reuerendus me excitauit: atque admonuit orare pro animę Dagoberti ſalute: qui eadem ferme hora vita erat defunctus. Dū expergiſcor, iuſſa ſenis impleturus: ecce in medio mari turbā dæmonū conſpicio, qui animam regis cymba deuehentes ad pœnas rapiebāt. Sed Dagobertus aduerſus ſæuientes in ſe dęmones frequenter trium beatorum hominū opem inclamabat, Martini dico, Mauricii & Dionyſii martyris. Ad cuius preces mox procella cū fulgure atque crebris imbribus exorta, viri, quos à Dagoberto imploratos dixi, cādidis ornati veſtimentis ad me ſe conferentes, ſe eos eſſe profitentur, qui opitulaturi Dagoberto aduenirent. Nec mora, ſupplicis animam regis tormentis eximentes, ſecum in cœlū retulerunt: ſine intermiſſione hoc Dauidicū repetentes. Beatus quem elegiſti & aſſumpſiſti in atriis tuis. Replebimur in bonis domus tuæ: ſanctū eſt tēplum tuum, mirabile in æquitate. Hęc diligenter ex Iohanne cognita Anſoaldus in Franciā reuerſus multis cum fideliter enarraſſet, Audoenus Rothomagēſis antiſtes & Dagoberti cancellarius, qui propter ſanctitatem & vitæ merita in numerum ſanctorum poſtea relatus eſt, litteris aſcripſit. Similiter & ipſe Dagobertus ſanctorum catalogo addictus eſt.

Hoſtis ſcil. illius cani, qui Danieli conſpectus eſt.

Riſum teneatis amici: ſimilia ſunt hæc Eraſ. Polo.

CAP. 4.

Nota contentionem inter duos Burgundos.

CLODOVÆVS à Gaino tutore Francorum, atq; Burgundionum regna ſuſcipiens, tertia paternæ ſupellectilis parte Nanthildi matri attributa, reliqua cum fratre Sigiberto ex æquo diuidit. Inde duce matre Aureliā profectus eſt. Vbi ad ſe ex Burgundia venientes proceres in ſua verba iurare fecit, cōſtituto illis principe Palatino Flaucato, qui & Burgundus erat. Cui vxorem deſponſat Ranobertam Nanthildis neptem, quæ ſcilicet virum in officio & fide erga regem contineret. Sed inuidens Flaucato Wilebaldus magnæ apud Burgūdos poteſtatis, hominis deſpiciebat imperiū. Quod poſtquam regi innotuit, Wilebaldum ad ſe Auguſtudunū vocat. Quo cum aduenire collecta iuuenum manu non detrectaret: pręmittit Agelulfum Valentinū pontificem, & Wiſconem comitem explorare quæ eſſet de illo apud aulicos ſententia. At ingreſſis Heduū nunciis, Flaucatus portas claudit & copias in Wilebaldum ocyſſime mouet. Inito prælio Wilebaldus occiditur, & Flaucatus graui vulnere ſauciatus eſt: cuius filius Aubedo patris periculo excitus, multam hoſtium cædem fecit. Nanthilde, non multo pòſt, mortem obeunte (quæ eodem quo Dagobertus ſepulchro condita eſt) Clodouæus moderari rempublicam ſolus cœpit.

Regina Nanthildis moritur.

Caritas annonæ per Franciam.

Cuius IIII. regni anno tanta annonæ caritas fuit, vt fame atq; inedia populus abſque modo deperiret. Cui malo rex occurrens, tectū quod argēteum erat, à templo martyrum auferri, & per loci abbatē Agulphum indigentibus & peregrinis, ſine vlla precii diminutione, diſtribuere iubet. Mox à Lāderico Pariſiorū antiſtite impetrat: liberos ab eius poteſtate dimitti miniſtros, qui monaſterio deputati erant: vt omni libertate donati, ſine moleſtia deo inſeruirent. Huiuſmodi religioſis operibus cum maxime operam daret Clodouæus: neque vllis agitaretur bellis, aperto diui Dionyſii feretro, brachii partem inde abſtulit. Quod tametſi reuerenter

tenter haberet, protenus tum mente consternatus, humi concidit, secutęque sunt per Dionysianum templum tenebrę: & rerum omnium obscuritas, vt qui illic aderant pauitantes citissime inde aufugerent. Rex etsi insano non dissimilis esset, brachii partem ablatam auro circũdatam & gemmis multis decoratam, beato corpori restituit: simulq; donaria monasterio attribuit, quibus meliorem sibi mentem recipere posset. Qui etsi paulo meliusculus extiterit, præ se tamen tulit insaniæ vestigium. Quo annos duos afflictus tandem interiit expleto regni sui anno XVI. Christi DCLXII. appositusque est ad patris monumentum. Cui nulla sane virtus assignari potest. Nam inter gulam libidinesq; & summã auaricia(quibus Clodouęus culpabatur) nemo recte æstimauerit virtutẽ diuersari. Reliquit ex Batilde, Saxonũ genere illustri, liberos tres, Clotarium, Childericum: atque Theodericum. Hæc est Bathildis, quæ Calẽse monasterium a Clotilde regina diuo Georgio dicatum(quia angustum erat) dirutum ampliauit: vbi cum virginibus sacris monialis facta, religiose conuersata est. Cuius item opus est Corbiense cœnobium. Per hæc tẽpora Leonardus heremita Cenomãnus enituit. Passus multa, vt dissidẽtes Francos in pace contineret. Clotario paterna possessio obtigit: qui autore matre dum adolesceret regno præfuit: cõstituto primario palatii Ebroino. Hic ille est Ebroinus qui diuo Leodegario sancto Heduorum antistiti oculos euulsit: Et Lãbertum Leodiorum præsulem sua ecclesia extrusit. His temporibus traditur extitisse virgo illustris Gertrudis: filia Pipini de Landis primi Brabantiæ ducis, Cuius soror Begga fuit, ducissa religiosissima. Et apud Latiniacum a Fortino monasterium institutum: & à Felone viro sancto cœnobium sancti Mauri, quod de fossis nomen habet. Diuus quoq; Eligius Nouiomi. Audoenus Rotomagi, Richarius in Pontiuiaco, Germerus apud Flaium in agro Beluacensi, clari virtute habiti sunt. Clotario post quartum imperii annum defuncto: Frãci Theodoricum minorem natu in regem assumpserunt: misso in Austrasiam ad Vulphanum Childerico, qui eum animo leuem institueret. Per Theoderici incuriam atque secordiam res Francorũ deterior facta est: quippe cum respublica cubiculariis regiis & præfecto palatii libere crederetur: regi vero per inertiam mos inoleuit: palatio, nisi ad Calendas Maii, non ingredi: moderationẽ omnem aliis permittere: ostendere se populo vno dũtaxat die. A quo salutatus & muneribus donatus: cum & ipse reciproca populo dona exhibuisset, domum abire: ibique toto anno incolere. In hoc tam inerti ocio Ebroinus occasionẽ nactus, opprimere & vexare cõplures cœpit: rem omnem in Theodoricum transferẽs. Vnde indignati proceres, Theodericũ monasterio includunt: & Ebroinum malorum omnium principem comprænhensum ad Luxouium cœnobium mittunt. Inde Childericum ex Austrasia cum Vulphano reuocatum, regem appellant: cuius facti statim eos pœnituit. Nam Childericus malis moribus iuuenis: cum plurimos pessundaret: quendam Bolidum, supremæ nobilitatis hominem, innocentem deligatum palo crudelissime verberibus affici iubet: Quo dimisso: reliqui proceres cum eo coniurant. Cuius coniurationis primarii fuerunt Nigebertus & Amanbertus. Hi igitur Childericum in silua venantem circumsistunt atque occidunt, vna cum Vscide regina prægnante. Vlphano autẽ rege interfecto, cura fuit, Austrasiam repetẽdi. At Franci autore Leodegario Heduo Lendesillum palatio præficientes Theodericum asciscunt. In quem Ebroinus contempto cœnobio egressus: collecta perditorum hominum manu bellum mouet: fugatque Baccauillam vsque: vbi direptis Theoderici thesauris: cum Cresiacum rex se recepisset: rebus compositis Ebroino palatii magistratum restituit. Qui Ebroinus venientem ad se post fidem interpositam Lendesillum occidit. Complures præterea præsules relegauit. Theoderico illic omnia permittente. Cognito quid apud Francos per Ebroinum committeret, Martinus & Pepinus grossus(quem de Haustallo vocant) Brabantiæ dux & Beggę filius: exercitum cogunt. Apud Bicophalum prælium atrox commissum est: ita vt multis vtrinque cadentibus, Theoderico tandem hostis cessit: Pepino in Austrasiam: Martino vero Laudunum fugiente. Sed Martinum ad se per inducias secundo accersitum Ebroinus necat: At cum finem Ebroinus persequendi quamplurimos non faceret: insidiis

En, Sanctus Dionysius indignatur, quod ossa sua videat adoratum iri.

Leonardus.

Gertrudis.

Theodericus ignauus rex.

Ebroinus. Theodericus rex, torpens monachus efficitur.

Bolidus a Childerico iniuriis afficitur.

Childericus a coniuratis dum venatur occiditur cum Vscide vxore.

Ebroinus bellum mouet.

Pepinus pusillus.

Hermefredi tandem interfectus est. Mortuo Ebroino, Franci Garaconem palatio pręfecerunt, quem non multo post Gillemarus eius filius à magistratu deiecit. Hic post bella aduersus Pepinum gesta, cum repentina morte interiisset: Garacō pater dignitatem pręfecturæ recepit. Sed eo non multo post defuncto, anceps inter Francos quæstio fuit, quem in demortui locum ordinarent: in Becharium tandem conuenerunt parui pensi hominem, nec tanto magistratu dignū. Frācorum dissidio cognito, Pepinus arma capere instituit: castraque apud Sextricium locat. Ibi Theodoricus fuso exercitu fuga salutem petit: Bercarius autem insidiis suorū occisus est. Pace tandem cum Theoderico composita, Pepinus magistratum Palatii suscepit. Qui, propterea quod in Austrasiam profecturus erat, Nordobertum in magistratu sibi substituit. Per id ferme tempus Theodericus cum annos x. & ix. regnasset, morte interceptus periit: relictis ex Clotilde vxore liberis duobus, Clodouæo & Childeberto. Sed Clodouęus anno regni sui III. mortuus est: Childeberto ei succedente. De cuius rebus gestis non secus, ac si nihil præclarū edidisset, quicquam scriptum non extat. Sepultus est apud diuum Stephanum in oppido Caucia co. Filio quem reliquerat Dagobertus, qui secundus appellatus est, regni gubernaculum permissum est, sub tutela Plentrudæ Pepini vxoris & Theudoaldi præfecti palatii. Erat Pepino Carolus Martellus filius, quem Grossum appellatum accepi, & cui Harstallum non lōgè à Leodiis cum agro adiacenti pertinebat: quem Plē truda nouerca persecuta comprehensum in custodia Coloniæ habuit. Orta deinde inter proceres propter Theudoaldi violentiam seditione, cum diu digladiatū esset, Dagoberti fortuna deterior facta est. Vnde pulso magistratu Theudoaldo Franci Rangafredum principem palatii nominauerunt. Qui mox excitato ad rem fortiter gerendam Dagoberto, per Carbonariam syluam ad Mosam flumen vsq; copias promouit, vastatis vndique atque incensis agris. Quo tempore Martellus custodia elapsus est, & Dagobertum mors occupauit. Eodem prope tempore Ambertus Abricensis pontifex in colle altissimo sancti Michaelis cœnobium exędificauit, cum ageretur annus salutis DCCIX. Erat sacerdos qui Daniel appellabatur, qui cum bonæ æstimationis esset, hunc assumptum palatio præponunt, permisso imprimis, vt cęsaries illi barbaq; adolesceret, quam per sacerdotii legem tondere sæpius oportebat. Capillo adulto regem proceres consalutant, appellantque pro Daniele Chilpericum. Martellus libertate adepta Pepini patris magistratum, hoc est, palatii pręfecturam recuperare omni studio contendit: Clotariumque in Dagoberti locum constituit. Qui cum militum delectum iam haberet, Chilpericus accito Rangafredo & Frisonum duce, qui amicitiam cum Chilperico inierat, ad Mosam fluentum castra promouit. Post atrocissimum conflictum Martellus in fugam se vertit. Sed receptis ex fuga copiis, prælių cum sæpe redintegrasset, pugnatumque varia vtrinque fortuna diu fuisset, tādem apud Ablauum Chilpericus superatur. Verum cum ex fuga se recepisset: bellum iterum mouet. Cui auxilio fuit Vasconum princeps Eudo. Sed benigniore fortuna vsus Martellus, hostem fudit in agro Cameracensi, in loco qui Vinosus appellatur. At Eudo assumpto fugæ comite Chilperico, sublatisque regis thesauris, Aureliam inde in Vasconiam profectus est. Fugientem vero Martellus assequi non potuit, sed Rangafredum Andegauiam petentem, vna cum ciuitate in potestatem recepit. Clementia tamen vsus Martellus, hostem libertate & ciuitate donauit. Anno mox insequenti, missis ad Eudonem legatis, receptoque Chilperico, Vasconi pepercit. Interea Clotarius obiit mortem, restitutusque in regnum Chilpericus non diu superuixit. Cui successorem fecere Franci ex Martelli consilio, Theodercium, Dagoberti filium, quem calle apud moniales virgines educatum autores tradunt. Ad hunc modum Martellus recepta palatii præfectura, grandem exercitum contrahit. Inde Rheno traiecto, per deuictos Sueuos ad Baugarenses vsque, qui vltra Danubium incolunt, ducit: quibus fusis superatisque, postquam maximam Germaniæ partem in ditionem recepit, præda spoliisque impeditus, in Franciam victor regreditur. Vbi cum de Eudonis Vasconis defectione nuncium accepisset, protinus in eum expeditionem parat. Sed Martelli aduentum Eudo non sustinens, in penitiores

A filio pater magistratu deiicitur. Theodericus fugatur. Pepinus palatio præfectus. Mors Theoderici regis.

Seditio in Frācia.

Daniel sacerdos rex efficitur, & Chilpericus appellatur.

nitiores regionis locos se abdidit, quem anxiè quæsitum neque inuentum, Martellus reducto in Franciam exercitu dimisit. Eodem tempore deficientibus à fide Sueuis, Martellus Leufredum Alemaniæ ducem fudit, eamque regionem cum ipsis Sueuis subiugauit. His tot victoriis clarus domum se recepit. Tali profecto principe opus eo tempore erat, cum insurgentibus vndique bellis Francia quateretur. Eudo namque perfidus Vasco, vindictæ appetens ad Hispanos profectus, Abidiramum regem religioni Christianæ infestissimum hostem, magna victoriæ spe allicit, Francos petat. Ille non magno labore persuasus, adeo grandem exercitum cogit, vt non vincere modo Galliam, sed in ea perpetuas sedes habere statuisset. Nam cum innumerabili militum manu, vxores vnà & cum vniuersis fortunis liberos eduxit. Positis apud Burdegalam castris, ciuitatem expugnat, templis direptis incensisque. Paribus deinde calamitatibus Pictauos persecutus: concremata diui Hilarii æde: Turonum adoritur. Sed hosti occurrens Martellus magnã stragem edidit. Ferunt enim in eo prælio trecenta octoginta quinque millia hostium occubuisse: cum tamen ex Martelli exercitu mille tantum quingenti cecidissent. Eius victoriæ causa cognomentum Martello fuisse quidam autores tradunt. Nam Carolo nomen illi erat ex pellice nato, quem Pipinus in delitiis habuerat. Quemadmodum enim ferrum martello obtunditur, ita hostium ferocia Martelli egregia virtute contrita est. Re bene gesta: coniectis in vnum locum spoliis: Martellus militi prædam distribuit. Ipse vero per tot bella censu pecuniaque extenuatus: cum compertum haberet, proceres egregiam operam reipublicæ nauauisse: fortunisque suis destitutos esse: decimas quæ Cleri erant, non dissentientibus episcopis, proceribus, dum bellum aduersus Christianæ religionis hostes gererent, percipiendas attribuit: persanctè iurans, si vitam diu viueret, se omnia & multo maiora sacerdotibus repensurum. Eius sacrilegii pœnas luere apud inferos Martellum Cuterius Arelatensis pontifex se per quietem vidisse diuulgauit. Post hæc Eudo: quo auctore Abidiramus in Franciam demigrasset: in gratiam Martelli restitutus: magnam cladem ex his qui supererãt, hostibus fecit. Ego illud seculum facto aliquo infœlix putauerim: in quo vix quietis momentum Franco militi concessum est. Deinceps Abidiramo superato: noui à Burgundia motus nunciantur. Quò se conferens Martellus: Burgundiones non difficilime compescuit: præsidiis omnibus locis impositis. Mox autem Eudonis morte cognita: in Vasconiam magnis itineribus proficiscitur. Quam omnem prouinciam cum recepisset, in Franciam conuersus est. A Vasconibus aduersus Frisones dimicandum fuit. Id bellum classe comparata confectum est. Sunt enim Frisones ad Septentrionem maritimi, Rhenum, qua parte oceanum influit, attingentes. Cum Radbodo gentis eius duce ad flumen Burdonam pugna congressus Martellus, hostem falsa deorum religione deceptum, fudit: & occidit anno salutis DCCXXXV. Per id tempus Wandali sedibus suis relictis: cum finitimos sibi populos vexassent, in Franciam crudeli agmine ad Senones vsque irruperunt. Sed impetu in eos facto, vrbis antistes Obbo, obsidione liberata ciuitate hostem in fugam vertit. Huius gentis Wandalorum origo, sicut & Gothorum atque Hunorum, à Scythis esse traditur. Qui patria à Gothis pulsi: indéque ad Danubium fugientes: cum illic sedes longo satis tempore habuissent: Gimerith Gothorum rex, eos à Danubio exturbat. Coacti igitur Romanorum legibus audire: à Constantino impetrant locum ad incolendum sibi dari. Pannoniámque annos sexaginta obtinuerunt. Donec Stilico aduersus Archadium Honoriumque imperium affectantes, Wandalos ad belli societatem acciuit. Qua occasione excitati barbari: per Gallias primum diu grassantes: & inde à Gothis depulsi in Hispaniam transgressi Ypsalim ciuitatem obtinuere. Cuius omnem latè regionem Wandalusiam à nomine gẽtis appellauerũt. Sed cum Honorio doleret, Gothos Italiam vastare, Hispaniam illis permittit. Vnde nõ multo post Wandalos deiectos Africam petere cõpulerunt. Vbi ad Belisarii tẽpora incolentes, Iustiniani edicto, per Belisarium, regnum & gẽtem amiserunt. Sed rem cœptam repetamus.

Abidiramus rex Gothus Hispanus in Galliam venit.

Decimas Martellus proceribus Francis assignat.

Motus belli in Burgũdia, nõ difficulter sedati.

Bellum in Frisones.

Frisones.

Vvandali in Senones.

Vvandalorũ origo.

Orta deinde in Burgundia seditione, Lugdunum ire Martellus festinat: cuius aliquot ciues defectionis auctores pœna afficit. Inde prętergressus Arelatę aliisq; munitioribus locis impositis præsidiis: domum rediit. Nec quies fesso principi: Rheni

Auinio ciuitas

accolas Francorum continuos hostes, armis iterum perdomuit. Nec defuit tot incommodis Auinio: prouinciæ munitissima ad Rhodanum ciuitas. Eam Gothi ex Hispania, duce Maranco irruentes, occupauerant. Quam mox Martellus, obsidione cinctã, per Childebertum fratrem oppugnat. Qua re cognita: reguli Gothi suppetias Maranco ferunt: opem præterea conferente Amero rege, non ignobili

Fusi Gothi.

Gotho. Aduersum quos mari delatos Martellus cum exercitum duxisset: regulos fudit: reliquis fugam capientibus. Rursus repetentibus bellum Gothis, cum Narbonensem agrum incursionibus Arelatensemq; vastarent: accito Luprando Longobardorum rege, grassantem hostẽ Martellus exturbauit. Redeuntem inde Martellum morbus inuasit. Quare admonitus, filiis hęreditatem distribuit: Carlomano Austrasiam: Sueuiam Allemanniamq; & Thoringiam, Pipino Franciam relinquens, Griffone derelicto, qui omnium infimus natu erat. Quæ causa fuit insurgentis postea belli. Inter hæc Childericus, velut belua, nihil cogitãs, tempus ocio & voluptatibus exigebat. At Pipinus Brabantiæ princeps, futuris prouidẽs, in Burgundiam, quæ sibi à Martello relicta esset, irrumpens, eam cum festinatione occupat. Interim ingrauescente morbo Martellus morte extinguitur, annis administrationis eius. xxv. exactis. Cuius sepulchrũ ex alabastro apud diuũ Dionysium proximè maiorem templi aram ad hoc vsque tempus visitur. Griffoni, quem minimũ natu diximus, erat mater Sunahildis Odonis Baioariæ ducis neptis, mulier cordata. Quę iniquo animo ferens, Griffonem à patre testamento prętęritum, filium excitat hæreditatis portionem ex fratribus repetere. Nec mora Laudunum plenus spei iuuenis occupat: bellumque fratribus seorsum indicit. Quem Lauduni obsessum fratres vltro ad se venientem capiunt. Carlomanus ne interim dũ melioribus, Rheni rebus animum intendit, rebus nouis Griffo studeret, in nouo castello, quod non procul ab Arduenna silua erat, in custodia asseruari iubet. Inde aduersus Aquitanos expeditionem Carlomanus Pipinusque promouentes (duce Hunauldo superato) prouinciam subiugarunt. Cum autem Pictauiæ castra haberent, regnum quod antea cõmuni consortio possiderent, inter se partiti sunt. Sed redeunti Carlomano cognita Alemanorum defectione, ducto in eos exercitu, agros incendit, atque ita diruptis ad solum compluribus locis, cum Frãcos repeteret, Odilonem Boiariæ ducem arma agitare, & bellum aduersus reges parare nunciatur.

Carlomanus religionẽ profitetur.

Cuius temeritatem facile reges compresserunt. Nec mora, in Saxones bellum insurgit. Quos Carlomanus se solo (ductis aduersus rebellem copiis) perdomuit. Hic Carlomanus, cui secundorum negociorum turba odiosa maxime esset, Pipino regni admistratione attributa, Romam proficiscitur. Atque à Zacharia tunc Romano pontifice religionis habitum professionemque recipiens, deo militauit in cœ-

Mons Soracte in Tuscia.

nobio, quod suis impensis in mõte Soracte extruxerat. Eo cum se cõplures ex nobilitate Francorum eius visitandi gratia crebro conuenirent, ad montem Cassinũ demigrauit. At longe alio animo Griffo permoleste ferebat Pipino subiici. Libertatem igitur nactus ad Saxones se recipit. Ibi collecto (vt ipse arbitrabatur) iusto exercitu, aduenienti Pipino occurrere ad Onacram amnem, loco quem Orhemũ incolæ vocãt, non formidat. Pipinus autem ad fluuiũ Mussahã in vico Strahungo castra fecit. Nullo tamen prælio cõmisso, in colloquiũ ventũ est, atq; ita re infecta

Griffo hospitem suum Taxillonem possessione exturbat.

Pipinus Zachariam pontificem Romanum consulit.

discessum. Griffo quidem cognitã Saxonũ perfidiã habens, in Baioariã contendit. Vbi allectis in suã beniuolentiã permultis proceribus Frãcis, ducẽ Taxillonẽ hospitẽ ducatu exturbat. Ea re cognita Pipinus cũ magnis copiis in Griffonẽ progressus: depręhenso Griffone Taxillonẽ restituit. Griffonẽ autem sex, vel, vt à nonnullis scribitur, duodecim comitatibus, apud Frãcos donauit. Quibus nõ cõtentus, eo ipso anno quo hęc gesta sunt ad Gaifirũ Aquitaniæ ducẽ defecit. Pipinus regũ Frãciæ inertia perspecta, cũ domi delitescerent, nec reipublicæ procurationẽ vllã susciperẽt, Zachariã Romanũ antistitẽ per archiepiscopũ Bituricẽsem Rurchardum & Furadũ ipsius Pipini domesticũ sacerdot consulit, vter ad rẽpublicam gerendam

potissimum

potissimum idoneus ex regibus esset: isne qui ocio domi tempus cõtereret nihil agens, nihil omnino curans, an qui industria virtuteq; publica negocia moderaretur intentus atque sollicitus. Ad Pipini consulta respõdit Zacharias, eum regni gubernaculo dignum esse, qui prudentia spectatus, rempublicam diligenter curioseq; componeret. Quo responso adducti proceres, Pipinum sibi deligunt regem, & ex Zachariæ sententia atque auctoritate illũ confirmant, quem Bonifacius (qui catalogo sanctorũ ascribitur) Suessione more regio vnxit. At Childericus homo vecors detõso capillo monasterio deputatur, anno domini DCCL. Eodẽ anno quo regni diadema Pipinus suscepit: Saxones bellũ mouent. Quos ad Wisurã flumen prælio iterũ victos rex in suam potestatẽ accepit. Franciam inde repetenti: Griffonẽ quem ad Gaifirũ, Aquitaniæ ducẽ defecisse cõmemorauimus, interemptum fuisse nuntiatur. Curauit præterea religiosus princeps auctore Remigio Rothomagorum Antistite, emẽdatiora facere, quæ antea rudia & inculta in ecclesiasticis officiis cantabantur. Per id tempus Stephanus secundus pontifex Romanus vrbe egressus, Carisiacũ ad Pipinum se cõtulit: Pipinũque in regem Francorũ sacrauit. Causa profectionis fuit. Alstulphus Longobardorũ rex grauiore tributo Romanos premebat, indicto cuique Romano capitali censu atque annuo. Pontifici propter ea suppetias ferre Pipinus pollicetur. Interim dum ad expeditionem se Pipinus parat: pontifex apud sanctũ Dionysium diuersatus est. Stephanus autẽ, vt regi gratificaretur, Pipino benedixit & posteritati eius: atque qui temeritate aliqua aduersus Frãcos bella mouerent, cõmunione Christiana interdixit. Alstulphus autẽ spem capiens Pipinũ in Francia retinẽdi, Carolomanum, quem in Cassinensi cœnobio monachum factum esse scripsimus, ad Pipinum ire iubet. Cuius aduentu Pipinus nihil à sententia motus, Carlomanum in Viennensi monasterio continuit, vbi ægritudine contracta defunctus est. Primo insequenti vere Pipinus in Longobardos exercitum ducit. Cui ad alpium angustias occurrens Alstulphus, transitu Francos prohibere cõtendit. Sed irruentium in se Francorum impetum non sustinens, Papiã se recepit. Ibi milite Franco circumuallatus: obsides XL. Pipino dat, iuratq; Romano põtifici quęcunque abstulisset restituere. Atque ita attributis Stephano militum firmissimis copiis pontificem in sedem Pipinus restituit. Cognito Pipini in Franciam abscessu Astulphus neque obsidũ neque iurisiurandi curã habens, nullis se promissis absoluit. Eam ob rem Pipinus superatis iterum alpibus Alstulphum Papiæ obsidet. Obsidione pressus Alstulphus, Rauennam Pipino cum aliis quas pontifici abstulerat aliquot vrbibus, quæ in exarchatu erant, restituit. Receptas Pipinus Stephano assignat. Ipse vero Alstulphus nõ multo post equo forte delapsus, ceruicẽ fregit. Eodem tempore Pipino apud Compendium agente, venere ad eum ex Cõstantinopoli legati Constãtini imperatoris Leonis filii, qui sacras ad sanctorũ reuerẽtiã imagines fieri prohibebat. Eiq; imperatorio nomine miri operis organa dono dedere. Eius legationis nulla causa litteris mãdata est. Credo Pipini fama imperatorẽ adductũ fuisse: ideoq; nouo principi gratulari voluisse, amicitiamq; eius expetiuisse. Venit præterea magna procerũ suorũ nobilitate comitatus dux Bauarię Tassillo, qui in verba regis iurans, illi se & gentẽ fortunasq; omnes suas perpetuo summisit. Saxones vero quibus odio semper fuerat Francorũ nomẽ proficiscẽtẽ in Saxoniã Pipinũ aditu intercludere conati sunt. Sed irruptione facta Pipinus hostẽ retro abire cõpellit. Victos deniq; annua trecentorũ validissimorũ equorũ pensione Pipinus mulctauit: quos ad se quotannis in Franciã parlamenti tẽpore deduceret. Sic enim publicũ ad iustitiã ministrandã conuentũ Frãci vocãt. Cuius instituẽdi autor ab historicis nõ traditur. Id enim cuiusq; anni definito tempore, loco quẽ rex designasset, habebatur. Verũ quandoquidẽ hæc generalis ex toto regno coitio impẽsis & laboribus cõueniẽtes afficiebat: obseruatũ postea est, vt ex maioribus ciuitatibus & prouinciis periti iudiciorum & consuetudinis homines ad id munus delecti, ius cuiq; per prouocationem litiganti dicerent. Quæ institutio cum vaga interdum incertaque commutatis sedibus esset: decreta parlamento apud Parisios curia: & sedes in qua iudices designati se iugiter sisterent perpetui prouocationum definitores: qui LXXX. sunt, annua ex regis fisco stipen

Griffo necatur.

Stephanus II. papa Pipino & eius posteritati benedixit.

Alstulphus à Pipino vincitur.

Legati imperatoris ad Pipinum veniunt.

Tassillo Bauariæ dux.

Saxonibus tributum imponitur.

Institutio parlamenti.

ſtipendia capientes. Et hi quidē per quattuor curias diſtributi ſeorſum conſidunt: ſuosq; præſidentes habent. In prima (quam Franci Cameram vocant) pręſidentes quattuor & cōſiliarii triginta, cauſas & lites audiunt: dilationes & quæ ad iuris cognitionem attinent, conſtituūt. Leuiora quędā & tēporanea finientes. In reliquis ſingulis duabus cameris decē & octo inquiſitionibus pręſunt: qui enquęſtarum, id eſt, inquiſitionum conſiliarii dicuntur, quibus præſidentes quatuor præficiuntur. Horum omniū ex clero, parſq; ex laicis conſtituitur. Sententias dictant, quas ſtatutis diebus alter præſidentiū in prima curia palā enunciat. Idque *arreſtum*, id eſt, fixū & firmatum vocant, à quo videlicet nemo prouocare poſſit. Qui vero reus ſententiā in ſe excipit, ſexaginta librarum Turonenſiū multa afficitur. Si quis tamen in iudicio error, admiſſus reo eſſe videbitur, errorē proponendi & in iudiciū eiuſdē curiæ deducendi poteſtatē habet: nec prius auditur, quàm duplicatā mulctam depoſuerit. Quarta curia eſt eorū quos *requeſtarū*, id eſt, ſupplicationū palatii magiſtros vocāt. Apud quos cauſa eorum tantum agitur, qui regis obſequiis deputati, vel priuilegio donati ſunt. Et ab his quidē iudicibus, qui ſex ſunt, prouocare ad parlamētum licet. At cum in decidendis iudiciis nodus aliquis & anceps in cauſa difficultas ſurgit, omnium curiarū & camerarum conſiliariis conuenientibus ſentētia fertur. Eius parlamēti tanta fuit ſemper apud Francos autoritas, vt quę rex ipſe de re publica deque iure & prouētibus regni ſtatuerit, ea ſine huius ſenatus decreto nō procedant. Sunt prætcrea ipſius parlamenti cōiudices, dum adeſſe volunt Franci pares: de quibus poſtea ſcribendū nobis eſt. Atque vt huius ſacroſanctæ cōcionis regem autorē eſſe certū ſit: regia ſingulis quibuſq; annis reſcripta eduntur, quibus ad diui Martini diē feſtum, id eſt, I I. Idus Nouembris parlamentum inchoandi iudicibus à rege autoritas datur. Ad hoc prætereà parlamentū ſpectant octo alii ſupplicationū magiſtri, qui regii hoſpitii peculiari nomine appellātur, qui regi frequētius aſſiſtunt cancellariā ſectantes. Et hi poſt primæ curiæ præſidētes omnium primi ſedent. Hi ergo cum Franciæ paribus cōprehenſi centū omnino ſunt, quibus appellationum cognitio regaliarū quoque & pariū cauſæ cōmittuntur incōmutabili ſentētia terminandæ. Iam ad Pipinū redeamus. Vix hac in Saxones expeditione liberato Pipino, Gaifirus Aquitanus defertur ſacerdotū prouentus ſibi vſurpare. Quamobrē miſſis ad eum legatis: rex iubet ab hac temeritate tēperet: ablataq; ſacerdotibus reſtituat. Sed cum imperata facere negaret, Pipinus apud Childoachum caſtra habuit. Cognito regis aduentu Gaifirus beniuolentiam ſimulans: miſſis, ad Pipinum Algario atque Itharo obſidibus reſarciturum ſe omnia promittit. Exceptis obſidibus rex in Franciam reuertitur. At Gaifirus: incommodorum, quæ à Pipino pertuliſſet, memor, Cabillonem Burgundiæ vrbem copias mittit: quæ & vrbem & late circumpoſitum agrum populentur. Agebat tamen in publico cōuentu apud Duriā Pipinus. Perfidia Gaifiri cognita: vlciſci iuriſiurandi contemptorē pergit. Caſtellis compluribus ſolo tenus dirutis Borbonium, Canthellam atq; Claromontē recepit. Inde cū Lemouicas perueniſſet, omnibus igne ferroq; conſumptis, exercitū in Franciam hybernatum mittit. Eius belli aduerſus Gaifirum finem cum Pipinus maximè optaret, crebras expeditiones in Aquitaniā duxit: quam infeſtiſſimis incurſionibus vexat. Et quamuis hoſtiliter per omnē regionem frequenter miles Francus graſſaretur, Gaifirus tamen nec in aciem prodire, nec aperto pręlio decertare auſus eſt. Excurſa Aquitania, deficientibusque ad Pipinum plurimis vrbibus, Gaifirus à ſuis necatur. Erant in ſupellectili Gaifiri manuum integumenta, quæ nunc chyrotecæ appellantur: quæ quòd vnionibus aliiſque precioſioribus gemmis intexta erant, ad ornamentum feſtis diebus Gaifiro erant. Hæc recepta Pipinus in templo diui Dionyſii appendi iubet. Quæ cruci aureæ, quæ ſupra aram maiorem extat, appenſa diu viſa ſunt. Bello Aquitanico exacto: & Gaifiro apud Petragoricos necato: Xantonas Pipinus petit. Ibi contracta infirmitate, cui intercus nomen eſt, mox Turonum, deinde Pariſium ſe contulit: vbi paucos poſt dies vita deceſſit: elatuſque eſt funebri pompa, & communi omnium luctu in monumentum, quod in diui Dionyſii æde illi extructum erat, ſepultus, anno Chriſtianæ gratiæ ſeptingenteſimo ſexageſimo octauo.

Pipinus pro cleri libertate Gifiro Aquitanorum duci bellum indicit.

Gaifirus à ſuis necatur.

Dum

Dum hic Pipinus regno Francorum præest, dux Aubertus ex Ida Burgundorum ducis sorore Robertum filium excepit, qui ob vitæ turpitudinem & flagitia diabolus cognominatus est. Sed tandem resipiscẽs, moribus fuit optimis, & gratiam obtinuit sanctitatis.

ROBERTI GAGVINI
HISTORIÆ FRANCORVM
LIBER QVARTVS.

CAP. I.



IPINO pusillo duo fuere ex Bertha liberi superstites, Carolus & Carlomanus. Qui ambo ex sententia procerum reges appellati: partito inter se æquabili portione paterno regno: Carlomanus Suessione: Warmaciæ Carolus diadema suscepit. Sed Carlomano breuior vita fuit. Hinc auctior factus Carolus: toti sine intercisione regno dominari cœpit: moxq; Hermenaldo sibi familiari Antissiodorũ dono dedit: eumq; comitem appellauit. Nec mora interposita, cum accepisset Hunuldum Aquitaniæ vrbes, quas Pipinus subegerat, ad defectionem sollicitare: cõparato exercitu aduersus rebellem progreditur. Quem in fugam versum: & ad Lupum Vasconũ ducem se recipientem, mira celeritate Carolus persequitur. Sed priusquam in Lupum moueret: ad eum legatos mittit: qui dedi sibi hostem petant, alioquin belli omnem molem in sese excepturum. Lupo consilium fuit, non Hunuldum modo sed se quoque cum omni Vasconia Caroli potestati committendi. Recepta vtraque prouincia, Carolus, cum in Franciam venisset, Adriani primi Romani põtificis legatos audiuit. His mandatum erat petere à Carolo auxilium aduersus Desiderium Lombardiæ regem: quo oppressore multa oppida vi, multa spontanea deditione à Romana ecclesia defecerant. Legatis Carolus respondet, se id curaturum: subuenturumq; beato pontifici. Igitur missis ad Desiderium nunciis: petit ab iniuriis desistat. Restituatq; summo sacerdoti quæ abstulisset. Atq; vt imperata recusanti Desiderio Carolus paratissimus occurreret, collecto celeriter exercitu interim dum legati mandata peragunt, omnia quæ ad bellum cõueniebant, comparat. Redeuntibus legatis, cognoscit Carolus Desiderium omnia hostiliter agere, paratum esse discrimen experiri. Non cunctatus igitur copias ad alpes progredi iubet. Occupauerat Desiderius angustias montium fortissimis præsidiis. Sed certior factus Desideriũ Versellas cum grandi exercitu profectum esse, conuerso in illum agmine Carolus Versellas petit: vbi dimicandi potestate facta, fusos suos cum videret: Desiderius Papiam fuga se proripuit. Locum, vbi pugnatum est, propter interfectorum stragem, Mortariam incolæ appellauerunt: vbi sacella duo, vnum beato Petro, alterũ diuo Eusebio dicata sunt, in illo Amillius, in hoc Amicus sepultus est. Qui tãta formæ similitudine æquales fuisse traduntur, vt alter ab altero haud facile discerni posset. Et hi quidem in Caroli exercitu militantes, apud Mortariam occubuerũt. Fugientem Desiderium celeriter persecutus Carolus, cum vrbẽ prima oppugnatione capere non potuisset, eam circumsistit, ne qua pateret Desiderio effugiendi via. Sed vbi cognouit Desiderium plurima tentaturum, priusquam se dederet, Carolus relictis quibusdam ad continuandum obsidionem fortissimis & belli non ignaris proceribus Romam visendi Adriani causa profectus est. Inde Papiam conuersus ciuitatem Desideriumque vna cum vxore & liberis in potestatem accepit, Leodium (vt Bibliothecarius autor est) relegauit. Hic est Desiderius regum Longobardorum vltimus. Quorum Longobardorum in Italiam irruptionis hæc causa fuit. Cum enim ex Scandinania insula, quę in Oceano Germanico est, nouas sedes quęrentes, duobus & quadraginta annis in Pannonia se collocassent, Narses eunuchus, quem Iustinus Bizantinus imperator aduersus Gothos Italiæ præfecerat

Carolus in Desideriũ mouet.

Mortaria in Lombardia.

Amilius & Amicus.

Rex Desiderius Papiæ obsessus.

Longobardorum origo.

rat, offensus, Sophiæ Iustini vxoris verbo Longobardos in Italiam accersiuit. Sophia enim credula mulier, dum Narsetis æmulos criminatoresque auscultat, illum ad se vocare cōtendit, scribens ei ad lanam & pensa eunuchum reuerti oportere. Quo opprobrio irritatus Narses: at ego, inquit, telam ordiar non facile æmulis extricabilem. Itaque legatos ad Alboinum qui vndecimus Longobardorum rex eodem tempore erat, mittit. Legati quo facilius hominem Narseti conciliarent, suauissimos terræ Italiæ fructus deferentes, Narses, inquiunt, ad societatem belli Italici te vocat, vbi non rapis Pannonicis sed huiusmodi fructibus abundè fruaris. Auditis oratoribus, non prigritatur rex vocanti se parere. Sed contracta Longobardorum potenti manu, in Italiam ad Narsetem per sinum Adriaticum ire festinat, spe futuræ societatis allectus. Præcessere Alboini aduentum prodigia. Pestis totā Italiam occupauit. Igneæ & cruentæ acies per cœlum apparuerunt. Et nix frequēs præter solitum terram operuit. Ingressus Italiam Alboinus Gisulphum, quem nepotem habebat, Foroiulianis præfecit. Hoc initium fuit Longobardis Italiam inuadendi, vbi plus CC. annis ad hunc, quem Carolus superauit, Desiderium grassati sunt. Cæterum Gisulpho male accidit. Cacanus enim ex Norica, quæ terra Venetiis finitima est, in Italiam irrumpens, Gisulphum cum copiis sibi occurrentem occidit. Quam rem gestam huic compendio ideo insertam esse volui, propter detestabile facinus, quod deinde secutū est. Gisulpho prostrato, Romilda eius vxor Foroiulium diligenter à se communitum defensare proponit. Sed inconstans & libidinosa mulier, dum muris obequitantem hominem specie & viribus validum conspicit: colloquium eius postulat. Igitur ex muro Cacanum vocans, oppidum dedere offert, si se ducat vxorem. Qua oblatione lætus hostis, per nuncium iurat se fœminæ pariturum. Hac tantum fide Cacanus oppidum recipit. Sed perfidus barbarus continuo emissa ex Foroiulio turba, oppidum cremat: fœminas infra pubertatem in campum ad hoc constitutum abductas trucidare iubet. Moxq; iurisiurandi, quod Romildæ præstiterat, memor, eam vna nocte tantùm in coniugem accipit. Quam postridie validissimis duodecim militibus prostituendam vsque ad lassitudinem exhibet. Deinde palo eam affigi mandat, tali dignam dicens ignominia fœminam, quæ ob libidinem patriam hosti prodidisset. Fuit ergo Desiderio, quem diximus, finis. A quo recuperatas, quas Romano præsuli abstulerat, vrbes ecclesiæ Carolus restituit. Addidit his Spoletum atque Beneuentum. Quibus beneficiis, vt pōtifex gratiæ aliquid rependeret, Carolum multis ornauit priuilegiis: Quorum illud maximum fuit, donare ecclesias idoneis sacerdotibus posse: id à sacerdotibus *inuestitura* vulgo appellatur: qua sine ecclesiam, vel, vt nunc loquimur, beneficium nemo possidebat. Recipiebat enim à rege, qui beneficium adepturus esset, anulum vel simile quippiam: argumentum scilicet regiæ in eum gratitudinis. Interest enim regum nosse: qui maiores maximè ecclesias administrent: quarum ipsi tutores sunt. Adiectum priuilegio est, Romanum quoque pontificem sine Caroli iussu eligi non debere: idque in synodo assidētibus Romæ CLIII. episcopis atque abbatibus firmatum est. Rebus in Italia ex Caroli sententia præclare confectis: in Franciam reuerti rex maturat. Nam rebellātibus iterum Saxonibus bellum indicere iam diu animo conceperat: propterea quòd sæpenumero victi, nec acceptas leges nec conuenta seruarent. Sed cum falsis deorum religionibus inseruissent: Francos Christi cultores maxime oderant, quibus erant finitimi. Aduersus illos ducto exercitu: variis præliis vt oportune Carolus poterat, certatum est. Duobus tantum locis: apud Onacrum semel: iterum apud Hesam fluuium totis copiis pugna fuit. Posteriore attriti Saxones: in deditionē venere. His mandatum est, Christi religionem institutaq; profiteri. Ex omni Saxonum turba multis obsidibus acceptis, millia decem Carolus in Franciam translata variis assignari locis iubet. Ex his prognatos Brabantinos Flamingosque satis constat, quorum etiam nunc ferociam & seditiosos mores præ se ferunt. Non desunt tamen neque futiles neq; pœnitendi autores, qui in Belgarum historiis, Brabantiam & etiā Flandriam longe ante hæc tempora, imò ante incarnationem dominicam populo frequentes memorent. Saxonibus tandem post eius belli initium trigesimo

Prodigia

Romilda.

Priuilegium inuestituræ ecclesiarum & instituendi Romanum pontificem.

Bellum in Hispania.

anno superatis, cum ex Hispania belli motus fieri nunciarentur ab iis qui aduersæ religionis erant: Carolus fidei Christianæ caritate adductus, exercitum in Hispaniam ducit. Prius tamen quam expeditionem produceret, rem tanto principe dignam ordinat. Ex omni præcipua Francorum nobilitate duodecim selegit, quos secum in militiam perduceret, eos *pares* appellans, quia scilicet æquali inter se dignitate regi constantes perpetuo essent: neq; cuiusquam, nisi Parlamenti tantum, senatus iudicio obnoxii tenerentur: qui conseruandis item coronandisq; Francorum regibus adessent. Hi etiam nunc insequentibus nominibus designantur. Remensis archiepiscopus, Laudunensis atq; Lingonensis pontifices duces. Bellouacus, Nouionensis: atq; Cathalaunensis episcopi, comites sunt appellati. Ex sæculi principibus: Burgundus: Normannus, & Aquitanus ducatus dignitatem. Flandrensis autem, Tholosanus: & Campanus, comitatus prerogatiuā obtinuere.

Parium Franciæ origo.

Geruasius.

Geruasius Tilesberius, qui ad Othonem IIII. imperatorem germanum de ociis imperialibus scripsit, autor est, hanc parium institutionē ab Arturo rege Anglo processisse. A quo Franciam subactam fuisse dicit, circiter annos dominicæ gratiæ DXL. Quod & ipsi Angli tradunt. Nihil tamen in Francorum historiis inuenio, quod huic rei concordet, quare illud fabulæ ascripserim. Carolus autem inde profectus, Pampilonam in saltu Pyreneo vrbem: deinde Ibnalarchi opera, qui eo loci imperitabat, Cæsaraugustam Carolus capit. Inde, postquam magnam agri Hispaniensis partem ferro igneq; vastasset, in Franciam maturans Pampilonæ muros solo æquauit. At cum ad angustias Pyrenei iugi, quæ ad Vasconiam spectant, peruentum est, Vascones ex insidiis in postremam Francorum aciem tela coniiciunt. Atq; ita arctissimis faucibus inclusus miles, cum nec retrocedere nec in iugū euadere, posset magna clade affectus est. Interemptis Anselino atq; Egresibardo egregiis belli ducibus. Rolandum quoq; Caroli ex sorore nepotem, fortissimum virum, illic periisse autores tradunt. Cuius illustria plurima gesta posteritas celebrauit. Occubuit quoq; Oliuerius paris nobilitatis strenuus comes. Sed huius perfidiæ pœnas interfectis paulo post eorum regulis, incensisq; late agris Vascones exsoluerunt. Hæc à Ganelone, qui Marsillo infideli regi extremā Francorum aciem, pecunia corruptus, prodidit: clades illata est. Sed proditorem pœna non deseruit. Carolus enim Ganelonem appræhensum Aquisgranum duci, ibiq; equis ferocissimis quatuor: pedibus manibusq; distractum membratim dissipari iubet.

Proditio in castris Francorū a Ganelone.

Britones.

A Saxonibus in Britones Caroli arma conuersa sunt, qui à Francis defecerant. Venere tandem in Caroli potestatem. Per idem tempus Beneuentum duce Araiso Caroli imperata abiurant, atq; grauissimos motus belli excitassent, nisi Caroli diligentia præuenisset. Admoto enim ad Capuam incredibili celeritate exercitu, vix castris locatis de pace conuenit: perterrito hoste, qui tantam in rege celeritatem admiraretur. Re confecta Franciam Carolus repetit. Ibi nuncium accepit, Tassilonem Baioariæ ducem, quem ad Pipinum venisse supra memorauimus, vxoris querelis agitatum, arma parare, finitimosq; populos sibi ad societatem belli accisceres, vt Francis incommodaret. Erat Tassiloni vxor Desiderii filia: cui dolebat maximè patris fortuna, quem Franci & regno & vita priuauerant: vxore liberisq; abductis. Ea re cognita Carolus nulla mora interposita, in Tassilonem progreditur. Cum non procul Baioaria peruenisset, legatis mandat Tassilonem adeant, atq; admoneant, pluris habeat Francorum mansuetudinem, quàm arma experiri. Quibus mandatis perterritus Tassillo nihil cunctatus, Carolo se dedit. Datq; Theonem filium cum aliis compluribus summa eius gentis nobilitate obsidem.

Bauari.

Abdoriti.

Interea cum hæc agerentur: Abdoriti vetustissima amicitia Francis iuncti, quia à finitimis populis bello impeterentur, auxilium petitum ad Carolum mittunt. Ab oceano sinus est, qui orientem versus centum (vt fama est) millibus passuum excurrit. Hūc ad vtramq; ripam Abdoriti, Velatabi atq; Normanni incolebant. Abdoritorum legatis Carolus opem pollicetur. Nec cunctatur copias illò promouere: hostem ex sociorum finibus pellere, pulsos adigere iuramento, ne vltra Abdoritis, sed nec aliis populis bellum se inconsulto inferant. Supererant Huni, qui à Scythis atq; inde à Meotide palude olim mouentes in Pannoniam demigrarant. Hi & opibus & po-

Huni victi et mirum in modum attenuati suis fortunis.

puli multitudine sociisq; potentes, atq; aduersus Saxones de regionum limitibus contendentes, Francos parui habere ceperunt. Igitur aduersus validissimam gentem delectissimum & numero & viribus exercitum Carolus comparauit. Octauo tandem anno multis variisq; prælijs bellum confectum est. Victoria de Hunis habita: Franci, quicquid apud hostem diuitiarum inuentum fuit, in Franciam exportauerunt. Eo bello adeo attrita gens Hunorũ est, vt de summis opibus & beata quadam fœlicitate delapsi, nullum fere prioris fortunæ splendorem retinuerint. Sunt qui memoriæ prodiderint, Adelgisum Desiderii regis filium, qui Bisantium ad imperatorẽ profugerat, eodẽ tempore coacto exercitu in Italiã venisse, recuperandi paterni regni causa. Cuius inanes conatus, missis præfectis, Carolus facile fregit, Adelgiso supplicio affecto. Bohemicum deinde atq; Lemouicum bellum per Carolum filium iuniorem confectum esse, quo egregio facto filius indicium paternæ virtutis, à qua nõ degeneraret, dedit. Neq; diu post de Normannis Abdoriti quæstionẽ Carolo afferunt. A quibus affecti maximis iniuriis duce Gothofrido essent. Indignatus igitur Carolus, quòd victi semel Normanni, bellum redintegrassent, classe instructa illò militem mittit, ipse terrestri itinere proficiscitur. Iam enim tã elato animo Gothofridus superbiebat, vt Aquisgrani, vbi Caroli regia erat, se castra positurum iactitaret. Sed non longus labor Carolo fuit. Gothofridus enim à suo quodam satellite necatur. Mortuo duce, Normanni imperata facturos se esse promittunt. Ad hæc tam crebrò ingruentia Carolo bella, addere quosdam autores non ignoro, expeditionem, quam religionis causa, atq; Bisantini imperatoris suasu Hierosolymam Carolus duxerit. Cuius rei fidem non facile admiserim: ob id maximè, quòd hic Constantinus graui lepra eo tempore laborabat. Illa vero, quæ de Hispania feruntur, dissimilia vero sunt. Nam cum vel in Italia, vel in Hispania: in Germania: item aduersus Saxones plurimis locis, in Vasconia rursus atq; Aquitania continenter bella, nulla quiete data, gesta sint, nullum fuisse tempus videtur, quo tam longinquum assumere bellum potuit. Nec illud afferri potest, post acceptum à Leone III. pontifice Romano imperii nomen, Hierosolymam mouisse, tum propter Constantinopolitanum imperatorem, qui æmulum imperii suspectum haberet. Nec constat Carolum Italiæ aut Germaniæ fines à suscepto imperio præteriisse. Is quoq; qui vitam & gesta diui Seruatii memoriæ prodidit: negat Carolum vllam in Sarracenos expeditionem duxisse. Itaq; qui de Hierosolymitania expeditione scribunt, nullum tempus aut locum tam longi itineris signant, nisi quandam sine nomine & regionis appellatione siluam, feris tantum cognitam: qua iter faciens Carolus cum exercitu perpetua nocte deerrauit, donec ab incerta volucre, quasi voce humana, admonitus, in viam militarem reuersus est. Sed quis putet tantum imperatorem absque viarum conscii ductoribus, se atque copias omnes noctu, siluarum opacitati per dumos & vepres credidisse? Hæc deliramenta sunt magis vetularum quàm hominum, scitè, & diligenter rerum narrationem texentium. Et qui ita memorant, tacent Constantini, qui tunc Bizantinus imperator erat, elephantiæ morbum, quo grauissimè laborabat, cum quo conuersatum fuisse Carolum (quemadmodum nonnulli tradunt) haud vero simile est. Ego vero cum Tolleti essem, Carolumque Magnum magnis laudibus efferrem, quòd Hispaniæ bonam partem ad ipsum vsque Tolletum subiugasset: perlatus est ad me liber, qui *præconia Hispaniæ* inscribitur: Vbi hæc, quæ de Carolo memorabam, eius libri authoris maximo studio & nixu refelluntur. Quamobrem inter tot repugnantes sententias: quam maximè sequi oporteat, non diffinio. Platina autor est, Carolum ad Granatam vsque penetrasse. Et Adelphonsi Gabitiæ regis ope Vlixbonam recepisse. Tantum illis assentior, qui Hierosolymitanam expeditionem non admittunt: quam tamen multi authores antiqui attestantur, asserentes, quòd infidelibus à terra sancta expulsis, & Christianis locis suis restitutis, prosperè in Franciam redierit.

Abdoriti contra Normannos.

Quibus autem causis ad imperium Carolus sit prouectus, nunc enarrabo. Orta apud Romanos seditione: quidam magna auctoritate proceres in Leonem pontificem coniuratione facta, vrbe eum expellunt. Qua iniuria per legatos ad

Caro-

Carolum relata, vltum se ire pontificis iniuriam rex respondit, ratus ad dignitatem suam pertinere, Romanā sedem tueri. Leonem autem magno honore apud Perbrunem Saxoniæ oppidum Carolus excepit. Datoq; illi plurimo insignium virorum comitatu, Romam emisit. Igitur breui, dum Saxoniæ res componit, mora interiecta, in Italiam contendit. Eius aduentu composita res est, coniuratis supplicio affectis, atque ita Carolus pontificem restituit. Restitutori gratificaturus Leo III. sacerdotum habito consilio, Carolum, VIII. Calendas Ianuarias, cum Francorum regnum III. & XXX. annos administrasset, Augustum appellat, gratum nomen Romanis, nec minus Italis omnibus acceptum. Supra enim CCC. & XXX. annos cum imperii nomen (Gothis omnia fere occupantibus) insuetum pene esset, ad Carolum delatum esse, nemo non lætabatur, qui & virtute & rebus gestis imperio idoneus omnium iudicio erat. Imperii autem appellatio, tametsi diu militare officium in bello fuisset, consuetudine tamen inductum est, vt ii qui reipublicæ gubernacula soli inibant, imperatorium nomen ad dignitatem transtulerint, regio nomine reiecto, quod post exactos reges odio Romanis habebatur. Præterea Constantinopolitanorum imperatorum secordia effecerat, vt illis non ferentibus contra tyrannos opem Romanis, pontifex Leonem imperio priuarit. Imperatoria dignitate decoratus Carolus in Franciam reuertens, omnibus, quà iter habebat, locis magna omnium lætitia excipitur. Gesta sunt à Carolo plæraq; alia bella, quæ per præfectos vel filios prospere administrauit. Sicut illud quod aduersus Britones per Andulfum gessit, dum Warmaciæ contra Saxones ageret. Hi enim Britones à Britannis orti, cum aliquando à Saxonibus Britannia occuparetur, in Venetorum atq; Corosolitorum terras, vbi nunc incolunt, commigrauerant, Francis exinde tributū quotannis exoluentes: quod cum per id tempus detrectarent, Andulfus Caroli iussu subiugauit, acceptis obsidibus, quos Warmaciam ad regem adduxit. Quę vero à Turpino Remensi plurima produntur, ea permultum audaciæ græcanicæ habere mihi videntur. Figmentis enim similia per poesim excogitata esse crediderim. Cuiusmodi illud est, Pampilonæ muros tubarum concentu corruisse: hastas militum iam diu aridas, terræ noctu affixas, non longe à Tolleto, altera die viruisse: Carolum tam valido lacerto esse, vt equi complures soleas ferreas simul soluere posset. Insidentem equo armatum militem, vno gladii ictu medium diuidere, mucrone in tergum equi adacto. Nec illud facile receperim, quod de Fernago gygante Dionysianus chronographus prę ter historicæ fidei reuerentiam prodit. Ait enim robore tanto fuisse, quantum quadraginta electissimi homines vnquam habuerunt. Eiusq; brachium cubitis quatuor: crura totidem extare: facie cubitali, naso, dimidio minus totius corporis statura, cubitis duodecim: idq; hominis monstrum à Golia, quem fundę ictu Dauid prostrauit, genus duxisse: & à Babylonio Amirante auxiliarem Hispanis cum duobus & viginti pugnatorum millibus esse missum. Aduersum quem cum Ogerus egregius miles Carolo iubente processisset: illum à Fernago dextra appræhensum tam raptim in castra deportatum, quàm ouiculam sustulisset. Alterum deinde succedentem brachio sublatum rapuisse. Post hæc fortitudinis exempla, viginti in gigantem emissos binos vicissim raptos esse. Hæc indigna creditu cum sint, similia gigantum fabulis non temere videntur, quos montem monti aduersus Iouem superposuisse poetæ finxerunt. Qui hoc admiserit, eum quoque credere non impedio, Antei cuiusdam cadauer apud Tingenam à Sertorio effossum, septuaginta cubitorum longitudine, vt quidam Romani scriptores ferunt, fuisse repertum. Fuit nihilominus Carolo cum specie corporis valetudo & robur, ingeniū insuper excellens, grauitas atque incessus dignitati regiæ non discors. Liberalibus disciplinis animum excoluit: præceptore primum Petro Pisano, deinde Alcuino Anglo, viro apprimè diuinis humanisque artibus erudito, quem Glosæ in Bibliam (quam ordinariam vocant) autorem Anthonius Florentinus prodit. Quàmuis enim Alcuinus à regibus Anglis ad Carolum missus esset orator, soli tamen Gallici benignitate, delectatus, apud Carolum mansit. Quo autore Parisiensis schola (quam vniuersitatem vocant) hac occasione cœpit. Delati naue ex Scotia Claudius & Io-

Quare imperii dignitate Carolus donatus est.

Britones.

Alcuinus.

Institutio schole Parisiensis.

hannes, Rabanus quoque & Alcuinus ex venerabilis Bedæ discipulis. In Galliam cum venissent, nec quicquam præter bonas disciplinas patria exportassent, se sapientiam profiteri, eamq; venalem habere conclamant. Qua re ad Carolum perlata, illos ad se vocat. Vocati libere profitentur sapientiam illis esse, quam adipisci cupientes, gratis edocerent, si vita locusq; tantum eis præberetur. Intellexit imperator ingenuam hominū mentem, eosq;, cum aliquot dies apud se tenuisset, Claudium, cui nomen erat Clemens, Parisii conuersari, & generosos adolescentes bonis disciplinis instituere iubet. Iohannem vero Papiam misit. Hoc initium habuit Parisiensis schola: celebre mox Philosophis atq; Theologis gymnasium, vnde prodiere insigni doctrina & eruditione viri, qui non secus atq; illuminatissimæ faces mirum Christianæ religioni fulgorem diffuderunt. Ita vt non ab re bonorum studiorum parens (non quidem annis, sed liberalibus religiosisq; disciplinis) antiqua à plerisq; nominetur. Bononiensis etenim schola, quæ Theodosio imperante initium cœpit, est ætate superior, collegiorum vero & doctorum hominum numero longe inferior. Eloquentiæ præterea studiosissimus Carolus fuit, cui addidit etiam literarum græcarum non paruam cognitionem. Neq; vernacula modo lingua, sed peregrinis insuper eloqui studuit. Tabellis ceratis Carolus vtebatur, vt quæ vel excogitaret per se agens, aut inter occurrentes curas se agenda præsentarent, ea scriptis mandaret. Erat his diebus Ebritus Anglus, qui propter morum elegantiam, Bristico Anglorū regi suspectus habebatur. Quare regis insidias timens ad Francos se contulit: vbi liberaliter per tempus acceptus est. Cum Bristicū mortem obiisse accepit, in Angliam reuersus, Anglis imperauit. Id autem Dei prouidentia factum scriptor quidam Anglus Malmesberic monachus asseuerat, his verbis. Quod Dei consilio factum (inquit) intelligo, vt vir ille ad tantum regnum electus, regnandi disciplinam à Francis acciperet. Est enim gens illa & exercitatione virium, & comitate morum cunctorum occidentalium facile princeps. Hæc ille. Venientes ad se legatos veste aurea indutus & gladio preciosis gemmis decoro cinctus sedens audiebat. Frequentissimis venationibus Gallorum more delectabatur, exercebaturq;. Balneas crebro petebat admissis dicacissimis quibusq;, quorum confabulationibus recreabatur. Matre Bertha Heraclii Bisantini imperatoris filia natus est: quam mira pietate coluit. Sed & omnem familiā incredibili charitate diligebat. Mansuetissimus ad omnia, in iure dicendo æquitatem, in gerenda republica moderantiam obseruauit. Religionis imprimis reuerendissimus cultor, sacerdotes & clerū omnem venerabatur. Quod imprimis testantur synodi quinq; per Galliam eius præcepto habitæ: Maguntiæ vna, Remis altera, tertia Turonis, Cabilone quarta, quinta Arelatæ. In quibus clero leges & debiti ritus ordinati fuere. Cum vero de rebus diuinis & vario canendi genere sacerdotes disceptare audiret, propterea quòd Ambrosianum illo tempore atq; Gregorianum morem promiscue clerus obseruabat, obtinuit vt Gregoriano reliquus orbis, Ambrosiano Mediolanensis ecclesia vteretur. Plurima templa extruxit & ditauit, & quæ diruta cognouisset, ea mandauit per locorum sacerdotes restitui atq; instaurari. Ædes & palatia complura magno sumptu iactis fundamentis condidit, quæ testimonio sunt regiis quibus ornatus erat virtutibus. Et cum in omnes, tum in pauperes liberalissimus habebatur, fuitq; in Florentinos piissimus. Itaq; eorum vrbem diu desertam instaurauit, reductis in eam ciuibus. Genuam præterea à Longobardis pressam in suam protectionem accepit, duce imposito, qui eam multa humanitate moderatus est. Venetos quoq; propriis legibus viuere permisit, nec minus fuit in alias Italiæ ciuitates beneficus. Fuerunt Carolo multæ vxores: quę illum prole fœlicem reddiderunt. Prima, quę Desiderii filia erat, dimissa, Hildegardam nobilissimam ex Sueuorum gente virginem accepit. Ex ea nati sunt, Carolus, Pipinus, Ludouicus, & totidem filiæ. Pipino Italiam: Carolo citeriorem Galliam, pater adhuc viuens attribuerat. Pipinus Venetias inuasit, partemq; Insularum, quibus Venetiarum ciuitas constat, vsq; ad riuum altum occupauit, quem cum ex coniunctis doliis ponte facto oppugnare cœpisset, aduersa tempestate & Venetorum eruptione pons dissipatus est. Causa in Venetos belli fuit, quia contra concordiæ prius cum Nice-

Ebritus.

Nota de officiis ecclesiasticis.

Itali in Francos.

Nicephoro habitas leges Gręco imperatori fauebant. Ita enim fere ſemper cōpertum eſt, vt nulla Italiæ pars fidem Gallico nomini conſtanter ſeruet, quod cum ſæpe tum hac ætate maximè expertum eſt. Cum Carolus VIII. Francorum rex Neapolitanum regnum recuperaſſet: Veneti & Ludouicus Mediolanenſis, magnis ad hoc copiis inſtructi, Carolum Franciam repetentē intercipere conati ſunt. Quod non ſine ſuorum ſtrage tentauerunt. Pipino autem Caroloq; prius patre mortem obeuntibus, Ludouicum quem vnicum habebat, auguſtum coadiutorem aſſumpſit. Circa liberos educandos eam curam adhibuit, vt mares bonis diſciplinis: fœminas lanificio erudiendas ſummopere ſtuduerit. Cum autē quies illi à bellis conceſſa eſt, triennio priuſquam moreretur, teſtamentum condidit: duabus partibus totius precioſæ ſuę ſupellectilis, ciuitatum maiorum præſulibus, relictis ad reſarcienda templa & inopes leuandos. Tertiam liberis nepotibuſq; & familiæ pro vniuſcuiuſq; ratione attribuit. Ipſe deinde cum laxandi animi cauſa venatum pergit, Carolus qui per omnem vitā inter tot bella reiq; publicæ ſollicitudines proſpera ſemper valitudine vſus eſſet, febre corripitur, qua V. Calen. Febr. abſumptus eſt, anno Chriſtianæ ſalutis DCCCXV. Vixit annos LXXII. regnauit XLVII. & XIIII. imperauit. Eius exceſſum præceſſere quædā prodigia. Pila quæ in templi faſtigio apud Aquiſgranum erat, fulmine deiecta eſt. Pons item quem apud Maguntiam ſupra Rhenum extruxerat, conflagrauit. Et Aquiſgrani porticus, qua ab ædibus Palatinis ad templum via erat, corruit. Erant in theſauris precioſioribus regis menſæ quatuor: argenteæ tres, alia aurea. Ex argenteis vnam, quæ ſimulachrum vrbis Conſtantinopoleos continebat, templo diui Apoſtoli Petri Romæ: alteram in qua vrbis Romæ effigies exſculpta erat, Rauennati eccleſię dicauit. Tertia, quæ totius orbis imaginē præferebat, cum aurea ad filios peruenit. Sepultus eſt magnifico monumento Aquiſgrani: cui additus ex firmo lapide arcus cum huiuſmodi inſcriptione. Caroli Magni Chriſtianiſſimi imperatoris Romanorū corpus ſub hoc ſepulchro conditum eſt. Hunc exceſſum habuit Carolus, qui ob geſtorum magnitudinem, magnus appellatus eſt. Ipſe namq; tametſi à patre Pipino regnum grande accepiſſet, multis tamen per Italiam atq; Germaniam, Galliam præterea, Angliam atq; Hiſpaniam prouinciis ampliatum reliquit. Caroli magnitudini aſtipulatur maxime legatio ad eum à Perſarum rege miſſa. Cuius opes in oriente per id tempus florentiſſimę erant: qui ingentibus donis Caroli amicitiam petiit. In donis fuit horologiū ex aurichalco, miro artificio, fabricatum. Vnde excidentibus horatim in ſubiectā campanulam duodecies ſingulis globulis ęreis, tempus ſignabatur. Erant quoq; pari numero equites, qui ad quamq; horam ſinguli ex feneſtra prodibant: quam in horologium regreſſi, ipſi claudebant. Fuit præterea amplæ admodum magnitudinis tentoriū biſſinum cum aromatibus & balſamo atq; elephanto. Idem fecere Conſtantinopolitani imperatores, quos in amicitia coniunctiſſimos Carolus excepit: quanquam non ſatis æquo animo ferrent imperatoria illum dignitate fuiſſe à Leone donatum. Sed illud omnium maximum eſt: quòd nihil antiquius duxit quàm Chriſti fidem dilatare: & terminos proferre Chriſtianorum. Cuius exemplum imitati omnes fere, qui ſecuti ſunt, Francorum reges, magnis atq; excellentibus factis cum religioni & fidei Chriſtianæ dignitatem conſeruarent atq; ampliarent: nihil mirum inuidis atq; detractoribus videri debet, ſi Chriſtianiſſimi appellati ſunt. Itaq; conſtat nullius gentis tanto labore Romanis pontificibus & aliis præterea per orbem Dei miniſtris paſſim fuiſſe ſubuentum.

Caroli VIII. mentio.

Prodigia.

Quatuor tabulæ precioſæ.

Epitaphium Caroli Magni.

Horologium Carolo miſſum.

Non mirum quod Francorum reges appellātur Chriſtianiſsimi.

CAP. 2.

GLORIOSISSIMO imperatori ſucceſſor Ludouicus extitit: qui pii cognomen ob morum manſuetudinem eſt conſecutus. Hic puer adhuc Aquitaniæ principatum, quia ibi natus eſſet, iuſſu patris obtinuit. Præclaros labores aduerſus Hiſpaniæ tyrannos excepit: ciuitatibus multis in Aragonia maxime viuente patre in ſuam poteſtatem receptis: in quibus Barchiona fuit, diues plurimum, quam continuis ſeptem hebdomadis obſeſſam expugnauit. Nuncio de patris exceſſu accepto, ipſe poſt trigeſimum diem quo Aquitania digreſſus eſt, Aquiſgranum venit. Vbi à proceribus Francis, qui illò viſendi noui regis atq; imperatoris gratia conuenerant, conſalutatus imperator: ad patris monumentum Deo preces ritu Chriſtia-

no ſupplex habuit. Carolus enim ob vitæ merita in numerum ſanctorū relatus eſſe à pleriſq; creditur. Cui etiam loci incolæ diem feſtū agunt. Idq; ab eccleſia Romana permitti, Hoſtienſis iuriſconſultus tradit. Quo exemplo Ludouicus XI. Carolū à Pariſienſibus coli noſtra ætate imperauit: miſſis vicatim nunciis, qui diem feſtum celebrari populo indicerent, pœna capitis repugnantibus indicta. Aquiſgrani agens Ludouicus, recenſito patris teſtamento: legata quæq; diſtribuit: quin ſi quos ex familia minoris à patre habitos vel præteritos animaduertit, eos aucto legato cōpenſat. Eodem loco legatos ad patrē miſſos audiuit & ante omnes Michaelis Conſtantinopolitani imperatoris oratores amicitiam eius petentes, delatoſq; à ſe diui Dionyſii libros, qui de cœleſti Hierarchia inſcribuntur, eos Ludouico dono dederunt, anno ſalutis DCCCXXIII. Venere quoq; à Grymoaldo principe Beneuentano nuncii, qui in verba imperatoris iurati imperata facturos promittunt. Indicta eſt Grymoaldo annua penſio ſex millium aureorum. Eodem tempore Dalmaciæ rex, qui Godefridi filium regno ſpoliauerat, ad imperatorem ſe contulit: ſeq; & Dalmaciam omnem Ludouici poteſtati permiſit. Quem non multo poſt in Saxoniam legat. Nam & Saxonibus & Friſiis terras à patre ablatas Ludouicus reſtituit: ratus illos ad parendum clementia & libertate, quàm armorum & belli ſeueritate propenſiores fore. Sed hanc regis facilitatem pleriq; reprehenderunt: cùm huiuſmodi gens pugnax atq; inhumana duris ſemper legibus contineri debuiſſet. Deficientibus per id tempus ab imperio Sclauonibus & mox item Vaſconibus: motus omnis facile compreſſus eſt. Non tulit quoq; ſatis æquo animo Ludouicus, quòd Paſchalis primus ſe (Leone mortuo) electum ſine ſuo aſſenſu pontificem appellauit. Miſſis tamen à Paſchale ad eum nunciis primum, deinde ipſo Paſchale ad imperatorem veniente, Ludouicus per Bernardum Lombardiæ regem, & præterea per Arelatenſem antiſtitem: mox per ſemet obuiam pontifici factus, prodeuntem reuerenter excepit. Exceptum donis honorauit: Romamq; dimiſit. Breui poſt mora interiecta, Ludouicus Aquiſgrani conuentum habuit ſacerdotum atq; procerū. In eo codicem de ordine & ritu eccleſiaſtico condi iubet: quem per ciuitates & ſuę ditionis loca inſigniora circumlatum ab vniuerſo clero exſcribi & ſeruari mandauit. Eius codicis autor fuit Amalarius diaconus, florens illa ætate ſacris inſtitutis & ſtudio litterarum. Pontifices vero atq; inferioris dignitatis ſacerdotes, quos præclaris veſtibus per faſtum vti, & gemmis compluribus digitos ornare cognouit: eā pompam deponere humilibuſq; indumentis veſtiri: & gemma vna tantum ad dignitatis indicium contentos eſſe imperat. De liberis autem quos tres habebat, hæc fuit Ludouici inſtitutio. Lotharium imperii conſortium ſecum habere voluit. Pipinum Aquitaniæ præfecit. Ludouicum in Bauariam legat. Ipſe militum præfectis negocium dat, Abdoritas petere, quos ab eo defeciſſe acceperat: Qui primo fere aduentu ſe præfectis ſummiſere. Interea dum venationi indulget, nunciatur Bernardum ex Pipino Italiæ rege, qui Mediolani ſepultus fuerat, nepotem Lombardiæ regem: conſilio Ægedonis (quo amico Carolus aliquando vſus fuerat, & Regneri, qui palatii præfecturam ſub Carolo Magno geſſerat) bello ſe parare & ad apertam defectionem copias cogere. Iam quoq; anguſtias Alpium occupaſſe, & firmo tenere præſidio. Eam ob rem Ludouicus celerrime exercitum ex Francis Alemanniſq; confectum educit. Cum autem Cabillonem caſtra admouiſſet: Bernardus de imperatoris expeditione certior factus: cum eos, quorum auxiliis nitebatur, perterritos videt, ipſe ad Carolum, quem benignum atq; ſibi indulgentem fore ſperabat, venit: atq; ad pedes imperatoris procumbens, culpamq; confeſſus: auctores quoſq; nomine deſignat. Bernardi exemplo reliqui conſultores idem faciunt. Inter quos erant epiſcopi tres. Aſſelinus Mediolanenſis: Wolphonſus Cremonenſis, & Theodulphus Aurelianenſis. Hos omnes in cuſtodia vinctos Aquiſgrani haberi Ludouicus iubet. Quo & ipſe hybernaturus erat. Primo vere dominicæ reſurrectionis piè exacto: Bernardum cum ſuis participibus ſibi præſentari iuſſit. Qui tametſi Romanis legibus capite damnari debebant, pius tamen rex ſatis habuit, oculis malefactores priuare. Sed huius leuioris pœnæ, tanquam ſcelere careret, impatiens Bernardus, capite cæſus eſt. Ginalum item, qui regius cubicularius

Carolus ſanctus habetur.

Libri Dionyſii.

Godefridus Dalmaciæ rex.

Paſchalis Papa inconſulto Ludouico eligitur.

Conſilium Aquiſgrani.

Amalarius.

Contra faſtū cleri.

Bellum à Bernardo Lombardo in Carolum.

Pœna reorū.

rius extitisset, par pœna secuta est. Antistites autem dignitate amotos monasterio addixit, reliquos relegauit. Dum hæc aguntur, Britones duce Normanno a Francorũ fide desciscunt. Ea re cognita, progressus aduersus illos, Venetiis, id est, Vannæ consilium indixit. Inde in Britones mouet, nec destitit donec Normannus à Carolo quodam suo aulico interfectus nunciatur. Rege amisso Britones in potestatem Ludouici deuenere. Vascones inde rebellarunt. Sed Pipinus Ludouici filius instabilis populi ferociam ita conpescuit: vt non temerè quispiam postea aduersus imperatorem arma sumpserit. Lindeuintum præterea Pannoniorum tyrannum, qui Aquilegiam bello premebat, copiis ad Bornam præfectum equitum missis, fugat. Per id ferme tempus piratæ ex Dacia oceano delati, cum neq; in Flandriam neq; in Neustriam (portubus firmo præsidio occupatis) appellere possent: in Aquitaniam exercitu vacuam irrumpunt: quam repentinis incursionibus vastatã reliquentes, ad suos se retulerunt, diruto sancti Philiberti cœnobio, quod Ludouicus in Herio insula agri Pictauẽsis construxerat. Mox vero abeũtibus Danis beati Philiberti corpus exhumatũ in Burgundiã transfertur. Lindeuintũ varia diu fortuna seruauit. Nam procedentibus aduersus eum Francis, munitissimo atq; edito castello se continebat. Interdũ ab Aquilegiensi comite Vandra fugatus, ad Dalmatas se recipiens, occasionẽ in Pannoniam remeandi explorabat. Sed versipellis homo tandem clam interceptus occiditur. Inter hæc Ludouicus cum Lothariũ in Lombardiã dimisisset, Lotharius, rebus inter Longobardos compositis, à Paschali pontifice Romano accersitur. Quem dominicæ resurrectionis festo in vrbe excepto Paschalis insignibus imperii donat, Augustumq; appellat. Inde vero Papiam adueniens, aliquot illic dies propter impendentia negocia moratus est. Quibus partim non absolutis ad patrem ea quæ gessisset, retulit. Qui Lombardię rebus bene consultum esse volens, Moringum ex aulicis nobilem & Alardum palatii comitem ad Longobardos legat, qui cætera pro viribus curent. Dum hæc in Francia geruntur, Romæ tumultus exoritur, interfectis in ædibus pontificis Theoderico ecclesię Romanæ scriba & Leone Donairo: quibus, priusquam morte afficerentur, oculi eruti fuerant: ob id maximè, quòd Lothario fidi haberentur. Cuius immanitatis culpam in Paschalem plęriq; transferebant. Ea re ad Ludouicum per nuncios delata, Adelugo diui Vedasti Atrebatis abbati, & Huffrido comiti negocium dat criminis autores inquirendi. Sed nondũ curia abierant, ecce pontificis Paschalis oratores Ludouicum conueniunt, qui Paschalẽ omni suspitione liberẽt. Verum hac purgatione nõ contentus imperator, nuncios quos paulo supra nominauimus mandata absoluere præcipit. Illi Romam profecti, perquisita diligenter veritate, pontificis iureiurando comperiũt, nullam huius mortis labem ad Paschalẽ pertinere. Interea Ludouicus regni curam non omittens, vrbes & populũ visere, & quid passim gereretur cognoscere pergit, vt oppressis leuamen, iniquis pœnã inferret. Quibus pro tempore, quantũ ad se pertinere arbitrabatur, peractis, Compendiũ, quò procerũ conuentũ indixerat, reuertitur. Ibi redeuntibus Roma legatis, accepit Paschalem innocentẽ esse. Eam ob rem pontificis oratoribus liberũ discessum permittit. Inde Aquisgranũ progressus, imperator Bulgaros amicitiã eius petentes, audit. Britonũ præterea legatos, in quibus Iuo Vinemadius erat, homo inter suos apprimè nobilis & potens, liberaliter habuit. Hi se regionemq; cum vxoribus & liberis Ludouico permisere. Donati magnis muneribus Britones abscesserunt. Mox autẽ Iuone duce finitimos bello impetunt, & eos potissimum, qui imperatori erant obedientes. Sed paucis interiectis diebus, domi à suis interfectus, perfidiæ suæ pœnam Iuo luit. Per idem tempus pax, quam petebant, Normannis concessa est. Cum Bulgaris item res composita. Agenti post hæc in Germania Ludouico, Herio princeps Normannus cum vxore & multitudine bona suæ gentis ad Ludouicum religionis plenus accessit, & sacrosancto Christianæ fidei lauacro ablutus est. Cui formidanti, ne à suis, quòd Christianus esset, patria pelleretur, Ludouicus locum apud Frisones munitum attribuit, in quem periculo imminente se tutò reciperet. Tradunt nonnulli auctores quendam Georgium sacerdotem Græcum eodem tempore à Bauduino Pannoniæ præfecto deductum fuisse ad

En hic iterum antistites mortẽ meritos Deo dicari vides.

Lindeuintus.

Normanni piratæ.

Lotharius, Augustus à Paschali appellatur.

Romani tumultuantur.

Paschalis papa apud Ludouicum purgatio.

Bulgari.

Britones perfidi.

Herio princeps Normannus baptizatur.

Organista missus Ludouico.

Ludouicum: qui cōcinnandorum organorum cum admirandus opifex esset, gratissimus ideo imperatori fuit. Nam, quia id musici genus instrumenti Franci nondū cognouerant, Georgium Adulpho quæstori palatino Ludouicus assignat, qui & stipendio & iis quę ad artem conuenirent, sacerdotem iuuet. Hinc organorum vsus in Franciam primitus emanauit. Inuenio præterea multa de Asonte quodam Sarraceno scripta esse, qui ex Africa in Hispaniam traiiciens Barchinonā vsq;, atq; Cæsaraugustam copias admouit: imperatorem quoq; per præfectos primò aduersus illum bellum gessisse. Sed ducum incuria atq; inertia rem fœliciter successisse. Quibus officiis amotis Pipinum Aquitaniæ regem & Hugonem principem Palatinū, Naufredum præterea in hostem misisse. Cæterum his pigerrimè & lento agmine incedentibus, priusquam Pyreneum superassent, omnia perdendi spacium hosti reliquisse, ita vt ad hanc calamitatem pertinuisse pleriq; dicerent prodigium, quod paruo supra tempore visum esset. Acies enim concurrentium in se militum cruore madentes in cœlo apparuisse nunciabatur. Nec mora interposita per nuncios Ludouicus agnoscit nouas copias Asonti aduenisse. Quare Lothario committit ex Austrasia militem deligere, & infesto exercitu petere hostē. Mo-

Prodigium. uit igitur Lotharius, & dum Lugduni constitisset, Pipinus eius frater magnis itineribus ad eum venit. Fratribus vero de ratione instantis belli consilium capientibus, nuncius, quem exploratum, quid apud hostem ageretur, Lotharius miserat, ab Hispania reuertitur. Refert Mauros quidem in Hispaniam penetrasse, sed tandem inde se recepisse, nec bellum vltra moturos esse. Ea re cognita Pipinus Aquitaniam: Franciam repetit Lotharius. Per hos dies, cum Anglis mos esset, reges suos necandi: ipsiq; Edelrodum trucidassent, Angliam regibus destitutam Dani occupauerunt, anno Christianæ gratiæ DCCCXXVII. Dum hæc aguntur, causa incidit

Warmacia vangionū nō procul à rheno Germaniæ ciuitas. Ludouico Warmaciā, Hasburgumq; proficiscendi. Nunciabatur enim Normannos Bauarosq; comparatis armis in Germaniam peruenturos. Ea res, & si caruit fide, maius tamen crimen ab iis quos officio amotos memorauimus, in se moliri comperit. Quamobrem Berardum ad se ex Hispania accersitum, cubiculari honore & palatii pręfectura donat, credita illi sui corporis custodia. Sed ea res, quanquam coniuratis concepti in regem facinoris paululum moræ obiecerit, clam ta-

Coniuratio in regem. men quos possunt, solicitant & blanditiis demerentur. Neq; verentur Pipinum in patrem animare, memorantes Berardum aulicis omnibus damnari, eoq; superbię euasisse, vt aspernaretur vniuersos. Sed nec Ludouicum hominis magnitudini etiam si cupiat, obsistere posse, quòd potionibus atq; magicis sortibus regis mentem ob reginæ Iudith concubitum sibi Berardus deuinxisset. Nisi tanto dedecori prudens filius occurrat, contaminationem indies sordidiorem fore, & vires demum in perniciem imperatoriæ celsitudinis adepturam. Hæc ita obloquentibus coniuratis, Pipinus fidem adhibet, & armatorum non parua multitudine collecta, Aureliam petit. Odonem vrbi à patre præfectum officio exturbat, substituto in eius lo-

Verberia. cum Manfredo. Ab Aurelia Verberiam ad ripam Isaræ vicum contendit. Eorum aduentu citissime (quia Compendii agebat) cognito: Ludouicus Iudith reginā Laudunū proficisci: & in templo virginis Mariæ morari iubet. Bernardum item abire à se: & salutem procurare admonet. Petentem Laudunum reginā coniurati persequūtur, missis ad eam reuocandā Garino Lambertoq; coniurationis sociis, cū imperio: reginā aduersus eos quicquā molientem, à templo depellēdi, depræhensam ad se perducendi. Missi imperata exequuntur, reginā ad se perductā coniurati religionē profiteri cōpellūt. Et præterea, iureiurando astringūt, imperatori suadere vt se imperatoria dignitate abdicet & in monasterii solitudine conuersetur. Atq; ita ad regē sub coniuratorū custodia regina accedens, postquā loquendi copia facta est, virum orat: vt per eius assensum sibi liceat velum moniale recipere: ipsum vero Ludouicum non pudeat, transeuntis seculi momentaneā dignitatem deserere, & ecclesiasticis rebus obsequi, qui vna ratione impendentem sibi mortem euadat. Vxori vir respondet de re quam precaretur se consilium capturum. Nec pluribus verbis vsus rex, reginam à se dimittit. Quam responso imperatoris cognito coniurati in diuæ Radegundæ cœnobium, quod Pictauiæ est, relegant. Per idem tempus

pus ex Longobardia Lotharius ad patrem reuertitur. Cui tametsi quæ à proditoribus gesta erant, nō ingrata essent: patri tamen nequicquam aduersatus est. At coniurati cum intelligerent absq; procerum conuentu regem deiicere non posse: magnis viribus enituntur consilium in Francia haberi. Repugnabat tamen Ludouicus, quòd sciret Francos ab inimicis aduersum se persuasos esse. Maguntiæ propterea conuentum indixit: mandatq; neminem in consilium cum armis admitti. Conuenere ex Alemannia quamplurimi Ludouico fauentes. Hildonem vero abbatem: qui eò cum armatis accesserat, conclaui egredi iubet. Valasco quoq; Corbiensi abbati armis instructo mandat cœnobium repetere, atq; in eo pro legibus monaehatus conuersari. Quo consternati facto coniurati Lotharium adeunt, & multis precibus orant, ne bene rei gerendæ occasionem omittat. Opus esse acie pugnare, aut concilio rege inuito abire. Sed cognito quid ab inimicis ageretur, Ludouicus ad se venire Lotharium iubet. Modeste admonet filium pater, caueat credere coniuratorum mendaciis, decere filium patri obsequi. Conuenerat ingens populi turba in atrio palatii, quæ filii cum patre congressum iniquo animo ferens, tumultuabatur, ita vt iam ad pugnam furens procederet, nisi è fenestris palatii Ludouicus vna cum Lothario sese commonstrantes, populi seditionem sedassent. Quiete à tumultuantibus data, coniurati omnes ergastulis deduntur. Quibus tamen pius imperator nihil irrogari vltra passus est, quàm laicos locis spiritualibus, clericos verò monasteriis perpetuo adigi imperauit. Theodulphum autē qui diui Benedicti Sigeriensis abbas primū, deinde Aurelianensis episcopus fuit, inter cōiuratos delatū Andegauiam relegauit. Vbi cum Ludouicus die supplicationis (quę dominica palmarum solennitate habetur) esset, audissetq; Theodulphū carmina recitantem, quæ ob festum diem ipse ediderat, viri religione motus, episcopum liberauit. Hæc paulo latius à me narrata sunt, vt facile intelligat lector, honoris sedes, pestilentiæ cathedras à Dauide rege pulchre appellari, quas nemo fere conscē dit, cui à laboribus quies, à periculis securitas concedatur. Illis maximè, quibus inuisa est alterius potestas, quoniam plus dignitatis atq; diuitiarum accipiunt, putantes alieno fulgore suū obscurari. Patris enim longior vita filio seruitus videtur, odit patris compositos mores, quasi illi obstent, qui per omnem licentiam lasciuire & bacchari constituit. Rebus ita, vt dictum est, constitutis, Ludouicus Aquisgranum regressus, vxorē ex monasterio, vbi in Aquitania exulabat, reuocari iubet: quam nullo honore habuit, donec ab stupri ignominia sepurgasset. Purgatam coniugali thoro dignatus est. Dimissis à se postea filiis, Lotharius in Italiam proficiscitur: Pipinus Aquitaniam, Ludouicus Bauariam petit. Interea missis ad Ludouicū Theoderici in Germania agentem nunciis, Mauri pacem impetrant. Pipinus vero non multo pòst in suspitionem rebellionis venit, quòd ad patrem vocatus non venisset. Compræhensus propterea Treuerim in custodiā missus est. Sed, siue iniquitate, siue negligentia custodū, noctu aufugit. Nec quiescere delatores & osores pacis potuerunt. Fratribus suadent vnū in locum conuenire, vbi de regni statu & conditione simul agant. Insusurrant, patrem in filios malo animo esse. Opus illis esse tutela aduersus malignantiū insidias. Nec tardant creduli fratres copias compellere. Et vt cœptis patronum adhiberent, Gregorium IIII. pontificem Romanum in Franciam asciscunt, quo mediatore per simulatam pietatem apud patrem (si necesse esset) vterētur. Consilio filiorum perfecto, Ludouicus cum expeditissimo exercitu paratus adest. Prius tamen quàm prælio quicquam tentaret, Bernardum episcopum ad filios mittit. Per eum diffidentes filios hortatur, ad se pium patrem conuertantur, eum esse qui paterno illos affectu diligat, cupiatq; secum vnà viuere atque imperio potiri. Cum his mandatis profectus Bernardus, irritam habuit legationem, obstinatis aduersus patrem filiis. Affirmantibus etiam plerisq; Romanum pontificem, ideo aduenisse, vt filiorum consilio si non congrueret pater, Ludouicum excommunicatione feriret. Idque vero esse simile videbatur. Sed obstitere pontifici Franci antistites. Igitur cùm de concordia non conueniret, vterque exercitus in campo, cui postea *mendaciorum agro*, appellatio fuit, dispositas acies instruxit, ita vt nihil præter signum congrediendi pugnæ deesset, cùm ad im-

Conuentus apud Maguntiam.

Ergo perspicitur quanti facienda sint huiusmodi loca, & ea, quæ in illis geruntur.

Honoris sedes pestilentiæ cathedra est.

Ager mendaciorum.

Gregorius IIII. Papa ad Ludouicũ venit.

peratorem venire Romanum pontificem nunciatur. Quem non admodum beniuolo & reuerenti animo Ludouicus admisit. In regium tamen tabernaculum perductus pontifex, iureiurando firmat, se ea tantùm ratione venisse, vt conciliationis auctor sit, quandoquidẽ intelligeret, patrem filiorũ causam audire non velle, suę dignitatis atq; officii esse, belli causas, quoad per se fieri posset, tollere, & non sinere armis digladiari, quos tam arcto generationis vinculo natura coniunxisset. Ad hæc pontificis verba Ludouicus respondit. Nulla se re filios exasperasse, neq; in eos tulisse arma. Adductos illos esse perditorũ quorundam hominũ mendaciis, vt in se patrem concurrerent. Quod cum ita sit, nõ tamen ita se ira aut odio teneri, quin pœnitentes filios paterna pietate recipiat. Placere quidẽ sibi, si discordantes ad charitatẽ reducere pontifex elaboret. His inter pontificẽ Ludouicumq; condictis, Gregorius ad filiorũ castra reuertit. Vbi multa immutata comperit. Nam dum pontifex apud Ludouicũ agit, magna pars plebeiorũ militũ, qui cum Ludouico militauerant, ad filios deficiunt. Et pontifex ad imperatorẽ, vt conuenerat, non rediit: filiis eius regressum impedientibus. Ludouicus bona parte suorum destitutus, metuens quoq; in furentis multitudinis potestatem tradi, ad filios mittit. Orat ne patrẽ in perditorũ manus venire sinant. Illi renunciare patri iubent, si castris egrediatur, se illi obuiã profecturos. Progreditur igitur pater, cui filii occurrentes, ex equis desiliunt, excipiũtq; digna reuerentia parentẽ: ille contra osculo filios dignatus, in castra filiorũ venit. Mox ablatã illi Iudith vxorem Tortonã relegant. Imperiũ inter se partiuntur. Quæ dum fieri Gregorius videt, illachrymatus Romã se recepit. Hoc Gregorio authore, pars illa, quæ est à mole Adriani ad Vaticanũ vsq;, muro claudi atq; muniri cœpit, Ludouici huius impensa. At Leo IIII. qui Gregorio post Sergium II. suffectus est, opere absoluto, eam à suo nomine Leoninam appellauit. Ludouicus in Bauariam abiit: in Aquitaniam Pipinus reuertitur: Lotharius patrem in monasterio diui Medardi arctissima custodia, & Carolum iuniorem filium asseruari mandat. Huius rei indignitatem si quis diligenter putet, malit mea sententia cælebs priuatusq; viuere, quàm filiorũ fæcundissima sobole esse parentẽ, à quibus per summam ingratitudinem è supremo honoris culmine se deiectum aliquando queratur. Ludouicus tanta calamitate accepta, de sua flebili conditione epistolam edidit, qua posteros admoneret, etiam summis quibusq; principibus à domesticis atq; ab ipsis liberis impendere pericula. Quid enim conseruandis regibus firmius præsidium quàm pietas, quàm mansuetudo, quàm clementia & liberalitas esse potest? In has tamen virtutum tam firmas munitiones irrupit filiorum aduersus pium & beneficum patrem iniquitas, & sæua ambitio dominandi.

CAP. 4.

Ludouici Pii de acceptis à liberis suis iniuriis, dum Suessione apud sanctum Medardum in custodia esset, querela & comploratio.

FRACTIS robusti olim brachii viribus, ego Ludouicus, Cæsar, imperator augustus Dei dispensante gratia orbi Romano imperans: cum latè in populos iuris habenas immoderatius relaxauissem, indulgentia nostra quidam dissoluti impugnando pietatem, in infidelium prorupere crudelitatem. Quod malum eousq; incanduit, vt ipsos quoq; prędulces natos meos in me sęuire compulerint. Ad locum sic forte venitur, qui ex euentu ruptæ fidei, pacis & sacramentorũ, mentitus campus ex tunc appellatur. Hic me omnis pene meorum militum manus deserens, eò (vt retuli) perduellio filios meos (horrendum facinus) inuoluit, & præfices sceleris esse delegit, insonti mihi multa morti obnoxia imputantes. A nunquam læsis multipliciter læsus & delusus, nefandorum actuum meorum non immemor, æquissimo Dei iudicio hæc me dignè perpeti comminiscens, casus æquanimiter ferebam. Suessionis ciuitate deinde inimica cohorte vallatus, ad sanctorum dominorum meorum Medardi & Sebastiani, cœnobium perductus sum. Et quia sciebant me illum locum diligere plurimum, consiliabantur inibi me fortuitu post desperationem sponte arma positurũ. Quo cum me publica custodia arctauissent, quatenus quid callidè tractauerant, opere consummarent: quosdam submisere, qui vxorem meam in monasterio virginum sanctimonialem factam, vel quòd verius audissent mortuam, mihi nunciarent, filium quoque meum paruulum, & innocentem Carolum, bonæ indolis puerulum, quem nouerant præ omnibus mihi amantissimum, attonsum, & monachorum affirmarent cœtui annixum. Quod ego

audiens

audiens & me continere non valens, quippe qui regni decore spoliatus, coniuge priuatus, filioq; essem orbatus, diebus non paucis eiulans, nullo consolatore fruitus, languoris violentissimi paulatim me persentiebam ex tristiciæ magnitudine æstibus aduri. Et quia præter Deum consolatorem neminem habere poterã (quoniamquidem aditus & colloquium negabatur omnibus) ad ecclesiam tantum & ad fratres rara via, & ipsa cum summa prospectione custodum patebat: insedit animo illuc ire. Quò cum deuenissem, omnium vestigiis prouolutus, morbi, quo afficiebar, plagam medicis sapientibus retuli. Quibus, vt aliquanti leuaminis apud propicios dominos obtinerem supplicaui, vt & pro requie coniugis, quam exemptam vita arbitrabar, missas celebrarent & attentius orarent, venerabilem religiositatem eorum obnixe efflagitaui. Qui afflictionibus & miseriis meis prudenter compassi, per merita & interuentum sanctorum, quibus deseruiebant, veluti futurorum præscii, proximam pollicitati sunt ab omnipotente mihi affuturam medelam, si tamen fidei sacramentis animum accommodarem. Sic ab eis bene confortatus, post orationem ab illis deductus, noctis ergastuli antris ita demũ sum restitutus. Sequente noctis vmbra, cogitatu sedulo lucicomum desiderabam cernere sydus, ingressusq; sanctæ trinitatis vicinum carceris oratorium, post matutinalẽ expletionem solus inibi pernoctans, cum per fenestram intuitum extrà dirigerẽ, quendam custodum vltra vires immerito tamen mihi infensum, sub imbrice cominus video iacentem: & ne vel permodico maceriei foramine elaberer, ipso statu seruare cupientem. Quẽ somno & mero sopitum deprehendens, inter alta cordis suspiria ridiculum mihi omen melius aspectans oboritur. Enimuero cum ita diffusum solotenus & eius essem frequenti ceruicalis quo super fuerat expositus repulsu, videremq; eum penes fundamina basilicæ impexum scalam concite, quæ ad accendendos faros angulo fuerat reposita, subiens, funiculum ocio torpentem super à laquearibus solui: cominusq; hastas quibus vexilla tempore Letaniarũ aptantur, conspiciens: vni earum funiculum cum laqueo subnexui, perq; eandem fenestram ieci. Hac comprehensum arte mucronem sustuli, inq; altas & squalentes feci iactare latrinas, vocatoq; eius nomine, aio ad eum. O custos peruigil, tuorum spes fidissima, vigilas ne? Ad hęc ille, Vigilo & bene vigilo. Cui iterum ego. Et quid struis? Et ille: Quid de his, inquit, tibi? Rursus ego: Si fortè repentina necessitas cogeret: forsitan gladius manu abesset. Illo ad caput brachia conuertente, & eum huc illucq; quæritanti, si me, dixi, sic custodisses, hodie me nequaquam hic habuisses. Quicquid, inquit, illud est quod de mucrone actũ est, satis superq; te, vt iussus sum, seruaui, & seruare curabo. Et ego: Vade ergo, & in munere fidelitatis huius & vigiliarum tuarum, illo in loco competenti armamentario, quem turpiter amisisti, recollige mucronem. Eadem ipsa die, quidam fratrum explorantes totius causæ meæ veritatis tenorem, per Harduinum, qui quotidiano ministerio ante me missas psallere consueuerat, scripto misere. Cumq; de more ei oblationes Deo mactandas, maxime pro coniugis meæ absolutione, quam humanis exemptam rebus credebam, offerrem: ille meam cautius stringens manũ, secus altare esto, dixit. Post consummatam hostiam omnes cum foras egressi fuissent, substiti solus, & sacello proiectam colligens rotulam, viuere vxorem, & nil in filium meum sinistri operatum cognoui, complures iam pœnitere, quod taliter fidem ruperint & à me discesserint, ferocibusq; animis certatim restitutionem regni moliri. Quod Deo fauente, resq; in melius, per obtentum sanctorum suorum transfundente, ad perfectum deduxere.

Impius o qualis tenebris iacet obrutus orbis, vlla extra Christum cui medicina placet.

CAP. 4.

Alia eiusdem Ludouici comploratio, præcedenti linguæ puritate similis.

VERVM quanquam angustius regni recuperato fastigio pristinæ dignitatis perfruerer gloria, meorum attamen non immemor votorum ac precationũ, quibus excellentissimum martyrem Sebastianum rogaueram, & me incunctanter ac cepturum credebam, insurgente rursus perduellione, cum passim regni quietudo propugnaretur & pacis tranquillitas confunderetur: pro his sanctum supplicaturus ad prędictum accessi locum. Et quia sæpenumero in huiusmodi priuatis seu publicis eius præpotens auxilium fueram expertus, super his quoq; solitum quò impartiri dignaretur, precabar enixius.

Proxima ruente nocte, illud quod ante dies rogaueram, nocturno visu accipio euidentissimis indiciis, ab eo cœlitus vt reor mihi condonatis. Sed vt ingruentium cladium ruina nulla pateretur ratione oblatas mihi duplicare moras, hinc digressus, discrimini me pro commissis à Deo populis tentabam impendere, & certamini, si res exegisset, viriliter exhibere. Hinc me proficiscentem præpositus huius almi collegii Thentherus nomine prosecutus, nostri comes efficiebatur itineris. Cumq; penes me equitaret, & procul à sancto loco diuelleremur, caput retorquens, & in eundē proh dolor, vltimum aspectum conuertens, intimi cordis mœrore turbatus, superexcrescentes profundæ mœsticiæ fluctus inhibere vltrà non valui. Tristis & mœrens amaras fundere lachrymas letaliter conclusus cœpi: quid agendum mihi potius foret, valde suspensus. Votum sancto deuoueram, cuius operandi diem præfixum videbam. Vitæ ab eo finem perceperam, cuius me transgredi metas non licere sciebam: deniq; commissum mihi ad regendum Christianum à Deo imperium, haud ignorabam. Cuius vsq; adeo cum omnem labefactari orbem considerarem, & vicinam desolationem, quam præscieram, formidarem, reum me super hoc inueniri, proq; hoc æternis suppliciis damnari, ab illo metuebam, qui vniuersorum autor extaret & Dominus, iudexq; venturus vnicuique secundum opera esset redditurus. Ille taliter me tristari conspiciens, diutius quidem consultum tenuit. Erat enim vir in omnibus fidelissimus. Et cum iam vberrimum meorum fletuum imbrem ferre nequiret: ipse quoq; ex hoc permotus, in lachrymas ruit. Quid, inquit, óptime Cæsar tibi & tuis grauiter destitutis hæc prodesse poterūt? Per te consolabantur vniuersi, hilaritas tua si mœstis patebat, dolorē omnē euacuabat. Noli Domine & gloriosissime imperator, noli hoc seruis tuis letalis tristiciæ vulnus in te, cui summa semper iocunditas, vultus serenissimi obnubilationem talem ostentare. Hoc tuorum militum corda brachiaq; dissoluentur: hostium vires robora concipient. Singulare id duntaxat tuis esse debet secretum: quod ita tui pectoris turbare potuit lætissimum semperq; quietissimum statū: his fortasse si fideliter tibi compassi fuerint, dabitur vt consolationis remedia valeant reperire: & si secus fieri nequibit, leuius deinceps cum huius rei plures cœperent effici participes, feres. Tum ego quæ fideli nouerā persuasione edita, consolatoris mei verba suscipiens, ei causam reddidi, ei quid lateret corde, detexi protinus ore. Sanctum illum locum me amauisse plurimum dixi, quem vltra me non videre, sancti martyris agnoueram reuelatione. Votum insuper vouisse, cuius effectum prohibuisset fluctuatio collati imperii. Et nisi formidini ab hostibus imputaretur, aut eius quod supra modum pertimescendum erat, ab omnipotente ruina exigeretur, arma, purpuram & stemmata quàm libentissime ibidem deponere voluisse. Inde ab eo cum salubrius consilium expeto dari, tale percepi. Bonum, inquit, votum tuum gloriosissime Cæsar, sed, sicut docet beatus Gregorius, Deo nihil bona voluntate dilectius. Magnum quidem est quod optas renunciari sæculo & omnibus quæ possides, siquidem per hoc Christi imitator esse potes. Verum multorum salus à quibus perficitur, multiplicia in singulis prēmia pollicetur. Illud tibi, istud omnibus consulit. Magnum illud, sed maximum est istud. Hoc si nō potest operari voluntas, in isto poterit remunerari. Deniq; in Deo fuit id magis mirabile, quòd dignatus est mori pro seruis. Caritatis argumentum maius idem ipse commendauit esse, si quis pro fratre non dubitasset animam ponere. Fecit quod docuit, pro nobis animam posuit. Pertulit Dominus mortem, vt seruus reciperet dignitatem, non necessitati succumbens, sed plasmati suo ineffabiliter subueniens. Quod sequamur exemplum in sese ostendit, & danti operam, palmam victoriæ promisit, & permanens præmium reposuit. Quia ergo gregem suum regimini vestro commisit, pro eo, si necesse sit, vsq; ad mortem decertandum est vobis, & hoc erit insigne atq; laudabile. His luculenter à prædicto viro instructus, & fortiter in agendum animatus, me iterum iterūq; sanctitati illius & fratrum attentius commendans, tametsi non vt ante tristis, non tamen adeo discedere hinc præualui lætus: quippe qui quos dilexeram vnice, supremum me sciebam transmittere vale. Hæc quidem descripsit Ludouicus Pius.

CAP. 5

AT ne publico auctoramento coniurati aduerſus patrem filii deſtituerentur: coacto apud Compendium ex toto regno epiſcoporum procerumque conſilio, *Conuentio apud Compendium.* Lotharius eductum de cuſtodia patrem Compendium perduxit, vbi cum pleriq; Ludouici aduerſitati condolerent, cōiurati formidantes, ne tanta miſeratio in eorum perniciem verteretur, decere dicunt, vt quemadmodum apud populum ſe Ludouicus purgauerat: ita ipſe ſatis eccleſię faceret, quam læſerat. Ipſi autem hęc dicentes, planè mentiebantur. Sed ex pontificiis legibus teſtimonium ſumentes, aſſerebant ſatisfactionem digne fieri non poſſe, niſi balteum militare atque arma à ſe, ſine vlla ſpe repetendæ dignitatis, reiiceret. In coniuratorum ſententiam permulti venere: inter quos ſibi timentes pontifices, qui coniurationis conſcii erant, plerique fuerunt. Itaque in Ludouicum ſententia fertur. Ille Imperatoria dignitate ſe abdicat: & cucullam monachalem ſibi ſumit. Nec nihilo ſecius cuſtodiendus in monaſterio, remittitur. His ita, vt pręmiſſum eſt, in conuentu Cōpendienſi confectis, Lotharius Aquiſgranum contendit. Sed curæ deo eſt hominum virtus. Ludouico ex Francia abducto: fiunt per totius regni prouincias hominum cōuentus: & plurimo paſſim murmure filiis detrahitur: cunctis miſerabilem regis fortunam complorantibus. Erat eo tēpore Guillielmus Franciæ Conneſtabilis: qui magiſtratus ad res bellicas ſecūdus poſt regem eſt, & Eggardus comes genere clarus. *Conneſtabilis* Hi ſummo ſtudio imperatorē reſtituere adnitebantur: quibus frequentes ex Germania atque Burgundia nobilitate viri, quorum par animus erat, adiungebantur. Bernardus præterea & Guerinus ex veteri Ludouici familia potentes, conciones in Burgundia habebant: & quoſdam promiſſis: alios æquis rationibus ſibi demerebantur. Et iam vulgabatur Ludouicum imperatoris filium ad patrē in Alemanniam conceſſiſſe. Quibus rebus ab aduerſariis cognitis: ad Pipinum in Aquitania agentem quàm celerrime Brionem ex ſuis mittunt: qui de his quæ de reſtituendo Ludouico agerentur, Pipinum certum reddat. Cum Aquiſgrani hybernaſſet Lotharius, Pariſium ire conſtituit. Cui per Albarnenſem vicum iter agenti occurrūt non contemnenda manu terræ illius primores. Petunt dominū ſibi imperatorem liberum reddi. Alioquin ſe vim facturos. Sed per Ludouici beniuolos re cognita: imperator, quàm occultiſſime poteſt, proceribus mandat, id ne conentur. Nam ſi cœpta non procedant, in ſuam perniciem omnia reditura. Deſiſtunt ergo proceres. Lotharius vero iam ad ſancti Dionyſii monaſteriū peruenerat, cum ex Burgundia Aubericus comes & Berardus magnis cōtractis copiis properantes, Rembaldum & Gautelinum ad Lotharium legant, quibus mandatum eſt, imperatorē ex ſeruitute repetere. Si id faciat, nihil ſibi de fortunis, neque de dignitate detractum iri. Sin minus: conſtituiſſe ſe vi atque armis innocentem Ludouicum educere. Legatis Lotharius reſpondit, non ſua culpa ſed pontificum & ſeniorum iudicio Ludouicum condemnatum eſſe. Neminē eſſe qui de patris ignominia plus ſe ſuctēſeat, vel de eius honore congaudeat. Quę poſtquam locutus fuiſſet, diſcedentibus legatis iubet ad ſe paulo poſt reuertantur, ſcrutaturus, qua ratione id quod petebant, abſolui poſſet. Hæc quamuis ita diceret: protenus tamen abeuntibus legatis patrem in Dionyſiano cœnobio liberum dimittit. Quo ſalutandi regis gratia cō plures epiſcopi proceresque ſe contulere, cohortatique ſunt, vt balteo militari reſumpto, in priſtinam ſe dignitatem reſtituat. Quod facere diſtulit donec epiſcoporum conſilio atque auctoritate purgaretur, veluti fuerat quorundam ſententia condemnatus. Reconciliatione percepta, accingitur balteo & imperiali diademate coronatur. Nec multo poſt Carſiacum petit. Illuc venere Pipinus & Ludouicus cum multo amicorū numero, quibus cum familiariter confabulatus rex, tandem eos dimiſit, atque Aquiſgranum profectus eſt, vbi Iudith vxorem ab exilio ex Italia redeuntē excepit. *Lotharius Cabilonem incendit.* Patrem interim aſpernatus Lotharius, in Burgundiā abierat, Cabilonemque vrbem diripuerat, templis omnibus ſpoliatis atque exuſtis, occaſione à Guarino comite ſumpta: qui locum muniuerat. Nec cunctatus ad Cœnomannos, vbi Lambertum & Maufredum belli duces ex Neuſtria recipere ſperabat: contendit. Quem vna cum Ludouico filio inſecutus imperator, poſitis vtriſq; ad Tizum fluuium caſtris, cum Pipinum inſuper cum copiis ad patrem veniſſe Lo

tharius cognouisset: victoriam desperans, supplex ad imperatorem venit. Quem cum omni sua nobilitate in verba imperatoris iuratum pater in Italiam dimittit: alpium claustris præsidio occupatis, ne quis ex Italia inuito milite in Frāciam demigraret. Curauit deinde summopere imperator, oppressas per superiores contentiones ecclesias instaurare: debitoq; ritu atque ceremoniis venerari. Neque omittit grassatores & viarum obsessores pœna afficere. Inter condemnatos fuere Ebo coniuratorum conscius & Agobertus Lugdunensis primas, qui tertiò ab imperatore vocatus, imperata non fecerat.

Iudith regina prudens.

Dum hęc geruntur, Iudith prouida mulier ex regis ætate admonita, primores aulicos adit: cōsulit de Caroli filii futura cōditione, si vita forte defungeretur imperator. Tres filios regi superesse grandæuos memorat: hunc vnum Carolū adolescentē esse, cui nihil terrę pater hactenus contulisset. Nisi superstite imperatore alter ex filiis Caroli eius curā receperit, se vna cum filio pessum iri. Orare igitur illos, matri filioq; bene cōsulant. Proceres iustis precibus reginę adducti, respōdent vnū ex regiis liberis Lothariū, qui ad hāc tutelam idoneus esse videatur. Ludouicus de hac re à regina proceribusq; admonitus, cū interim à Lothario nuncii ad eū venissent, re, quā petebant, cōfecta: imperator nunciis imperat, Lotharium hortentur ad eum venire sui commodi causa. Sed patri parere morbo occupatus Lotharius non potuit. Recepta sanitate, cum venire differret, nunciatur imperatori Lotharium ecclesiæ libertates & prouentuum iura violare: sibique rapere, quæ ad Romanā sedem pertinerent.

Sollicitus Ludouicus de rebus ecclesiæ.

Eam ob rem suprà quam credi potest, indignatus imperator, ad Lothariū pergere nuncios nulla mora interposita compellit. Per eos filio mandat, meminerit iuramenti, quo se (cum regnū Italiæ adipisceretur) obstrinxit: tueri scilicet atque conseruare ecclesiæ Romanæ ditionem. Idcirco dedecere, illum oppressorem eius esse, cuius tutelam in se recepisset. Restituat igitur quæ vel ipse vel sui abstulerint. Patris mandata, quæ de restituendis ecclesiis erant, se impleturum Lotharius promittit. Interim rebellantes Normānos, id est, Danos, imperator bello domuerat.

Normanni rebelles.

Quæ causa fuit, quam obrem Italiam, atque vrbem, vt constituerat, adire non potuit. Per id tempus cum Aquisgrani ageret, vocatis ad se aulicorum primoribus, Carolo iuniori filio portionem imperii dat, moxque in concilio apud Carisium agens, præsente filio Ludouico, Carolum militari cingulo & regiis vestibus ornat, data illi Neustria. Quibus insignibus donis, tametsi Iudith regina exultaret: nihil tamen firmum rata, nisi filii cura Lothario commissa à patre esset: ipsa cum aulicis regem orat: id vnum potissimum curet.

Carolus, qui postea Caluus

Nec multis se orare passus imperator, Lothario mandat: Si Caroli fratris sui procurationem tutelamque non recuset: ad se propere veniat. Neque formidet propter ea quæ ipse male commisisset, pacato se animo in eum esse, ita vt dimidiatum illi imperium dare statuerit: Bauaria tantum excepta. Hoc nuncio lætus Lotharius ad patrem Warmaciam (quæ Vangionum ciuitas est) proficiscitur. Constitutis in cōspectu patris fratribus, Lothario dico & Carolo adolescente (iam enim Pipinus mortem obierat, & Ludouicus Bauariam possidebat) imperium ad hunc modum dispartitur.

Ludouicus Lothario & Carolo Caluo hereditatem distribuit.

Totum Austrasiæ regnum à Mosa flumine ad Hūgaros vsque pertingens Lothario attribuit. Reliquum quod ad occidentem spectat, Carolo assignat. Hæc partitio assensu procerum & populi multi assistentis facta & cōprobata est. Deinde Lotharium monet imperator: Caroli curam recipiat: adolescentique assit, vt pater: & ad Carolum conuersus, tu, inquit, Carole Lotharium vt patrem colito & diligito vt fratrem. Re cōfecta liberum Lothario in Italiam reditum permittit. At Ludouicus Bauarorum rex imperii distributionem molesto animo ferens, incursare cœpit finitimas sibi Germaniæ regiones. Sed in eum mouere vbi patrem intellexit: Pronus ad imperatorem Dodonam se contulit. A quo impetrata venia, ad Bauaros reuertitur. Defuncto Pipino Aquitani audientes Carolum iuniorem Ludouici filium ex patris decreto constitutum Franciæ regem, quidam Pipinum, quem Pipinus reliquerat ex se prognatum, regem sibi habere student:

Aquitani de cōstituendo rege dissentiunt.

pleriq; contra sentientes, censebant imperatoris exspectare sententiam. Qua controuersia per Ebroinum Pictauorum antistitem imperatori relata primoribus Aquitaniæ mandat, ad se Cabilonem proficiscantur, vbi conuentum habere statuerat.

rat: Conuenientibus eodem loco Aquitanis magnaq; procerum multitudine de statu ecclesiæ primò, deinde de his, quæ ad rem publicam pertinebant: postremò de Aquitaniæ conditione actum est: ita dissoluta contione: Ludouicus Claromontem Aruerniæ ciuitatem petit. Vbi dum de Aquitaniæ rebus consultat: ecce ex Alemania nuncius defert Ludouicum ex Bauaria mouisse: adiunctisque sibi Saxonibus & Thoringis Germanos inuasisse. Quo nuncio Ludouicus adeo turbatus est, vt inde grauem præter senium, quo ipse confectus erat, inualitudinem contraxerit. Nihilominus forti animo imperator copiis eductis, aduersus Ludouicum contendit. Traiecto Rheno, postquam Ludouicus patrem cum ingenti exercitu adesse cognouit: per Sclauones in Bauariam se recepit. Imperator vero, quem premebat ægritudo, Maguntiam veniens, tentoria sibi explicari in insula ciuitati proxima iubet. Tãta fuit morbi vis, vt membris prope omnibus defectus: per dies XL. nullum neque cibum neque potum præter spirituale corporis & sanguinis dominici viaticum ad alimentum acceperit. Aderat ægrotanti patri Lotharius: qui ex Italia vocatus, paucis ante diebus venerat. Eo coram posito supellectilem suam omnem afferri sibi rex imperat: ea quidem ratione, vt recensitis opibus quid filiis relinquere, quidue cæteris siue ecclesiis seu inopibus & palatinis dispartiri posset, intelligeret. Lotharium corona aurea & ense, quo in prœliis vtebatur, donat, præcipitque vt Iudith reginam veneretur: Caroli amicitiam seruet, ne derelicta sibi regni Francorum hæreditate quicquam detractet. Ludouico autem Bauaro tametsi mediocriter succenseret: offensam tamen pius pater remisit. Fuerunt Imperatoris extrema omnia religionis atque fidei plena. Tandem sub ipsum prope animæ exitum: ad fenestram conuersus, abite, inquit, abite. Hanc vocem plerique eorum qui aderant interpretati sunt, dictam esse dæmonio, quod cuiq; morienti apparere Christiana fides tradit. Mox in alteram se partem versans, ridenti similis vitam efflauit XII. Cal. Iunii anno Christianæ pietatis DCCCXL. Cadauer in monumentum Hildegardæ matris, quod Mettis erat, lugubri pompa illatum est, postquam annos. LXXIIII. vixisset. Eius mortem cometa præcesserat. Et sol passus est eclipsim generalem.

Ludouicus Pius ægrotat.

Symbolũ quo doceatur hoc, quis non cupiat videre?

ROBERTI GAGVINI
HISTORIÆ FRANCORVM
LIBER QVINTVS.



EINCEPS, quæ sit imperii & regnorum participibus fides, sequens narratio mõstrabit. Sublato è vita Ludouico Pio, Lotharius & Ludouicus Bauarus in Carolum insurgunt, quem nobiliori paternæ possessionis parte institutum hæredem esse, dolebant. Augebat indignationem, quòd Carolus posteriore patris vxore natus, par illis in capienda hæreditate factus esset. Itaque exercitum quàm maximũ quisque potest, comparat. Ea re cognita, Carolus consilio a Francis proceribus capto: cum eos ad id bellum paratissimos fore cognouisset: numeroso exercitu collecto, aduersus hostes (qui iam apud Fontanetum Altissiodorensis agri vicum castra habebant) non fracto animo progreditur. In conspectum hostium cum venisset, quia pridie esset dominicæ ascensionis, Carolus ratus hostem festo die quieturum, negligentius suos agere permisit. Sed instructi ad pugnam fratres: acies producunt. Carolus inopinato licet congressu paululum commotus: suos tamen viriliter hortatur: nec territus miles irruentem in se hostem ferociter excepit: fit pugna atrox atq; diuturna. In ea lõge plures ex vtroq; exercitu ceciderunt, quàm apud Francos vno prælio occubuisse vsquam lectum sit. Nam tanta ad hoc bellum ex orbe Christiano diuersarum partiũ studio copia confluxerat: quãtam magna pars Europæ vix cogere in vnam aciem potuisset. Cædes proculdubio ea fuit, vt à victo non longè dissimilis victor esse putaretur. Carolus tamen fugientibus fratribus superior euasit. Qui, ne se colligendi

Bellum inter fratres Ludouici Pii hæredes.

Carolus Caluus victor.

spacium hosti esset: ipse victorem exercitũ aduersus Lothariũ, qui Aquisgranũ se receperat, paucis castris educit. Accepto Caroli aduentu, Lotharius recepta vxore Lugdunũ cum suis se liberis confert. Quẽ mox Ludouicus consequitur. Inde Viennam cõmigrant. Est in flumine Rhodano non procul a ciuitate insula. In ea cõsiliũ de rebus ad se pertinentibus capiunt. Eunt vltro citroq; ad reges legati de concordia præcepta ferentes. Eius concordiæ formula hæc fuit. Lothario Austrasia o-

Lotharingia.

mnis, atq; prouincia cũ portione terrę, quã ab eo postea Lotharingiã appellatã esse quidã putant, cũ imperii diademate in partẽ venit Ludouico Germania in qua Bauari sunt. Carolo regnũ Franciæ ab oceano Britãnico ad Mosam vsq; relinquitur. His ad hunc modũ cõuentis, Lotharius siue pœnitudine peccatorũ, siue tędio præ

Lotharius monachus efficitur.

sentis vitę permotus, distributa filiis, quos tres habebat, hęreditate, religionẽ apud Pruniã in Eiflia profitetur. Ludouicus grãdior natu Italiam adeptus est. Lotharius Austrasiã accepit. Carolo cessit prouincia cum parte terræ Burgũdiæ. Quo post octauũ inde annũ defuncto, Lotharius Burgundiã: Ludouicus prouinciã obtinuit. Hic Lotharius est, qui cõtra ecclesiasticas leges, duas pariter vxores, Galdradam & Tebergã, altera dimissa pertinaciter habere nitebatur. Cuius errori duo põtifices Teugaldus Treuerẽsis, & Guntarius Coloniensis patrocinabantur, quos propte-

[redacted]

rea graues pœnas luisse & dignitate priuatos certũ est. Lothario autem eam ob rẽ ad pontificẽ Romanũ profecto, dira sors accidit. Nã inde cum domũ repetit, apud Placentiã Lõbardiæ vrbem ægrotans, amentiã incurrit, mutusque effectus est, nec

Carolus regnum Austrasia vsurpat.

diu postea vixit. Sepelitur à suis: & in tẽplo diui Antonini, quod ciuitati proximũ erat, humatur. Nunc vero aucta ciuitate, templũ muro vrbis cõtinetur, & religiosis priuilegiis multaq; veneratione celebre est. Inter hęc Siluanecti agens Carolus, qui Caluus postea dictus est, nuncio de Lotharii nepotis sui morte audito, Mettin citus cõtendit, vbi in diui Stephani templo more regum vnctus, rex Austrasię appellatur. Quæ res Ludouico indignissima visa est, quòd se videlicet posthabito Lotharii omnẽ successionẽ Carolus accepisset. Ea propter per legatos Romani pontificis, Austrasiæ regni incolis inhibet Carolo obedire, aut de Lotharii regno quicquã sibi detrahere: alioquin interdictũ illi iri cõmunione Christiana. Quæ pœna

Excommunicatio

sicuti grauis, ita ignominiosa Christiano est. Hanc põtifices excõmunicationẽ appellant, quod is cui irrogatur, è cõmunione & cõtubernio hominum eiectus sit. Id postquã minus procedere Ludouicus intelligit, vi atq; armis agere tentat. Interim Carolus cum Nouiomi esset, Richentẽ, quam prius pellicẽ habuerat, vxorẽ secun-

Roritus Normãnorũ princeps.

dũ ritum ecclesiæ accepit. Per id tempus Roritus Normannorũ princeps in amicitiam regis venit. Cum antea Seguinus Burdegalæ, & Xantonũ comes à Normannis fuissent occisi, & magna Aquitaniæ pars vastata. Quo fere tẽpore apud Leuomicas Canonici diui Martialis, relicto seculari habitu, se ad monasticã vitã cõuerterunt. Cæterũ diui Martini cœnobitæ, qui multis opibus apud Turonos elati viuebant, reiecto monachali indumento, sese in ritũ cleri secularis deformarũt. Cuius

Nota benè.

temeritatis mox pœnas luerunt, missa in eos cœlitus pestilentia, qua per noctẽ extincti omnes præter vnũ Vedastum, qui in numerũ sanctorũ relatus est, & nomini eius Sacellũ dicatum. Ex Nouiomo Aquisgranũ Carolo repetenti Ludouicus per nuncios mandat, nisi regno, quod Lotharii fuerat, egrediatur, illum se inde prope

Victoria de Vuandalis.

diem eiectură. In re ancipiti legati vtrinq; cõueniunt, iurant, pro suo quique principe ea firma permansura, de quibus ad pacem inter eos cõueniret. Sed paulo post cum de Wandalis Ludouicus victoriã habuisset: duce eorũ capto, legatorũ pacta atq; iusiurandũ neglexit. Id enim plerisq; principibus vsu venit, dum suis rebus timent, iureiurãdo multa polliceri: mox vero tergiuersari, si arridẽtiore fortuna iuuentur. Tandẽ crebris legationibus pactũ extitit, vtrumq; regem ad arbitros contentionẽ referre, & quod illi definirent, stabile mansurũ. Postquã de concionis loco compositũ est, dum apud Flametũ Ludouicus diuersatur, cænaculi tabulatum carie & vetustate detritũ in regẽ atq; aulicos quosdam decidit, quo lapsu Ludoui-

Concordia de regno Austrasiæ.

cus vulneratus est. Solidato vulnere Aquisgranum se contulit. Inde coeuntibus ad xv. Cal. Augusti regibus de partiendo Austrasiæ regno cõuenit. Discretaq; est certis limitibus portio, quæ singulos contingebat. Hunc exitum habuit orta de regno

inter

Altera de restaurato regno Austrasiæ contentio.

inter fratres contentio. Sed non vno se impetu fortuna continet. Ecce aduersus instauratam caritatẽ belli motus ab Italia nunciatur. Repetente Austrasiam Ludouico, cui Lotharius pater Italiam tradiderat: & iam esset à Sergio II. pontifice imperator appellatus: missi de re ipsa à põtifice Adriano atque ab imperatorę nuncii ad Ludouicum Germaniæ regem ad Carolum Caluum Ludouici iussu remittuntur. Quibus auditis, & si mãdatorum seueritate Carolus moueretur, quod se inaudito partẽ Austrasiæ relinquere iuberetur, ad põtificis tamẽ legatos suos nuncios adiũgit, qui pontificẽ cõueniant. Inuenio Ludouicũ Germaniæ regẽ veniente in Gallias Engeberga, id restituisse imperatori, quod de Lotharii regno receperat. Carolum vero ab Engeberga, vocatũ, nõ obediuisse, sed summopere curasse vt Carolo, quẽ ex priore vxore Hermecota susceptum ecclesiæ sacris addixerat, puniretur.

Carlo diaconus factus apostata, carcere custoditur.

Hic enim Carlo hominũ perditorũ suasu pessimis facinoribus se inquinabat, omnia quoquo versum iret, prædatus. Quem in vinculis emendationis spe diu habitũ atq; inde relaxatũ, cum non resipisceret, diaconi gradu amotũ oculis priuauit: atque in monasterio Corbiensi custodiendũ mandauit. Qui postea duorũ speudomonachorũ nixu (hortãte Ludouico Germaniæ rege) eductus, ad ipsum Ludouicum perfugit. Hæc cõtigerunt agente Carolo in expeditione, quã aduersus Normannos, qui Andegauiam vrbẽ circunsederant, habebat. Nec tamẽ rem à se susceptam omisit.

Normanni apud Andegauiam obsessi.

Normannos, qui iam ciuitate potiti essent, circũuallat, adiutore Salomone Britonũ duce, qui suppetias Carolo ferebat. Pressi dura obsidione Normanni, eas cõditiones pacis, quas Carolus dixit (datis obsidibus) acceperunt. Relicta libera ciuitate, petunt Normanni, liceat illis insulam, quæ proximè erat, ad paucos dies incolere, ibique commeatu iuuari. Interim qui inter illos Christiani erant, posse ad regem reuerti, qui verò paganismo relicto fidem Christi profiteri vellent, eos quoq; nõ respuendos. Cæteri quibus induratũ cor esset, suas sedes nulla mora repeterent. Rebus ad hanc formam compositis cum in siluam Arduennam venatum abiisset, de Ludouici imperatoris sui ex fratre nepotis morte nunciũ accepit. Quare Richentem vxorem Siluanectum mittit, Ludouicum filium in eam Austrasiæ partem, quæ à Lotharii decessu sibi obuenerat proficisci mandat: ipse superatis festinatione multa alpibus, in Lombardiam cõtendit.

Caluus in Italiam contendit.

Inter eundum Carolus Ludouici Germanici filius iussus a patre transitu prohibere regem, cum se frustra niti intelligeret, ad Carolum proficiscitur. Ea re cognita, indignatus pater, alterum filium cum copiis mittit. Sed & numero & virtute militum inferior, Caroli potentiã non sustinẽs, pace data ad patrem exercitum reduxit. Quem receptum Ludouicus per Caroli absentiam in Francos ducit, dirisque incursionibus Franciam vexat. Audito in Italiam Caroli aduentu, Ioannes VIII. Romanus pontifex missis ad eũ nunciis, Romam properè vocat, veniẽtem Augustum appellat, afficitque imperiali dignitate. Digrediens inde Carolus Rosimon Richentis vxoris fratrem Italiæ pręponit, cõsiliariis viris atque copiis, quas voluit, illi attributis.

Carolus Caluus imperator Ludouicus imperator moritur.

Cui neptem quoque suã Ludouici regis Germani filiam despondet. In Franciam reuerso Carolo, Ludouicus Germaniæ rex vita decessit, relicto filio Ludouico. Cuius decessus causa fuit Carolo infœlicis belli.

Bellum cõtra Carolum Caluum in Alemannia.

Nam patre mortuo Ludouicus magna Saxonum Thoringorumque delecta manu nuncios ad Carolum patruelem mittit, eius amicitiam oratum. Qua non impetrata ad Rhenum castra ponit. Nec cunctatus Carolus, ad alteram Rheni ripam ducto exercitu animum Ludouici explorat: si legatis vtrinque missis rem agere velit: placuit vtique conditio. Sed dolo malo illectus imperator, dum viam pacis simulat, agmen occulto & angusto itinere seorsum à castris Ludouici noctu festinare iubet, ratus occultis insidiis intercipere posse improuisum hostem. Fuerunt ea nocte cõtinui imbres, quibus & nocturno labore grauatus miles prælio minus idoneus fuit.

Dolo Caluus agit.

Fraude detecta, Ludouicus instructa acie diuersus ab itinere quo hostis veniebat, consistit. Irruentem in se Francum tanta vi excipit, vt ad aciem, in qua Carolus erat, cedere Francos compulerit. Atque ita fugę se committentibus Francis imperator quoque comes fuit, qui vero regias sarcinas ferebant, angustia viarum & sepibus intercepti, occisi sunt, & inter eos complures illustres viri ceciderunt: reliqui in manus agrestium hominum incidentes ad nu-

Carolus Caluus fugit.

dum spoliati, ita vt ex thoris herbarum atq; arentis fœni manipulis tegumenta sibi consuerent. Eius infortunii tẽpore Normanni Sequanæ ostium classe irrumpere tentabant: aduersum quos misso cum exercitu Comardo, Carolus mãdat, cũ Normannis, qualẽcunq; posset pacẽ habere, nihilominus terrã omnem diligenter tuea tur, præsidiis per munitissima quæque loca impositis. Incidit pręter has turbas alia Carolo non parua sollicitudo. Grassabantur in Cãpania Sarraceni, quorũ aduentu territus, Ioannes pontifex Romanus Carolũ admonet, ecclesiæ opẽ ferat. Paret Carolus & cõtractis copiis, vbi Lombardiæ fines attigit, Adelgarus à pontifice veniens, refert, Ioannẽ Papiã aduenire imperatori obuiũ. Papię dum põtifex imperatorq; de rebus gerẽdis cõsultant, certiores facti de Carli Ludouici filii cũ ingentibus copiis aduentu, Papia abscesserunt, moxq; imperator Romã profectus est. Rẽ hoc loco ridiculã narrabimus. Carolus dũ à Carlo fugit, leui rumore Carlus perterritus (quod imperator pontificẽ comitatus, aduersus se mouere dicebatur) eadẽ qua venerat via in Germaniã, imperatorẽ fugiens, contendit. Rebus quarũ gratia Carolus Romã petierat absolutis, febre afficitur. Erat Iudæus medicus Sedechias nomine, imperatori, propter eius peritiã perfamiliaris, qui vel religionis Christianæ odio (cui maximè infensi Iudęi sunt) motus: vel corruptus forte pecunia, potionẽ Carolo propinãdã miscet. Qua epota Carolus omnibus mẽbris ita defectus est, vt aulicorũ ministerio in cubiculũ delatus, duodecimo pòst die Mãtuę interiit. Cuius dũ corpus exẽteratum & multis aromatibus conditũ sui in Franciã efferre cupiunt, cadaueris putredinẽ ferre non valẽtes, Versellis inhumauerũt in diui Eusebii martyris æde, anno DCCCLXXVIII. Vnde post annũ septimũ exemptũ, in diui Dionysii tẽplũ delatũ est. Eius exhumãdi causam attulit Archengerus quidã apud diuũ Dionysiũ cœnobita, & Alphonsus ecclesiæ diui Quintini Viromãdensis edituus, qui sibi, dũ in suis ecclesiis pernoctãt, Carolũ per quietẽ visum esse affirmauerunt, eosq; admonuisse, vt de tollẽdo eius corpore & in tẽplo martyrũ inhumando regẽ filiũ facerẽt sollicitũ. Hac reuelatione filius rex excitus, patris corpus ex Versellis ad sanctũ Dionysiũ transferendum curauit. Nihil ad rem pertinere arbitror id quod à plerisque scriptoribus memorię datum est: Carolum duce angelo paulo ante quam moreretur, ad inferos deductum supplicia vidisse miserarum animarum. Ardere valles, & altissimos puteos pice & sulphure, immixto plumbo efferuescere, ibiq; plerosque ex suis prædecessoribus reges inspexisse, episcopos quoque qui vel ad bella gerenda consultores: vel ad opprimendum iniquis vectigalibus populum autores extitissent. Eius rei visum litteris ipse mandauit, posteros admonens iustæ moderationis: ne aut malè imperarent, neue vsurparent dominandi potestatem. Eius certè Caroli Calui extant præclara & religiosa monimenta. Nam diui Cornelii cœnobium apud Compẽdium extruxit, vbi Christi sudarium, quod ex Constantinopoli ad se aduectum erat, reposuit. Compendium enim maximè amabat: ita vt à suo nomine Carolopolim appellare cogitauerit. Sancti Dionysii templum magnis auxit prouẽtibus, & preciosissimis donariis adornauit: quę ad hoc vsque tempus diligenter asseruata visuntur. Nec ignoro quosdam scribere, nundinas, quæ in campo Dionysiano ante Calendas Iunias fiunt, ab hoc rege esse institutas, de qua re quid sentiam, in Dagoberti gestis annotaui. Circa hæc tempora Carolus primum Batauorum seu Hollandiæ comitem Theodericum creasse legitur. Eius regis ætate Flandria, quæ paucis tunc vicis atque ædificiis ornata erat, & feris magis, quam hominibus incolebatur, eique præficiebatur à rege custos, qui Francorum lingua forestarius dicebatur, comitatus dignitatem hac occasione accepit. Erat Balduinus Andaqueri filius, qui patre defuncto, cum in magistratu fuisset à Carolo institutus, Iudith regis filiam, dum ex Anglia reuertitur, sibi rapere temerarius iuuenis ausus est. Nupserat enim Adolafo Anglorum regi. Qui cum absque liberis decessisset, Iudith viro destituta in Franciam ad patrem rediens deprehensa est, cuius rei gratia Caroli iussu coeuntes episcopi, Balduinum excommunicatione percellunt. At cum nihilominus facti non pœniteret, consilio procerum persuasus Carolus, permittit filiam Balduino in matrimonio copulari. Et de custode Flandriæ comitem Balduinum instituit. *Plerumque siquidem*

Sarraceni in Campania.

Ioannes viii. ad Carolum Caluum Papiam venit.

Carolus Caluus veneno à Iudæo necatus.

Visum quòd Carolus Caluus vidit.

Flandriæ comitatus initium.

quidem id euenit, vt quæ peccata atque iniurias facile vlcisci non possumus, eas alicuius dignitatis ratione assumpta ad gloriam perducamus. Ad hunc Carolum Caluum ortis in Anglia bellis Iohannes Scotus venit, homo græcè eruditus. Vnde à Caluo rogatus diui Dionysii Ariopagitæ de cælesti hierarchia libros ad verbū Latinos fecit. Reuersus in Angliam & Abelfredo rege liberaliter acceptus, ad Melmesberiæ monasterium se conferens, dum docendi officium gerit, à discipulis correptus, graphiis occisus est.

Balduinus primus comes Flandriæ.

Iohannes Scotus.

CAP. 2

NVNCIO de Caroli decessu accepto, Ludouicus Balbus eius filius, apud Enderuillam agens, regni proceres ad se perproperè vocat, quorum beniuolentiam & fidem regia munificentia demereri studuit: Richentem verò reginam ex Italia redeuntem, cum apud Moimerum Campaniæ castellum, cum multa nobilitate restitisse accepisset, animo conuentum (quod parlamentum Franci vocant) habendi, missis vtrinque legatis Compendium regina se contulit. Ibi Ludouico patris testamentum exhibet, proferens regia ornamenta, gladium, diadema, sceptrum aureum, quibus Carolum institutum hæredem pater moriens declarauerat. His igitur regiis insignibus exceptis, suscipiendæ vnctionis gratia Remorum vrbem petit, quem Haimardus eius loci archiflamen coronauit, anno salutis DCCCLXXVIII. Exactis inde paucis mensibus Sequanam traiecit, vbi Godefredi filii Hedonem comitem castello quodam mulctauerant, & Haimo Bernardi comitis filius prædas agebat, & loca quædam sibi subegerat. Turonum vsque rege profecto, Godefridus amicorum consilio filios ad Ludouicum ducit, & eas quas occupauerat terras, restituit, ita vt illas sibi ex regio dono retinere liceret. Qui regio munere donatus, gratiam compensat. Nam rebellantes Britones ad Ludouici obedientiam sua opera reuocauit. Erant per id tempus in Italia comites duo. Lambertus & Helbardus, qui de ecclesiæ Romanæ ditione pleraque sibi loca rapuerant, in quos excommunicatione promulgata, Ioannes pontifex Lugdunum venit: quò regem accedere per nuncios orat. Sed valetudine nondum leuatus rex, quam Turoni inciderat, morem pontifici gerere vsque ad Calendas Septembris distulit. Per episcopos tamen obsequi pontifici curat. Interea curatus morbo, Trecas profectus, illò venire Ioannem obtinuit. Fit in eo loco magnus ex Belgis episcoporum conuentus. Narrantur à pontifice quæ in memoratos raptores per eum gesta essent. Petit à pontificibus qui aderant verbo & subscriptis eorum nominibus omnia comprobari. Comprobantur. In eo conuentu cognito, quod Frotarius ex Burdegala Pictauiam & inde ad Bituriges inconsulto pontifice transisset, Ioannes proferri iubet sanctiones Sardinensis & Africani concilii, quibus episcopi ad alias ecclesias sua relicta transire prohibentur. Recitatis vtriusque synodi capitibus, pontifex diffinit, sacerdotes qui suis sedibus abiissent ad eas reuerterentur. Ipse mox Ludouicum imperii diademate coronat, Augustumque appellat. Reginam Richentem, quamuis obnixè à Ludouico rogatus, coronare recusauit. Conuentione Trecensi dissoluta, pontifex in vrbem regressus est. Imperator autem componendæ discordiæ, quæ illi cum Ludouico nepote erat, cupidus, ita per legatos egit, vt conuentu Furonæ indicto, pax ad sequentem modum dicta sit. De Austrasiæ regno, sicuti defuncto Lothario inter Carolum Caluum & Ludouicum Bauarum conuenerat, ita permaneret. Italiæ vero imperium, quandoquidem tunc commode distribui non poterat, quisque vt partem obtinebat, ita illam habeat donec de partitione in alio proxime habendo consilio agi stabilius posset. Interim si ab Sarracenis alter regum impeteretur, alter suppetias ferret. Huic formulæ si quis detractum iret, eum à neutro regum recipi aut defendi posse. Pace ad hanc formā composita, Ludouicus Germaniæ rex ad suos remeauit. Imperator Compendium accessit. Nec data quiete Bernardus Marchio bellum renouat, icti dudum fœderis oblitus. In hunc mouens imperator cum Trecas venisset, morbo decubuit. Hinc omni spe salutis destitutus, Carolum filium, qui Simplex dictus est, Bernardo Aruernorum comiti committit. Augescente morbo Compendium se deferri iubet, protenusque imperii insignibus ad filium missis, coronari

Motus belli in Italia.

Iohannes Papa in Franciā venit.

Ludouicus Balbus imperator.

Concordia inter reges.

Ludouicus Balbus moritur.

illum imperat, atque ita paucis interiectis diebus morte abſumitur Idibus Aprilis; ibique in diuæ Mariæ ædeſepelitur, Anno domini DCCCLXXX.

CAP. 3. LVDOVICI interitum ſecuta eſt varia rerũ Francorũ mutatio, tumultuãtibus hinc atque illinc diuerſarũ partiũ ſtudioſis. Nam qui tutelã noui regis in ſe receperant, Bernardus, Hugo, Abbas, Theodericus, & Roſimus audito patris deceſſu, regni proceres Meldem vocant, vbi de his quæ ex vſu reipublicæ erant, conſiliũ caperent. Erat Goſſelinus ex prima nobilitate homo potens, qui tẽpus aduenisse ratus, quo aduerſus Theodericum & Roſimum alterius factionis ſectatores ſuas iniurias vlciſci potuiſſet, ad Conrardum Pariſiorum comitem veniens, hominẽ non dum bono in nouum regem animo exiſtentem, in ſuas partes ducit, affirmãs fore, vt à Germanorũ rege, de quo ipſe bene meritus eſſet, plurimos honores adipiſceretur. His blanditiis aſſentiens Conrardus, ipſeq; Goſſelinus ſuarum partium conſcios Meldem legant, qui conſilio adeſſent. Cõuentu coacto plerique ſententiã rogati, dicunt vnum eſſe Ludouicum Germaniæ regem, qui regni negocia rectè moderari poſſit, hunc accerſere oportere, a quo ſalus rebus communibus conferatur, & qui ſuis deſtitutos poſſeſſionibus reſtituat. Cum hæc locuti fuiſſent, qui nouello regi aduerſabantur, adoleſcẽtis tutores ſpe retributionis adducti Germaniæ regem in Franciam properare per nuncios orant. Qui nuncio accepto, Mettim veniens, à proceribus iterũ admonitus, Verdunũ quo & ipſi proceres conuenerant, impigrè ſe cõtulit. At Hugo & Theodericus, reliqui prętereа ſuę factionis nobiles, cognito quid inimici machinarentur: Galterũ Aureliæ antiſtitem ad Germanię regem ire cum his mandatis iubent. Si rex eam regni partẽ quam ex Lotharii hæreditate Carolus Caluus obtinuerat, ſibi aſſumendã diceret, licere adire eam atque poſſidere, modo Franciã liberam dimittat. Ea oblatione rex optimè ſibi factũ eſſe arbitratus, Goſſelino Conrardoq; paulatim cõtemptui habitis, Franciã relinquens ad ſuos reuerſus eſt. Amoto hoſte Hugo & Theodericus Ferrariam adoleſcentes Ludouicũ & Carlonũ perducunt. Atque in diui Petri tẽplo reges appellatos coronant. Eodẽ ferme tempore Boſo reginæ frater, per quoſdam ſibi vel promiſſis allectos vel metu perterritos epiſcopos, in regem Aquitaniæ aſſumitur. Et Normanni præterea ad flumẽ Ligerim infeſtis incurſionibus graſſantes prędas agere ad reges fratres deferuntur. Qui magna militũ contracta manu in hoſtẽ prodeuntes, Normannos magna ſtrage afficiunt, nouẽ millibus occiſis: cõpluribus itẽ in Vienna flumine abſorptis. Ea victoria potiti fratres, alio mox triſti nuncio turbantur. Ludouicus enim Germaniæ rex grandẽ exercitũ ad Ducium vſque promouerat: ſeque Goſſelinus & Conrardus Pariſiorum comes ad eum cum bona coniuratorũ parte contulerant. Quibus ductoribus ad Ribemontẽ quoque acceſſit. Hi neſcio quid grande Germano regi promiſerãt. Quod cum abſoluere nõ poſſent, rex deſperatis rebus cũ regibus Francis paciſcitur, & paulopoſt in Germaniã cõuerſus, Normannorũ gentem, quæ his diebus, vt in Italia, ita in Germania cuncta vaſtabant, offendit: Quos fuſos, non magno negocio fugat. Verũ apud Saxones eadẽ ferociſſima gens maximo regẽ damno affecerũt. Victoria de Normãnis habita fratres Ambianum cõuenerunt, regnũ paternũ inter ſe partituri. Ludouicus Francorũ regnũ cũ omni Neuſtria accepit. Carloni Burgũdia atque Aquitania conceſſa eſt. Ab Ambianis Gondeuillã per Rhemos & Cathalaunos cõmeant, ubi de cõuentu habendo cũ rege Germanię conuenerãt. Concilio tamẽ (quia ægrotaret) rex Germanus non affuit, ſed per nuncios apud fratres reges egit. Qui accepto nuncio, quòd Roſimus prouinciæ rex Viennã occupaſſet, vbi vxore relicta in proximos mõtes ſe recepiſſet, exercitu ex Germania partim coacto, partim ex ſuis collecto, Viennã circuncludũt. Dũ Viennã obſidet, Ludouicus per nũcios certior de Normannorũ in Franciam incurſione factus, Carolo ad continuandum Viennæ obſidionem relicto, aduerſus Normannos ſe conuertit. Gens enim illa præter cæteras, barbara & immanis ac Chriſtianam gratiam exoſa, iam Ambianis expilatis diui Petri monaſterium, quod Corbiæ celeberrimum habebatur, diruerant. Igitur commiſſo acerrime prælio, Ludouicus Normannos in fugam vertit multis occiſis. Mirum profecto ſcripturus ſum. Reuertente à proſtrato hoſte victore exercitu tam effuſa (nullo

Varia inter Francos ſententiæ de rege inſtituendo.

Normanni iterum incurſiones faciũt ſed vincuntur.

Vienna obſidetur.

(nullo insequente)fuga Franci dissipati sunt:vt victis similes facile arbitrareris. Cre- *Francorum dissipatio.*
diderim elatum victoria Francum hac trepidatione diuinitus percitum esse:quòd
victoriam suis viribus,nõ dei benignitate partam gloriaretur. At reuocato ex fuga
milite:Ludouicus iterum in Normannos bellũ instaurantes progressus,cum(dissi-
pato per fugam milite)rarò sui corporis custodes circum se haberet, Compendiũ
venit.Insurgẽtibus iterũ Normannis,& per Ligeris ripas prędas agentibus,Theo-
derico viro militari copias attribuit: qui Normãnos pręlio adoriretur.Ipse nõ mul-
to post Turonũ profectus,Britonum non paruam manum ad id bellum mittit.Dũ
Turoni moratur,morbo correptus vita defungitur,& in diui Dionysii cœnobium *Ludouicus Ludouici filius*
effertur. Hic traditur spurcitiis atque ineptiis deditus extitisse:qui &Balbi cogno- *moritur.*
mẽ accepit.De Ludouici morte certus factus Carolus,qui Viennã obsidebat: par *Carolus eius frater rex.*
te copiarum ad Viennã relicta:ad proceres,qui eum vocabãt, concessit. Cui iter
agenti nuncius affertur,Viennã receptam à suis esse: sed Normannos ex Germa- *Godefridus*
nia mouisse & in Cãpaniam vsque irrupisse, multis vrbibus templisque direptis *Normannus*
atq; incensis.In quos Saillus Mettensiũ præsul copias ducens, suis fugientibus ce- *perfidus.*
ciderat. Quomodo autẽ per id tẽpus aduersus hãc pestem bellatũ sit, apud histori-
cos nihil inuenio. Cõstat tamen eodẽ tempore alteram ferocissimæ gentis manũ,
duce Astingo Ligeri traiecto ad Maternæ fluminis ripas consedisse: Carolũq; Au-
strasię regem expeditionẽ in eos duxisse,sed animo prope tabuisse, cum in conspe
ctum hostiũ castra locasset:Tandemq; cum Normannis fœdus pacemq; iniisse: si
modò Godefridus eius gentis princeps,Christi fidem profiteri curaret.Conditio-
ne non reiecta,Godefridus simul cum baptismate spiritualis regenerationis Frisiã
omnẽ à rege dono recepit.Donatus insuper magnis muneribus incolere,vbi castra
habebat,permissus est.In perniciem Franciæ regni,quã ipse perfidus Godefridus
cum Sigisberto paulo post inuexit.Nam quadraginta millibus armatorum instru
ctus Parisiũ circumuallat.Sed viriliter agentibus oppidanis,Gossellino quoque lo-
ci antistite & Eudone comite,qui regnũ postea administrauit,adnitente,cum ob-
sidio hosti non procederet: eam soluens Laudunum vrbẽ in edito colle positã in-
uadit.Inde agrum Nouiomensem atque Suessionẽsem populati:Remos Normã-
ni adoriuntur.Quibus incommodis indignatus Carolus imperator,aduersus bar- *Normannorum clades.*
baros ex Warmacia,vbi parlamentũ habebat,iterum insurgit:& egregio nixu præ
liatur:sternit,occidit,fugatq;.Nec pręter mittendũ reor Carlonũ & fratrẽ eius Lu
douicũ Ludouici Balbi nothos ex pellice fuisse:qui nihilominus moderatione re-
gni suscepta:non segniter Normannis obstiterunt nouẽ millibus,vt supra diximus,
vno prælio interfectis.Hic autem Carlonus etsi decessisse non ignoretur, de eius *Ludouicus ni*
tamen morte nullus ab historicis modus aut tempus scriptũ inuenitur. Reliquit ta *hil faciens.*
men hæredem filium Ludouicum:qui ob inertiam *nihil faciens* appellatus est.Nul
la enim re insignior habitus est,quàm quod virginem monialem, cuius amore de-
peribat, ex Calẽsi cœnobio abductam vxorẽ accepit. Huius inertissimi regis æta-
te Normanni induciis quas cum Carolo ad annos XII.firmauerant contẽptis: ite-
rum Franciam vexant. Quæ causa fuit plerisq; sacerdotibus & viris religiosis ora-
toria sua relinquendi,& se aliò traducendi. Qua persecutione grauati, Franci Ca-
rolum imperatorem Ludouici Germanici filium per legatos orãt, regni curã assu-
mat.Erant autẽ illis diebus Hugo Abbas appellatus, qui valida manu collecta Nor *Hugo Abbas.*
mannos adeo exterminauit:vt ex eorũ multitudine vix vnus superextaret, qui ac-
ceptæ cædis nuncium ad suos ferret. Ea strage affecti barbari, ad tempus bello ab-
stinuerunt. At quia de Hugone Abbate mentio incidit,illud non est omittendum,
hunc Hugonẽ atque Robertũ Parisiorũ comitẽ,qui & Marchio dicebatur:primos
fuisse,qui relicta monachis & sanctimonialibus prędia prouẽtusq; occupauerint,
ea sibi suisque militibus attribuentes:seq; abbates appellantes atque impertientes
monachis,prout volebãt,adhibito moderamine victus & vestimentorũ.Quæ vio
lẽtia ad Roberti regis tẽpora perdurauit.Per idẽ tẽpus iners ille & nihil faciẽs Lu- *Ludouicus ni*
douicus relicto Carolo filio(cui Simplici cognomẽ inditũ est)decessit.Scriptũ inue *hil faciens mo*
nio hũc Carolũ Simplicẽ ex Ludouico Balbo prognatum esse,postq; Ludouicũ & *ritur.*
Carlonũ Balbi filios spurios sub tutela Eudonis educatũ fuisse:& postea regnasse.

Qui

Eudo Andegauensis rex Frãcorum & Caroli Simplicis tutor.

Qui cũ per ætatē regēdo regno nequaquã idoneus esset, cognito quòd Normanni nouos belli motus pararent, ad Eudonē Roberti Andegauensis filium, hominem bonum & rebus gerendis aptum, mittunt: cui & Caroli Simplicis tutelam & regni administrationem cum regia appellatione committunt. Hic à Galtero Senonum archipręsule consecratus, Carolum Simplicem probè educauit: Francisque modestissimè præfuit. Moriens autē proceres iureiurãdo adactos admonet, regnum sine controuersia Carolo Simplici administrandum permittant: eum esse regni legitimum hæredem. Carolo Simplice regnum adepto, Normanni, qui annos XL. multis locis Franciam incursauerant, ampliore multitudine contracta in Neustriam irrumpunt & per Sequanam Rothomagũ vsque aduerso flumine deferuntur.

Franco Rothomagensis archiepiscopus.

Quibus cum Francus Rothomagorum antistes ciuium & vrbis salutem desperans colloquendi occasionem nactus, ita egit, vt neque incolis, neque ciuitati quicquã nocituri, vrbem Normãni reciperent. Quid enim prouidus pastor faceret, regis subsidio destitutus? Potiti vrbe Normanni, vbi tutissimum sibi refugium esset:

Rollo.

Rollonem ex suis hominem strenuum: qui nullam domum redeundi spem propter à se commissum flagitium haberet, ducem pręficiunt. Hic imperandi apud suos potestate accepta, animum imprimis intēdit, vrbem Parisiorum perdere: & inde Christi eliminare pietatem. Ad hanc rem conducere tria sibi latissima flumina: Sequanam, Ligerim, & Garonem maximè arbitrabatur. Igitur ingenti fabricata classe copias tripharia diuidit. Qui Ligerim nauigarunt Nauetem vrbē expugnant,

Proh sancte Iupiter.

& pontificem Guimardum inter sacrificandũ ad Christi aram iugulant. Inde profecti Andegauiam incendũt, mox Turonum adoriuntur, atque ita per Aquitaniã prædas agentes, Rollone duce in Parisios per Sequanam delati, in Burgundos per Ararim, id est, Sagonã nauigantes, in Aruerniã tandem incursant. Nec mora interposita Senones depopulati, mõnasterium Floriacem, occisis cœnobitis, diripiunt atque igne consumunt. Sed aduentus Rollonis non ignari sacerdotes: suprà biduũ

Miraculum.

diui Benedicti corpus Aureliam apud sanctũ Anianum deposuerant. Erat eius monasterii ex cœnobitarũ cõmuni assensu defensor patronusq; electus Sigillosus comes. Hunc insequēti nocte, qua monasteriũ cõflagrauerat, diuus Benedictus per quietem obiurgasse fertur: quare monasterio cõtra Normannos opē non tulisset. Quo visu expergefactus comes: parua, quæ illi pro tēpore erat, inermiũ manu coacta: in Normãnos prǽda onustos irruēs, assessore sibi (vt sanctè asseuerauit postea Sigillosus) diuo Benedicto, prædã captiuosq; recepit. Inde ad monasteriũ commigrans, cœnobitarum cadauera, quę hactenus humi strata comperit, humari iubet. Cum tã crudeliter debaccharentur per Franciã Normãni: Carolus Simplex Francone Rothomagorũ præsulem iam Rolloni notum, ad Rollonem mittit, qui trium

Carnotum obsidetur.

mensiũ inducias firmet. Exactis induciis per Stampas mouēs Rollo, Carnotũ petit atque oppugnat. Hærente in vrbis obsidione Normanno, Richardus Burgundorum dux atq; Ebalus Pictauorũ comes, copiis ad Carnotum promotis, Rollonē inuadunt. Qua re animatus Carnotensis antistes, irruptione à ciuibus facta, ipse tuni

Clades à Normannis in Francos.

cam interiorem virginis Marię (quam camisiã Franci vocant, estque apud eos magna religione obseruata) deportãs, Nomannos à tergo insilit. Fit per aduentũ pontificis hostiũ magna strages: Rollo vero fugiens, postquã suos ex fuga recepit: indignabundus iubet eos per omnē regionē populationes facere: & ea omnia, in quæcunque irruissent perdere. Itaque fera gens nihil sibi obuium integrum reliquerunt. Abducuntur in seruitutem & stuprum virgines: matres cum liberis gladiis occumbunt. Nulli templo ignem non immiserunt, flagrant per agros atque vrbes omnia. Clamoribus mortibusq; æther replebatur. Tã diris afflictionibus vexatis Francis, regem conueniunt, inertiam hominis atque pusillanimitatem accusant, perdi eius negligētia prouinciã, qui neq; hosti per se, neq; per ductores belli occurrat. His questibus excitatus rex, Franconē Rothomagēsem iterũ ad Rollonē proficisci imperat, qui eũ ad Christianã cõmunionē hortetur: quã si fide integra

Caroli & Rollonis conuentio.

recipiat, esse Carolo filiã Gillã, ꝙ illi cũ omni Neustria nuptui det. His mandatis per Fracone cognitis. Rollo à ferocia tēperat, seq; (cõsilio cũ suis habito) cũ Carolo colloquiũ (designato quo volet die) habiturũ spõdet. Ad hæc trium mensium induciæ firmantur.

firmatur. Apud flumen Eptæ, quod est Neustriæ, ad orientem limes, fit conuentio vnam fluminis ripam Carolus, alterā Rollo insedit. Intercedentibus legatis res acta est. Rollo Gillam Caroli filiam vxorem recipit, & in dotem Neustriam, quę ab Epta fluento ad Britones terminatur, clauditurque Gallico oceano: adiecta quoque est Britonum prouincia, quæ diu sub Normānorum ditione militauit. Rebus vt maximè Carolus cupiebat, ordinatis, Rollo Rothomagum profectus, initiatur sacris, & lauacro Christiano, appellatusq; est Robertus à Roberto Pictauorum comite, qui receptæ à Rollone fidei testis assistebat. Neustriam adeptus Rollo, eam Normanniā appellauit, quod eam homines à Septentrione profecti occupassent. *North* enim Danorum lingua septentrionem, *man* vero hominē signat. Inde vocabulo composito Normanni, id est septentrionales & Normannia ad hunc vsq; diē vocitatur. Eius tam barbaræ & ferocis gentis, dum originem quęro, eam ex Gothorum feritate ortam accepi. Quos nonnulli Magog Iaphet filium parentem habuisse audacissime tradunt, Gothorum prosapiam ad Noe vsque referentes, quibus ego nequaquam assentior. Quippe quod à nobis tam remota antiquitas nulla pręsertim scriptoris auctoritate nitens, fabulæ similis videri possit. Daci autem Gothorum soboles longo tempore hunc morem seruauerunt, vt ex multis liberis vnum tātum apud se hæredem pater haberet, cæteris post legitimam ætatem domo emissis. Qua lege vsus Lothrocus, cum aliquot à se filios dimitteret, Biergostam Hastingo cuidam nobili Daco commendat: adiuncta plurimorum iuuenum manu. Qui trāquillo mari nauigantes in Picardos, inde in Viromādos penetrauerunt: vbi diui Quintini monasterium incendētes: mox Nouiomum capiunt: Omnione episcopo cum clero interempto. Nec quieti Gemeticum per Sequenam, prouecti monasterium DCCCC. monachorum diruerunt, quod annos XXX. postea sine habitatore mansit. Quæ rabies in multas prouincias profusa ad Rollonem vsque, de quo proximè dictum est, grassari non destitit. Ab his quidem Dacis Normannorū sæuitia appellatioq; processit. Pacatis Normannis, regni proceres à Carolo desciscunt. Sed pręliis aliquot postquam digladiatum est, reconciliati sunt aduersus Robertum Eudonis fratrem: cuius suprà à me mentio facta est. Hic Robertus Aquitaniæ dux, qui de fratris regno portionem non accepisset, aliquot sibi viciniores vrbes capit, constitutis in eis pontificibus, à quibus tandem regis appalletionem obtinuit: quo titulo elatior factus, copias in Carolum Suessione agentem ducit. Commisso ibi pręlio Robertus occiditur. Redeunti victori Carolo, Hebertus Viromandorum comes gratulandi specie occurrit: Regem orat, Peronam ad se diuertat atque in arce diuersetur. Perfido homini (cuius sororem Robertus vxorem habuerat) rex per simplicitatem credulus, Peronam petit. Moxque arcem ingressus, in vincula ab Heberto coniicitur. Quæ res grauissimorum per Franciam incommodorum causam inuexit. Itum est tamen aduersus fortunæ iniquitatem, atq; vt in morbis solet, vt capiti in primis adhibeatur medela, Franci quasi regem non haberent, de rege pręficiendo consultant. Erat ex liberis Richardi Burgundorum ducis superstes Radulphus, Caroli nepos. Hunc (tametsi Carolus ex Elgina regis Anglorum filia prolem suscepisset) in regem assumi Carolus permittit, qui Suessione, regio diademate recepto, regnum administrare cœpit. Ludouicus autem Caroli Simplicis filius, patris atque amicorum ope destitutus, enauigato mari ad Anglos cum Elgina matre se contulit: vbi Elstannus eius auunculus regnabat. Radulphi tempore apud Carrolas pugnatum est contra Sarracenos, qui Burgundiam inuaserant, vbi ex Francis complures interierunt. Radulphus postquam annos XII. regnādo explesset, moritur XVIII. Cal. Iunii, & apud Senones in æde sanctæ Colūbæ inhumatur. Blondus & Platina Italici scriptores tradunt, post Ludouicum Balbum Berengarium ex Lombardis ortum, Foroiulium tenuisse, imperatoremque à Romanis creatum esse, cum eandem dignitatem Arnulphus à Francis accepisset post annos C. quàm Carolus magnus ceperat imperare. Arnulpho pediculari morbo defuncto, Platina addit Ludouicum in Arnulpi locum suffectum: In quem Berengarius apud Veronam ducēs, eum capit & oculis priuat. Ad hunc modum ablatum à Longobardis imperium, Berengarius à regibus Longobardis ortus, vindicauit

Rollo baptizatur.

Quare & vnde Normannia dicta.

Origo Normannorum.

Proceres a Carolo Simplici deficiunt.

Robertus Eudonis filius occiditur.

Hebertus Viromandorum comes regem Peronæ incarcerat.

Consilium de cōstituendo rege.

Ludouicus cū matre Elgina in Angliam fugit.

vindicauit. *Tam fluxæ sunt res humanæ, vt earum gubernationem nunc hic, nunc ille recipiat vel perdat.*

CAP. 5. RADVLPHO defuncto, & Carolo Simplice apud Peronam, vbi ab Heberto in custodia habebatur, mortuo: Francorum proceres & ante omnes Hugo magnus atque Guillermus Senonum primas, ad Elginam Ludouicumque in Angliam legatos mittunt, qui dicerent tempus aduenisse, cum ipsi tutò in Franciam reuerti possent: eis se subsidio affore, & obsequium vna cum aliis compluribus regni primoribus præstituros. Ea re in Angliã perlata, Elgina cum filia Ludouico in Franciam venire festinat. Cui obuii proceres Ludouicũ Laudini regem cõsalutant, adiutore maximè Guillermo Rollonis filio, qui ducatum Normanniæ gerebat. Secundo anno regni eius prodigium visum est, hominum in æthere flagrantium, & diris cantionibus nocte tota aliquid futuri incommodi vaticinantiũ: quod postea contigit. Nam tertio ab ipso prodigio anno, proceres Franci à Ludouico deficiũt, qua insuper tempestate, tanta fuit per Franciam annonę caritas, vt frumẽti mensura (cui sestarius nomen est) quattuor & viginti libris veniret. Secedentibus à rege Francis, Ludouicus Henricum Germaniæ regem per legatos petit: liceat conuentum alicubi indicere, vbi mutuum habere colloquium possint. Cupere se beniuolentiam eius atque amicitiam promereri. Henricus auditis nunciis, respõdet regis petita commode facere non posse, nisi Guillermi Normannorum ducis sententiam de hac re cognosceret. Ea re cognita Ludouicus Guillermum adit: memorat, qui sit regni status, quid in se moliantur proceres, illum vnum esse cuius consiliis res bene geri possit. Accepit Guillermus regem vt dominum, opemque suam pollicitus, Tregum equitem auratum ad Hẽricum, ex Ludouici assensu mittit. Ad Mosam fluuium conuenturos reges placuit, ibi Guillermi opera amicitiam reges firmant. Quod postquam resciuere proceres Franci, Ludouici potentiam veriti, in regis gratiam, se, vt melius, possunt, insinuant. Mox Laudini conuenientibus ex edicto regis proceribus: Hebertus quoque Viromandensis affuit. Aduersum quem paternæ iniuriæ recordatus Ludouicus, huiusmodi commentum parat, delecto ad fabulam homine idoneo. Huic mandat vestem ad Anglici incolæ formã induere, seque veluti ex Anglia ad se missum, petere in cõsilium admitti: habere litteras, quas regi reddat. Litteras autẽ quales rex ipse scripserat, huiusmodi dat: Sedenti in cõcione regi, venit cursor: vt instructus erat, litteras profert. Eas dum scriba regi demisse recitat, rex subrisit. Proceres rati aliquid ridiculi regem accepisse, rogant cur risisset. Nunc inquit maxime noui Anglos desipere. Namque Hermãnus Anglię rex, meus propinquus, fuisse apud eos scribit, agricolam hominem qui herum ad conuiuium cum inuitasset, necare ausus sit. Eius tam insignis facinoris autorem quo supplicio afficiat, sententiam vestram inquirit. Igitur vt regi gratũ faciamus, dicite proceres, quo mortis genere sceleratissimus agricola puniendus esse videatur. Theobaldus Blesensis, homo imprimis prudens, rogatus sententiam dicere, hic, inquit, homicida tametsi vario cruciatu dignus est, tamen quatenus ad supplicii modum attinet, nulla mihi detestabilior mors visa est, quàm à furca hominem pendere, cui iugulum laqueo lictor perfringat. In hanc sententiam cunctis, qui aderant, venientibus, cum ipse item Hebertus Viromandensis sequeretur, prodeunt ex occulto satellites, qui Hebertum (vt à rege prędocti fuerant) cõpręhendunt. Nec cunctãtur in collem non procul à Lauduno perducere, vbi in furca Hebertum suspendunt. Prius tamen quàm iugulum lictor arctaret, rex in eum conuersus: Tu, inquit, Heberte ille perfidus agricola es, qui dominum meum & patrem Carolum, tuum profecto regem, Peronæ in vinculis necasti. Nũc ergo pro tuis meritis meritum supplicium accipito. Collis vbi extrema passus est Hebertus, mons Heberti appęllatus est. Interim dum hæc geruntur, cum Guilliermus Normannorum dux Herloino Picardo nobili faueret, aduersus Arnulphum Flãdrensium principem, à quo Herloinus fuerat, monasteriolo castro vi & armis spoliatus: idque ei restitutum esse cum ægrè ferret Arnulphus, simulata beniuolentia colloquendi tempus locumque à Guillermo apud Pinquiniacum impetrat. Qui prima conuentione assentationibus & blanditiis apud Guillermum perfidum proditorẽ agit.

Ludouicus ex Anglia reuocatur.

Prodigium.

Fames.

Ludouicus Guilliermum Normãniæ ducem adit.

Nota regis in Hebertum commentum.

Hebertus Viromandiæ comes suspenditur.

agit: nec multo negocio benignum ducem per speciem charitatis fallit. Itaq; rē in insula quadam Sommæ fluminis, non procul à Pinquiniaco (vt videbatur) composita, ascensa nauicula discedentem ab Arnulpho Guillermum satellites Flandriæ reuocant, quasi aliquid ab Arnulpho omissum esset, quod ad beniuolentiam pertineret. Appulsum ripæ ducem, cum alterū ex naui pedem protulisset, Also cui Turco cognomen fuit, trucidat. Serui autem ducis, qui ad alteram ripam reuersurum mox dominum præstolabantur, flumine impediti, opem domino ferre minime potuerunt. Occisi cadauer (fugiente cum suis satellitibus Arnulpho) Rhotomagū religiose delatū, tumulo magnificentissimo XVIII. Cal. Ianuar. honorauerunt. Ab hoc Guillermo Gemeticum cœnobium, quod à Dacis dirutum suprà annotaui, instauratum est: vbi vitam quoq; monasticam profiteri statuerat. Nam inter arcana eius inuentæ sunt religiosæ vestes, quæ argumento fuerunt, conceptæ à se vitæ regularis. Huius Guillermi mors, occasio fuit Ludouico audendi pessimi facinoris, quamobrem ipse quoq; multas sibi turbationes excitauit. Nam de Guillermi interitu nuncio accepto, Rhotomagum ire festinat, simulans amici principis necē velle vlcisci, animo reuera aliud agitans. Supererat enim Guillermo filius Richardus infans, cuius tutelam pariter & terræ Normanniæ administrationem Rodulphus Bernardusq; gerebant. A quibus vt dignum erat, receptus Ludouicus, terræ specie atq; serenitate illectus, spem capit eius potiendæ. Petit Richardum infantē ad se deferri, tanquam apud se educandum. Qua re ad ciues perlata, coniectat populus, regem non aliam ob rem, infantem abducere velle, nisi vt Normanniam sibi vsurparet. Tumultuatur igitur populus, & in regem seditionem agitat. Cui periculo Bernardus Danus occurrens, Ludouico consilium dat, infantem in vlnis amplexum tumultuanti populo ostendat. Paret consultori Ludouicus. Simulq; iureiurando plebi asseuerat, nihil se de Normannia, præter ius superioris dominii vendicare: terram omnem Richardi esse: cupere infantem bonis disciplinis erudiri, bonisq; moribus, si permittant, educari. Sedata plebe rex infantem in Franciam traducit, acceptæ à Normannis iniuriæ memor. Cognito quòd Richardi curā recepisset Ludouicus, veritus Arnulphus Flandrēsis, ne in se vnū propter Guillermi necem curreretur, XL. auri marcas regi dono mittit, nec cunctatur ad regē aduentare, seq; quoquo modo posset, de ducis interemptione reddere purgatum, atq; in regis potestatē traducere necis autores. Et hæc quidē palam elocutus Arnulphus, ad regis aures aliud insusurrat, recordari scilicet decere regem ignominiarū, quas olim & in se atq; in patrem Normanni & dixissent & fecissent. Talia suadenti rex credidit, purgatumq; Arnulphum dimisit. Inde cœpit rex aduersus infantem Richardū frequēter stomachari, atq; indignari, ita vt redeunti à venatione Richardo rex, tāquam aliquo eius delicto indignatus, eum spurium vocaret, comminatus, nisi mores emendaret, se illi poplites malè mulctaturum & cunctis honoribus priuaturū. Ad hæc Richardū diligenter asseruari trucissime imperat. Erat Richardo ludi magister & præceptor Osmundus, qui regis aduersus Richardum indignationem secum reputans, Iuoni cuidam spectato sibi amico rem communicat. Ambo Richardum conuenientes, hortantur ægrotare grauiter se simulet. Quam technam cautus puer haud pueriliter impleuit. Ægrotantem cum serui negligentius obseruarent, aliis atq; aliis seorsum in rebus suis occupatis: Osmundus palustrium herbarum fasce Richardum inuolutum, dum conuiuio rex indulget, vrbe Lauduno exportat: inde equo euectum Conciaci præfecto committit. Moxq; ad Bernardum Siluanecti comitem præueniens rei gestæ ordinem narrat. Bernardus Richardo timens, Hugonem Magnum Parisiorum comitem in auxilium vocat. Qui statim copias quas potuit ex tempore coactas ducens, Richardum ex Conciaco Siluanectum transfert. Comperto quòd sublatus sibi Richardus esset, Ludouicus Hugoni Magno Parisiorum comiti mandat, Richardum restituat. At comes, tanquā negocii ignarus, in Bernardum culpam reiicit. Atq; ita illusus rex Arnulphū Flandrensem accersit. Qui adueniens consilium regi dat, magnis Hugonem pollicitationibus alliciendum esse, quòd ambitiosus & magni potentatus appetens esset. Secundum Arnulphi consilium Ludouicus ad crucem Compendii Hugonem ad

Guillermus Normannorū dux, per proditionem occiditur.

Ingratus Ludouicus.

Richardus dux Guillermi filius.

Tumultus Rhotomagēsis populi contra Ludouicum.

Arnulphus Flandriæ comes nequissimus.

Richardus opera sui præceptoris Lauduno clam educitur.

Consilium Arnulphi comitis Flandriæ.

se venire iubet. Hugoni coram constituto, postquam multa rex memorasset, vrbes illi in Normannia daturũ se pollicetur. Quibus promissis deuictus Hugo, acceptis à rege copiis Baiocas Neustriæ vrbem aggreditur. Rex Caletos inuadit. Quorum exercituum irruptione attonitus, Bernardus Danus, ex consilio Bernardi Siluanectensis ad Ludouicum nuncios legat, atq; his imperat nunciare regi, frustrà in sibi beniuolam gentem arma mouere. Rothomagum & reliquam Normanniam eius esse, modò eorum obsequiis vti velit, quorum ope aduersus hostes olim forte adiuuetur. His mandatis hilarior factus rex, nihil dubitans, suos inhibet vltra bello agere, atq; ita Rothomagum ingreditur: apud quem recumbentem, sic locutum esse Bernardum Danum tradunt. Hoc, inquit, die, serenissime rex, plurimo nos honore affecisti. Fuimus hactenus duci obnoxii, nunc regiæ paremus maiestati. Habeat sibi Richardum Bernardus, satis nobis bene à fortuna factum arbitramur, si tuæ celsitudini Normanna gens subiaceat. Illud vnum miratur gens tua, Hugonẽ, tibi sine ambiguitate hostem, xx. hominum millibus armasse te, quem sæpenumero imperatis tuis renitentem fuisse non ignoras. Consule igitur Normannis tuis, & eos regia liberalitate asserua. Motus oratione Ludouicus, Hugonem armis abstinere iubet. Rebus apud Normannos fœliciter, vt arbitrabatur, gestis, Laudunum rex profectus est. Per cuius absentiam Bernardus Danus metuẽs, ne Hugo maiorẽ manu instructus, Normanniam repeteret, Aigrotum Daciæ regem, qui adhuc Cereburgi agebat, admonet, militem ex Constantiensi agro collectum, ad se mittat, ipse aduerso Sequanæ flumine classe adnauiget, omnia, quà iter facturus erat, vastans: eo pacto futurum esse, vt Ludouicus in colloquium cum eo prodiret. Aigroto, vt à Bernardo admonitus fuerat, faciente, Bernardus de aduentu Aigroti Ludouicum certum facit. Rex ergò exercitu pro temporis angustia congregato, Rothomagum veniens, Aigroto ad vadum, cui nomen erat Herliciano, communicat. In eo loco dum multa de Guillermi nece reges inuicem fabulantur, Danus quidam Herloinũ comitem, cuius gratia Guillermus occubuerat, conspicatus, lancea confodit atq; interimit. Cuius rei indignitate commoti Franci, armis decertant, committiturq; vtrinq; atrox pugna: ita vt fusis compluribus Francis, rex fuga sibi salutem parauerit, perniciosissimo equo vectus. Fugientem tamen miles quidam Danus depræhendit: apud quem cum dies aliquod delituisset, iubente tandem Bernardo Dano, Rothomagum captiuus deducitur. Rege in custodia habito, Engeberga de viro curam gerens, ad Othonem Germaniæ regem, cuius erat filia, festinans, opem aduersus Normannos efflagitat. Petenti filiæ pater respondit: Hæc Ludouico incommoda contingere, qui Guillermo duci & probatissimo viro, neq; fidem neq; iusiurandũ seruasset. Atq; ita spe destituta Engeberga, ad Hugonem Magnum se conuertit: Illum per omnem debitam regi fidem atq; obseruantiã orans, liberare suum regem studeat. Reginæ precibus adductus Hugo: à Bernardo Siluanecti comite impetrat, ad Normannos se conferat si forte de rebus communibus conuentum habere vsquam velint. Concilio apud sanctum Cletum coacto, de liberando rege postquam hinc atq; hinc locuti sunt, vos (inquit Hugo) ô Normanni, regem nostrum restituentes, accipite vobis obsidem filium Lotharium, donec altero indicto conuentu, de concordia paceq; ad plenũ transigamus. Itaq; Lotharium cum duobus episcopis, Hildrico Beluacensi, & Guidone Siluanectensi accipientes Normanni, regem custodia liberant. Qui paulo pòst tempore validissima manu instructi, Richardum à Bernardo receptum sibi adducunt. Ludouicus Laudunum proficiscitur. Inde, vbi secundi conuentus tempus aduenit, conuenientib. ad Eptam flumen Francis, Normannisq;, pacis fœdus ictum est. Hugo autem Magnus ille comes sibi prospiciens, & quanto Richardus per dies melior auctiorq; esset, auctore Bernardo Siluanectensi filiam Emmam Richardo desponsat. Quo fœdere suspicatus Ludouicus facile fore, vt à duobus maximis principibus deprimi posset: accersitum Arnulphum Flandriæ comitem ad Othonem III. Rhenanum, hoc est, Germaniæ regem, mittit: qui eum in belli societatem alliciat, accepturum præmii loco Lotharingiã omnem, si eius opera Normannia potiri possit. Hac proposita mercede, Otho belli aduersus Normannos se sociũ Ludouico adiungit, con tractisq;

Bernardus Danus prudens.

Rex Danorũ Aigrotus.

Ludouicus capitur.

Engeberga Ludouici uxor.

Consilium de Ludouico liberando.

Otho imperator, & Ludouicus rex Rothomagũ inuadunt.

tractisq; in vnum copiis, Rothomagū infesto agmine reges petunt, vbi vastatis pe circuitum vrbis vicinis agris, vicisq; incensis, ciuitatem oppugnare constituunt. Igitur præmisso, quàm occultissime Otho potest, nepote, qui secū militabat, terrendorum ciuium causa: cum ad portam, quà pons supra Sequanam est, concessisset, apertis repente portis, ciues eruptionem faciunt. Committitur ad ipsum pontem pugna, vbi compluribus fusis, Othonis nepos occubuit. Venere præterea reges. Sed perspecta vrbis munitione, Otho, vbi nepotem cæsum esse cognouit, omnia in Arnulphum retorquens, cogitat, si quo modo Arnulphum ad manus hostium deducere posset. Qua re animaduersa, Arnulphus receptis sarcinis, se è castris in Flandriam proripuit. Nec morantur idem facere reges, atq; cœptis desistentes, exercitum reducunt: quos insecuti Normanni, plurimos in fuga interemerunt. Ludouicus autem eodem anno, quo hæc gesta sunt, decessit: atq; in diui Remigii templo regio sepulchro impositus est, anno Christianæ salutis DCCCCLV. Hic nullo fere, quo regnauit, temporis momento, prospera fortuna vsus est. Per id tempus Gemeticum cœnobium, quod à Danis dirutum, annos XXX. desertum fuerat, à Balduino & Gunduino monachis instaurari cœpit. Hi enim ex Aspera vico Cameracensis agri prodierunt. *Arnulphus fugit.*

RELIQVIT ex Engebertha Othonis sorore liberos duos, Lothariū atq; Carolum. Carolus autem Lotharingiæ & Brabantiæ dux, imbecilli & demisso animo, vitam priuatā egit: Bruxellam, Brabantiæ insigne oppidum, incolens. Lotharium proceres in regem assumpserunt. Huic fuit aduersus Richardum Normannorum ducem, authore Theobaldo Carnotensi, diuturna cōtentio. Qui Theobaldus per Engebergam primò tentauit Richardo insidias ponere. Deinde non procedentibus cœptis, Lotharium in ducem exasperat, identidem crebro repetens Richardum ea potentia valere, vt rege non longe inferior esse videatur, tantum Lothariū apud Francos posse, quantum illi à Richardo permissum foret: quærendam idcirco æquissimam occasionem esse, qua hominis magnitudinem Lotharius pessundet. Audiuit rex æquo animo loquentem, quippe cui doleret tam magno potentatu hominem esse, scilicet sibi obnoxium, qui pro suo arbitrio imperata vel faciat vel recuset. Igitur Richardo mandat, meminerit Neustriam Francorum ditionis esse: cuius gratia in verba regis iurare & ei fidem dare debeat. Veniat ergo suo satis officio, veteri more, facturus. Ad regis mandata se venturum Richardus respondet. Quo responso Lotharius ratus perfectum iri posse, quæ in Richardum animo agitabat, Balduinum Flandrensem, Goffredumq; Andegauum, & Theobaldum comitem accersit. His tribus & magno militū numero comitatus, ad Helnam flumen, quo Richardus accedere statuisset, venit. At Richardus, cum in aduersa fluminis ripa in conspectu Lotharii consedisset, fraudis humanæ recordatus, exploratores clam à se dimittit, qui Lotharii, eiusq; gentis conditionem & statum sibi referant. Redeuntes qui missi erant, dicunt omnia apud Francos ad bellum instructa esse, putare se, illum armorum apparatum in ducem conspirare. Ea re comperta dux assistere sibi quosq; ex suis fortissimos iubet, quorum ope nixus flumen traiicere Francos prohibet. At potentiæ regis conscius, Rothomagum protenus contendit. Atq; ita suo instituto frustratus rex, summa indignatione percitus est. Nec propterea moratus, alterum ex Francis Burgundisq; exercitum cogit: adque Ebroicam Normanniæ ciuitatem progreditur, quam (prodente Gilberto fabro ferrario) recepit. Receptam Theobaldo Carnotensi committit, præsidio imposito. Inde in castellum, quod Hermeuillum incolæ vocant, mouens Theobaldus, cum illic diutius hæret, dux Sequana transmisso, cum non contemnenda manu hostem repente adoritur. Cæsi sunt in ea pugna ex Theobaldi militibus DCLX. Theobaldo se Carnotum recipiendi vix spacium fuit. Rebus prospere gestis, Richardus metuens ne magnis à Lothario incommodis afficeretur, ad Erardum Danorum regem legatos ire iubet, qui regem orent suppetias Normannis ferre, qui ex sua gente prognati essent. Gratus fuit Erardo legatorum aduentus, seq; cum copiis propediem affuturum respondit: nec Richardum fefellit. Instructa enim classe, ad ostia Sequanæ adnauigans, militē in continentē egressum, in Carnutes aduersus Theo-

CAP. 6.

Contentio aduersus Richardum Normanniæ ducem.

Ebroicam, aliter Baiocas, rex cepit.

Theobaldus Carnotēsis comes vincitur. Erardus Danorum rex.

baldum ducit, cuncta obuia, non aliter quàm irruens supernè grando, quatit proteritq;, nec minus ea, quæ Lotharii erant, quocumq; irrupit, vastat atq; populatur: transferens ad Normannos vili precio, quas auferebat, prædas. Inter has calamitates pontifices Franci Laudunum ad Lotharium proficiscuntur, occursuri tot incommodis, quibus afficiebantur. Ex Lotharii sententia Carnotensis antistes ducẽ conueniens, ex Richardo petit, quamobrem ipse, qui Christicola esset, tam diris calamitatibus per gentem Christum nescientẽ, Francos persequeretur. Qui cognito hæc mala à Richardo procurari, quòd Lotharii iniquitatem atq; in se maliuolentiam maximè suspectam haberet, simulq; Theobaldi, qui Ebroicam Lotharii dono occupabat, incursiones rapinasq; vlcisci conaretur, antistes firmatis cum Normannis, induciis ad Lotharium reuertitur. Legatione ad regẽ perlata, priusquam cum Richardo Lotharius quicquam pacti iniret, iniuriarum satisfactionem Richardo exhibens, Ebroicam duci reconciliatus dimittit. Succedente die, cum ad conuentum Normannorum eundum erat, Richardus in castris Danorum apud Gondelfossam apparare diuersoria ad excipiendum Lotharium iubet. Ibi habito conuentu, Lotharius apud Richardum se excusatum faciens, commissorum à se obliuisci ducem petit, speraret in reliquum tempus regem sibi amicum fore, & ad res suas adiutorem. Regis seu vera seu simulata mansuetudine perspecta, Richardus offensam remittit: atq; ad hunc modũ pace vtrinq; firmata, discessum est. Ab hoc Richardo Fiscani cœnobium, diuinæ trinitati dicatum est. Itemq; in suburbano Rothomagi Audoeni templum, & in monte Tumba sancti Michaelis monasterium multis cœnobitis cumulatum. Absumpsit autem illum mors anno salutis DCCCCXCVI. & apud Fiscanum sepultus est. At inquiete animo Lotharius regnum Austrasiæ, quod Ludouici patris eius fuerat, repetere ab Othone constituit. Ad eamq; rem congregato exercitu Aquisgranum maiore quam credi potest, celeritate ingreditur. Prandenti vnà cum vxore Othoni cum de Francorum inopinata irruptione nuncius affertur, mirum in modum attonitus, raptis quæ potuit, fuga elapsus est. Præda ex regis palatio, ditissimoq; oppido, atq; ex omni prouincia correpta contentus Lotharius, retro in Franciã cessit. Quem non longo interposito tempore magnis copiis insecutus Otho, castra è conspectu Lutecię Parisiorum ponit. Sed eruptione à ciuibus facta, & Othonis nepote cum aliis compluribus fusis occisisq;, ciuitatis suburbia Otho incendit. Nec moratur Lotharius hostem ad Isaram vsq; cum Hugone Magno & Henrico duce Burgundię per Suessionensium agrum persequi: vbi tam multis occisorum cadaueribus alueus oppletus est, vt à consueto fluxu Isara impeditus, in agros sese effunderet. Nihilo tamen segnius fugientem Othonem Francus persecutus est. At pacatis demum regibus, Austrasiam, cuius causa bellum gerebatur, Othoni Lotharius reclamantibus regni Francorũ multis proceribus, dedit: repugnante etiam Hugone abbate, qui occasione inde suscepta, regnũ affectauit atq; vsurpauit, nec diu deinceps Lotharius superfuit. Nam apud Remos moritur: & in diui Remigii cœnobio tumulo illat⁹ est, anno DCCCCLXXXVI. At, quia de Austrasiæ regno pluribus locis fecimus mentionem, instituto nostro congruit, qui fuerint olim eius regni limites, patentius aperire: testimoniũ ex Brabantiæ annalibus capientes. Duas Austrasiæ primarias sedes aliquando fuisse per temporũ interualla comperio. Mettim & Aquisgranum. Hanc Sigiberto filio rex Dagobertus integram viuens attribuit: ab extrema scilicet Burgundia ad Alpes orientem versus, & ad mare Frisonum inter Rheni & Schaldis fluenta pertingentẽ. Compræhendebat Traiectum, Agrippinam Coloniam, Treuerim, Magonciam, Brabantiam, Geldriam, Cliuiam. Cum Hollandia atq; Zelandia, Hannoniam itẽ atq; Hasbauiam, Leodium, Lemburgum, Alsaciam. Comitis Palatini, quæ citra Rhenum sunt loca. Siluam Arduennam, Barrum, quod in ducalem post inde prouectum est dignitatem: Cum ea portione quæ Lotharingia hodie appellatur, quæ ad Mosellam flumen inchoat: multis oppidulis & vicis frequens. Hanc Galliæ Belgicæ latè extensam regionem prisci orientalem Franciam: alterã cui Carolus Caluus imperabat, quia ad occiduum solem procurrit, occidentalem dixerunt. Et Austrasia quidem hisce finibus consepta, in partem Lotharii Magni imperatoris, vt

Reconciliatur Lotharius & Richardus.

Lotharius Othonem inuadit.

Austrasiæ regni limites.

supra

ſupra à nobis relatum eſt, poſtea veniens: Lotharingiæ nomen adepta: ad Othonẽ vſq;, quem tertium diximus, permanſit. Lotharius propterea rex, de quo longè ſuperius dictum eſt, Othonis ſororius Tornacum, & alia quædam Belgica oppida, in perpetuam hęreditatem accepit. Recepta igitur Auſtraſia: Otho Lotharingiam ducatus appellatione ſublimauit. Cuius magna pars Brabantia extabat: dictaq; eſt Lotharingia inferior. At, quia Othoni Lotharius ſuſpectus erat: vt Caroli fratris Lotharii amicitiam demereri poſſet: eum terræ tractũ, qui Lotharingia nunc vocatur, illi dono dat: Ratus Carolum beneficii recordatione, fratrem in fide & beniuolentia, ne nouos belli motus excitaret, retenturum. Verum Carolo Aureliæ in carcere defuncto (de quo infrà dicetur) Otho filius eius ſucceſſit in ducatu: paulò pôſt ſine liberis deceſſurus. Cui in ducatu ſuccedere rata germana eius, nomine Gerberga, ab Henrico imperatore prohibita eſt. Et receptis ac reſeruatis eidem Gerbergæ & Lamberto eiuſdem marito Hannonienſi comitatu, Louanio, Bruxellis, Niuella & pleriſq; aliis locis: ducatus Lotharingiæ comitibus Ardennenſibus attributus eſt. Hanc tamen Lotharingiam, Godefridus Barbatus, à prædicta Gerberga propagatus, poſt C. annos, pro magna parte recuperauit: à quo Brabantiæ duces hactenus ortum habere leguntur. Succedentes inde imperatores, inferiorem Lotharingiam partim Colonienſi: partim Leodiẽſi eccleſiæ donauerunt. Nonnulla verò ad Leodios pontifices emptione peruenere. Ad hunc modum mutilata Auſtraſia, cùm nomen, tum regni dignitatem amiſit. Adeo nihil eſt, quod integrum perſeueret. Principum enim donatione in alterius poſſeſſionem multa trãducuntur. Deſidentium quoq; regum perduntur ignauia: vel tyrannide (ſicut ſequens factum oſtendit) vſurpantur.

LOTHARIO ſucceſſit filius adoleſcens Ludouicus: Quæ autem geſta ab eo ſunt, ſilentio ab hiſtoricis prætereuntur: vel, quia propter breuitatem regnandi nulla: vel, quia indigna memoratu ipſi iudicauere. Apud Compendium ſepultus, nominis tantum appellationem ſuis poſteris reliquit. CAP. 7.

CAROLVS deinceps Lotharii frater, regni gubernacula ex Lotharingia, cuius ducatum gerebat, tanquam legitimus hæres, recipere tentauit: ſed Lauduni cum vxore agentem, Hugo, qui Capetus appellatus eſt, ope atq; proditione Anſelini vrbis antiſtitis, recepta vrbe, Carolum intercipit: atq; Aureliam in cuſtodiam mittit: anno ſalutis DCCCCXC. Quo fere tempore Angli grauiſſimum Danis tributum quotannis ſoluere data fide promiſerunt. Is cenſus fuit decem millium librarum auri Anglicani. Interea Caroli vxor duos enixa liberos, Ludouicum atq; Carolum (qui præmatura morte defuncti ſunt) ſpem adipiſcendi regni fruſtrà accepit. Nam Hugo ille Capetus, animi magnitudine & rebus potens, cùm eius conatus nemo reprimeret: vi atq; armis regni ſe diademate inſigniri obtinuit: iactans ad eam rem ſe à ſanctis Walerico & Richerio, per quietem fuiſſe admonitum, propterea quòd eorum corpora, dum de ſepulchro ob metum Normannorum transferebantur, plurimo cultu honoraſſet, & ad propria loca reduci curaſſet. Addebat ad miraculum legitimam generis ſucceſſionẽ. Ab Odone enim Andegauo, quem Franca nobilitas propter Caroli Simplicis puſillam ætatem regno ſuffecerat: originem ducere gloriabatur, eumq; patruum appellabat. Eius Odonis frater Robertus Hugonem Magnum, Pariſiorum comitem cum genuiſſet: fuiſſetq; (vt paulò ſuprà ſcripſi) à Carolo Simplice ob regnum affectatum occiſus: ipſe Hugo Magnus hunc regni vſurpatorem Capetum ex Aigunde, primi Othonis imperatoris ſorore, tulit. Qui ideo Capetus appellatus eſt, quia Capucia per ludũ in aula regia adoleſcentibus nobilibus aliis auferebat. Vnus tantum Flandrenſis comes Arnulphus, Hugonis temeritati aduerſari tentauit. Hinc excitato bello, Hugo toto Artheſio comitatu Arnulphum mulctauit: Quem poſtea interceſſore Richardo Normannorum duce, ab Hugone recepit. Arnulphum prætereà Lotharii fratrem nothum, Remorum pontificem: ſynodo epiſcoporum habita, ab vrbe deiectum in vincula coniecit, & Remis Gelbertum philoſophum poſuit antiſtitem. Romani tamen pontificis Iohannis edicto, Arnulphus per Signinum Senonum præſulem (reuocato Gelberto) reſtitutus eſt. Hunc Gelbertum magiæ ſcientem ſcriptores

Capetus unde.

Gelbertus philoſophus.

fuisse tradunt: eamq; artem Ispalis didicisse, quamuis Gallus esset:& Floriaci monachus effectus: Othoni propterea gratus cum esset: Rauennatem ecclesiam administrasse:& tandem Iohanne XVII. mortem obeunte, pontificatũ Romanum fuisse adeptum. Nec fuit Hugoni vita diuturnior: sed ad reges Francos apud diui Dionysii ædem est appositus, anno Christianæ natiuitatis DCCCCXCVIII. relicto successore Roberto, quem ex filia Odouardi Angliæ regis susceperat.

CAP. 9.

Responsoria Roberti regis.

HVNC secutus est filius Robertus, bonis moribus spectatissimus rex, nec minus optimis disciplinis eruditus. Cuius hactenus extant in ecclesiasticis sacris præclara scripta: quæ responsoria clerus appellat: Quorum hæc præcipua habentur. *O Iuda & Hierusalem*, quod pridie natalis dominici cantari à clero cõsueuit. Illud prçterea de sanctorũ martyrum triumpho. *O constantia martyrum*: item & illud, *Cornelius Centurio*, quod ad diui apostoli Petri aram scriptũ, cum Romæ esset, pridie festiuitatis apostoli obtulit. Nec omittendã reor illam, quam Sequentiã Gallica ecclesia vocat, *Sancti Spiritus assit nobis gratia*: quæ maximi alicuius Theologi opus æstimari possit. Principio regni eius Eudo Carnotensiũ comes, Castellũ Meldunense, quod Bouchardi comitis erat, Galteri opera, qui castello præfectus esset, occupauit.

Eudo Carnotensis comes.

Quod à Roberto prçmonitus: cum restituere ablata Eudo recusasset: accito Richardo Normannorũ principe: arcem vndiq; circũuallat: atq; expugnat, proditorẽ Galterum in arce depræhensum, vna cum vxore Robertus patibulo illaqueari iubet, & Bouchardo arcem restitui.

Ducatus Burgundiæ ex legato Henrici ducis Roberto regi dimittitur.

Lãdericus Niuernensis comes, de Burgundia contendit.

Robertus rex moritur.

Tenebat eodem tempore Burgundiã Henricus. Qui vita deficiens, cum se liberis carere intelligit, terrã Roberto legat. Quamobrem ad Landericum Niuernensem comitem spectantes Burgundi, Roberto se obtemperaturos negant. Igitur accersito Richardo Normanno, quem II. vocant, promotis copiis Robertus Antissiodorũ, vrbem Burgundo audientẽ, obsidet. Cuius obsidionis pertæsi ciues: dedita tandem ciuitate, Landericũ quoq; regi dedunt. Recepta ciuitate Aualonẽ præterea munitissimã arcẽ Robertus vi capit. Atq; hac expeditione satis suæ æstimationi factũ ratus, in Franciã se conuertit: vbi apud Senones Bernardus quidã agens, graui tyrannide Dei sacerdotes & templa vexabat. Qua persecutione percitus Leothericus Senonensium præsul, communicato cum Ramaldo Parisiorum pontifice consilio, ciuitatẽ tyranno liberat: liberatam Roberto permisit. At cum Erardus inde aufugisset, Fromondus eius frater occupata arce: regi resistit. Sed obsessam Robertus post aliquot dies recepit: capto Fromondo quem Aureliam ad patrem Renardum misit: vbi paulo pòst defunctus est. Nec diu superstes Robertus fuit. Nam IIII. & XX. regni sui anno, qui fuit Christianæ gratiæ XXX. supra M. ad commune regum sepulchrum delatus, & Dionysiana æde sepultus est: relictis suæ memoriæ præclaris monumentis. Montis enim fortis arcẽ validissimis turribus & muris extruxit.

Ecclesiæ à Roberto extructæ.

Diui Reguli apud Siluanectum ædem. Aureliæ diui Aniani templum. Stampis diuæ virginis Mariæ basilicã. Augustuduni ædes sacras duas. Apud Possiacum diuæ virginis ecclesiam. Hic cum vxores duas diuerso tempore habuisset, ex Constantia Guillermi Arelatensis filia, Henricum suscepit. Ex altera, quæ Nouiomensis erat: duos, Simonem & Amalricum extulit. A quibus Focus:& duo eius liberi Balduinus & Amalricus Hierosolymorum reges prodierunt.

Richardus.

De Richardo II. insigni admodum principe, cuius mentio supra incidit: illud tradendũ literis sum arbitratus. Fuit illi in delitiis puella plebeia, quam annos VI. perditè amauit, tulitq; ex ea mares tres, & fœminas totidem, nec ab ea alienari potuit, quanquam à suis maxime rogaretur illustri genere ducere vxorẽ: sed puellam coniugem accepit. Ex eius liberis duo, Richardus & Robertus temporis successione ducatum Normanniæ administrauerunt. Tertius, cui Guillermo nomen erat, in Fiscani cœnobio monachus vixit. Alisia maxima natu, Reginaldo Britonum comiti copulata est. Alienora Flandriæ comiti: tertia Nauarræ regi tradita.

CAP. 10.

Contentio de regno inter fratres.

RELIGIOSO regi Roberto successit Henricus: Cui mater Constantia ita aduersari studuit, vt multis regni proceribus ad eam deficientibus, Robertũ Burgundionem Henrico præferre contenderet. Filios enim tres ex Constantia Robertus susceperat: Hugonem ducem, qui præ patre mortuus est. Robertum Burgundionum ducem, & hunc Henricum: de quo nunc scribimus, Francorum regem. Filia

autem

autem Balduino de insula Flandrorum comiti, thoro licet immatura, sponsa committitur: Aliza erat illi nomen: vnde nati sunt liberi mares duo, Ludouicus & Robertus, & fœmina quæ Guillermo notho Anglorũ regi nupsit. Iam arces aliquot vrbesq; Constantia occuparat: cum Henricus matris potentiã furoremq; veritus: ad Robertum Normannorum ducem accessit: auxiliũ opemq; aduersus maternã vim petiturus. Qui Henrici fortunã miseratus, magnis illum muneribus cumulatũ: validoq; insuper milite instructũ, ad patruelem suũ Malgerium, qui Gorbolii comes erat, mittens: comiti mandat, Henrici partes sequatur, & quoad per eũ commode fieri possit, tueatur. Abeunte, à duce, Henrico: ipse dux finitima Normanniç castra, quæ regis erant, capit: imposito illis firmissimo præsidio: ne ab illis quicquã belli in Henricũ insurgeret. His igitur auxiliis, suis quoq; copiis auctus Henricus, nõ longo temporis progressu & maternũ in se rigorẽ deflexit: & quæ illa abstulisset, partim vi, partim libera deditione facta, recepit. Et per id tempus Parisii ciuitas conflagrauit. Quo anno dominicæ salutis M. XXXIIII. Campaniæ comitẽ Eudonẽ & Balduinũ Flandrensem quibusdã arcibus oppidisq; mulctauit. Quæ commoda Henricus in Deũ referens accepta: diui Martini templũ, quod Camporũ appellatur: à se Parisii constructũ sacerdotibus, quos seculares vulgus vocat, assignauit. At non fuit illi eadem erga homines gratitudo. A Normanna nobilitate, post Roberti mortem, in suũ ducem Guillermũ conspiratione orta, Henricus potiendi Tilliariæ arcis cupidus, à Guillermo impetratã, sed à Gilberto Crispino, qui seruandæ arci præerat, defensam, vi expugnat atq; incendit. Deinceps ad Septentrionem versus, secundũ mare proficiscens, Argentonam diruit. Inde ad Tilliariam reuersus, arcem instaurat, imposito præsidio. Cum suscepta aduersus Guillermũ conspiratio procederet, Guillermus ad Henricum nuncios mittit: orans vt paterni in se meriti recordatus: se Roberti ducis, à quo olim opem accepisset, filiũ contra inimicorũ violentiã iuuet. Quo nuncio motus rex, correpto pro tempore exercitu: ad Halsedunũ vnà cum Guillermo copias in conspiratores ducens: eos multo militũ numero superiores fudit. Neq; hoc modo meliore rex animo in Guillermũ perseuerat: plærisq; Henrico suadentibus Neustriam repetere, quç ditionis Francorũ fuisset. Atq; his verbis motus Henricus, bipertitò exercitu Normanniam ingressus est: vno Caletos, duce Eudone fratre: altero Gaufredo Martello Ebroicenses inuadit. Ea re cognita, Guillermus diuersis copiis, regis conatus tardare festinat. Ipse aduersus regem proficiscitur. Franci, qui in Caletos grassabantur, & ad mortuum mare vsq; peruaserant, à Normannis fusi, occisiq; sunt. Quam victoriam postquam Guillermus accepit, in collem, qui regiis castris proximus erat, caduceatorem ascendere iubet, atq; ibi quam maxima posset voce, nunciare, fugatos fusosq; Francos esse. Re comperta, Henricus iniuriam acceptam vindicaturus, Gaufredum Andegauensem in auxilium accersit. Atq; ita vno agmine progressi, cum sinum quendam pelagi, cui Vada diuæ nomen est, vno traiectu transire omnes non potuissent, alteram, quæ impediente æstu restiterat, Guillermus adoritur atq; interimit, spectante Henrico: qui suis interlabente çstuario, auxilio esse non valebat. Quo infortunio admonitus rex, secum reputat, quam inique Guillermum lacessisset. Igitur per nuncios ducis amicitiam expetit, & initam illibatè seruauit, restituta arce Tilliaria, quam à Guillermo iniuste rapuerat. Hic est Guillermus Roberti filius nothus, qui Angliam Haroldo rege occiso occupauit, eamq; melioribus legibus informauit atq; continuit, quibus hodieq; vtuntur Angli. Quieuit deinde à bello Henricus & Philippum, quem ex Anna Russionum regis Georgii filia extulerat, se viuo regnare imperauit. Fuere præterea Henrico liberi duo, Robertus Burgundiæ dux, atq; Hugo, qui Magnus appellatus est. Henrici tempore Berengarius Turonensis diaconus errorem de Eucharistiæ sacramento excitauit, vbi non verum Christi corpus, sed exemplar quoddam corporis inesse dicebat. A quo postea resipiscens, sententiam mutauit: vixitq; apprime liberalis in pauperes, & fœminæ congressus impatiens, ita vt à plçrisq; propter multam eius sanctitatem, mortuus sit honoratus. Nam Hildebertus Cœnomanensium antistes multis illum carminibus extulit, in quorum extremo ad hunc modum scripsit.

Normannorũ dux Robertus Henrico regi auxilium tulit.

Prioratus diui Martini de Campis.

Post obitum viuam secum, secum requiescam:
Nec fiat melior sors mea sorte sua.

Atq; eodem, quo id factum est, anno, Henricus defunctus cum atauo atq; auo regib. sepelitur, anno salutis M.LX. Moriens Philippum filiū Balduino Flandriæ comiti commendauit, vt illi tutor adesset. Fuit itaq; Balduinus Philippo fidelissimus, eiq; adulto Rhenum sine controuersia administrandū reliquit. Huius regis ætate Burgundi, cum annos centum & triginta Francis regibus paruissent, ad Conrardum imperatorem defecerunt. Vnde factum est, vt quæ vna erat Burgundia, in duas partita sit, & alteram, quæ Campaniam attingit, Franci: alteram, quæ Bisantinos spectat, Alemanni imperatores tenuerint.

Burgundia diuisio.

ROBERTI GAGVINI
HISTORIÆ FRANCORVM
LIBER SEXTVS.

CAP. I.



PHILIPPVS, qui hoc inter reges Francos nomen primus accepit, prospera fortuna vsus, duxit vxorē Bertham Florentii Hollandiæ comitis & Phrisiæ regis filiā, quæ Ludouicum atq; Constantiā peperit. Erat per id tempus Biturigum comes Harpinus, vir strennuus & belli potens. Qui in expeditionē, quæ illo tempore ad Hierosolymam primum duce Petro Heremita, deinde Godefrido, Bullionem parabatur, profecturus, cum rei pecuniariæ indigeret, Biturigum principatum regi venalem proponit. Quem sexaginta millibus nummûm ab Henrico emptum, Francorū ditioni asscripsit. Adiunxit præterea Vastinium ex huiusmodi causa. Orto inter Gaufridum Barbatum Andegauum & Fulconem Richinum Vastinienses fratres, ob male distributam paternā hæreditatem dissidio: Richinus Henrico promittit, se Vastinium illi perpetuo relicturum, si se aduersus fratrem bello decertantem non impediat. Igitur annuente Philippo, Richinus fratrē depræhensum, in custodia, donec moreretur, habuit: atq; ita Vastinium Henrico permisit. Ex quo factum est, vt crescente superiore fortuna, Philippo pariter habendi cupido augeretur. Ea propter Vilcassinum, quod ad Francos respicit, & Francum appellatur, occupat, & aduersus Hugonem Donni Martini comitem, montem Melianum munitissimam arcem muro circumcingit. Inter hęc cum Ludouicus adolesceret, & iam spem faceret futurę magnitudinis, pater ad regni consortium illum admisit. Qui non per socordiam atq; ignauiā mollis & effœminatus, neq; ferarum venationibus occupatus, ætatē egit, sed nunc iaculandi, nunc sagittandi, vel armorum se consuetudine exercebat. At Philippus filii cura à negociis respirans, in aliud se incommodum intricauit. Nam in Berthā odio concepto, eam apud Monasteriolum in arce asseruari iubet, abducta à Foco Andegauo Bertranda vxore, quam in pellicem annos complures habuit, susceptis ex ea liberis Philippo & Floreo atque filia vna. Eius adulterii causa, cum à stupro non resipisceret Philippus, Romanus pontifex Vrbanus II. regi hominum communione interdixit. Habuitq; apud Clarummontem Aruernię ciuitatem synodū anno salutis MXCV. vbi de moribus cleri multa instituit: quorum illud ante omnia est, ne à quouis principe beneficiorum inuestituram clericus recipiat. Præterea de cogendo aduersus Turcos exercitu, longam orationem habuit. Quamobrem plurimi adducti, se cruce signarunt, atq; imprimis Aimatus Aniciensis, id est, Podiensis antistes, clarus habitus, atq; alii, de quibus posterius scribemus. Cōgregandi cōcilii occasionē Petrus Heremita dedit. Ex Solymis enim reuersus, Vrbano narrat, vidisse se Simonem Hierosolymæ patriarcham, in seruitute à Calipha rege miserabiliter teneri, & ludibrio haberi Sarracenis. Quæ lachrymando cum Petrus referret, hinc pontifex motus, de expeditione in Syriam ducenda, animum adiecit. Igitur excommunicationis ignominia percitus rex, accepta Bertha, Bertrandā dimisit. Inter libidines Ludouicus regni administrationē curiosissime gerens, aduersus

Bituriges iure emptionis ad Francos pertinent.

Vastinium.

Ludouicus ad regni cōsortiū à patre admittitur.

Philippus Berthā dimittit, & Bertrandā in delitiis habuit.

sus

ſus Guillelmum, nouum Angliæ regem, qui Normanniam Roberto fratri abſtulerat, præliis aliquot fœliciter geſtis, grandi ſemper animo ſe geſſit, ita vt deſperata victoria Anglus retro ad ſuos ſe conuerterit. Vbi dum venationi indulget, ſagitta incerto autore traiectus, interiit. Fuit equidem Ludouico non ſegnis cura, rebelles edomandi. Bochardum enim Montiſmorentiani dominum, ob læſam diui Dionyſii libertatem, in arce obſeſſum, ad ſe venire, & damna eccleſiæ illata compenſare coëgit. Droetum Montiacum præterea eius criminis participē, incendio caſtelli, quo ſe receperat, affecit. Eius quoq; virtute & diligentia Mathei Bellemontis temeritas pœnas luit. Qui ablatam caſtelli Luſarſenſis, partem Hugoni Claromontenſi, cuius filiam duxerat vxorem, reſtituere contemneret. Nam caſtellum vi atq; armis receptū Ludouicus Hugoni reſtituit. Fugientem autē Matheum ad Chambeliacū vſq; perſecutus, eum in arce obſedit, ſed crebris imbribus fatigatus, & continuo tonitru perterritus miles, relicta obſidione & parte caſtrorum incenſa, ſe fugæ commiſit: à qua, non Ludouici reuerentia, non clamor, non preces, fugientem continere potuerunt. Ea re tantā indignationem concepit Ludouicus, vt Pariſios repetens, ſæpenumero diceret, pulchrius eſſe, crudeli morte, ſi honeſta eſſet, occūbere: quàm cum dedecore vitam producere. Igitur nouo exercitu contracto bellum redintegrare contendit. Sed Matheus Bellomontenſis gnarus, ſtultū eſſe, maiorum iuſſis non parere, amicorum interuentu, & ipſius inſuper Philippi auctoritate, benigniorem habuit Ludouicum ſatisfactione incommodorum exhibita. Elbonem preterea Roſſiacum, qui Laudunenſi & Remenſi clero frequentem vim inferebat, ad pœnitentiam compulit. Pari quoq; virtute Leonetum de Magduno Aurelianenſem eccleſiam turbantem, compreſſit. Per hos item dies Guido, de Rupeforti primæ nobilitatis homo, ægre ferens, filiam, quam Ludouico nuptui dederat, diuortio fuiſſe dimiſſam, propterea quòd cognationis gradu Ludouico contingeret, belli occaſiones quæritabat. Nec defuit maliuolo homini ad flagitium ſocius. Erat in Materna flumine caſtellum Gorneium: aquis muriſq; munitiſſimum. Cui Hugo Pomponus præerat, Guidonis ſectator. Hic, quòd ſecus publicam viam caſtellum ſitum eſſet, abductos à mercatoribus equos in arcem ſuſtulerat. Ea re indignatus Ludouicus, cum prædam Pomponus non redderet, ad caſtellū copias, pro tempore celeriter contractas, mouet: vbi dum aliquot dies diſtinetur: Guido de Rupefort de obſeſſis ſollicitus, à Theobaldo, Campaniæ comite, per Richardum ſuæ factionis conſortem, auxilium petit atq; impetrat. Ipſe interim aliquot regni loca incurſionibus populatur. At Ludouicus cognito Theobaldi aduentu, ex finitima Gorneio gente, milite raptim collecto, in comitem inſtructo agmine pergit. Quem profligata magna exercitus parte in fugam vertit. Inde reuerſus victor Ludouicus caſtellum recepit. Acceſſit ad hæc alia ab Hombaldo turbatio, qui ſanctæ Serennæ caſtellum, quod in Biturigibus ad Lemouicenſes ſpectat, incolens, Biturigum agros crebris incurſionibus vaſtabat. Igitur in prædatorem profectus Ludouicus, in conſpectu hoſtium caſtra locat. Perfluebat eum locum riuulus, quem Hombaldus ad vtramq; ripam occupabat: &, quà vadum erat, ne Franco pateret tranſitus liber, præacutos palos defixerat. Quare poſtquam ſe remorari Ludouicus videt, ipſe citato equo in Hombaldum fertur, quem, & alterum, qui iuxta erat, in profluentum proſternit. Quibus in alteram ripam elapſis, Ludouicus, quà vadum eſſe intellexit, traiiciens, in hoſtes prope iam attonitos irruit. Quem inſequentes Franci, hoſtem ad caſtellum vſque profligauerunt. Hoc euentu perterritus Hombaldus, ſe & ſua Ludouici poteſtati permiſit. Recepto caſtello, Ludouicus Hombaldum in turre Stampenſi cuſtodiri iubet. His diebus Robertus de Bruxello in agro Pictauenſi Fontiſeuraldi monaſterium, à Petro Pictauorum epiſcopo adiutus, inſtituit: opus mirificum & celebre. Hæc atque alia ſtrennuè gerente Ludouico, Philippum Melduni ægrotantem vita deſtituit. Cuius funus religioſe curans Ludouicus, ad diuum Benedictum Ligerenſem extulit; vbi ſe delegerat ſepeliri: labente incarnationis dominicæ anno centeſimo ſexto ſupra mille. Philippo adhuc viuente, cùm per Syriam atque Paleſtinam Chriſtiani à Mahumeti cultoribus, diris incurſionibus premerentur,

Ludouicus ecclesiæ & pacis turbatores punit.

Gorneium in Materna flumine.

Theobaldus Campaniæ comes cōtra Ludouicum.

Hombaldus in Biturigibus.

Officium egregii militis.

ingens ex prouinciis orbis Christiani militum & populi exercitus insurrexit, in Syriamq; profecta est. Cuius bonæ partis ductor fuit Gaufridus de Bullona & Lotharingiæ dux, comitantibus eum fratribus suis, Eustatio & Balduino. Quibus se comites addiderunt, Anselmus Richemontus: Balduinus Mancium comes: Robertus Flandrensis: Stephanus Valesius: Hugo Magnus: Philippi regis frater, Viromandorum comes: Robertus Normannorum dux: Raimondus Tholosates & alii complures. Duxit non minus segniter copias Petrus Heremita, quibus prædicando hortandoq; animum dabat, inter præliantes fortiter militans. Gaufridus autem, cui ad tam longam diuturnamq; militiam non suppetebant opes, Bullionem, castrum, quod in Leodiis est, Oberto gentis episcopo vendit, acceptis mille & trecentis argenti marchis. Mettenses præterea, qui ad Lotharingiæ principatum pertinebant, recepta ab eis grandi (sicuti ego accepi) pecunia, sui iuris esse permisit, quod non secus ac recuperatam libertatem hactenus seruant, & constanti virtute tuentur.

Expeditio Hierosolymitana, à Gaufrido Bullonæ duce suscepta.

Mettensium libertas.

CAP. 2.

Contentio de loco, vbi rex sacrari debeat.

PATRIS funere digna pietate expleto: Ludouicus, etsi populari beniuolentia iuuaretur, non pauci tamen ex regni primoribus suspecti cum illi essent, consilio Iuonis Carnotensium episcopi, confestim Aureliæ conuentum habuit: ibiq; conuenientibus, ex Senonensi prouincia, & vicinioribus vrbibus, episcopis, regiis insignibus ornatus, rex appellatus est. Quo ritu vix exacto, ecce à Remis missi ab archipræsule nuncii venere, in mandatis habentes, dicere, Remensem ecclesiam vnam inter Francos esse, vbi reges sacra vnctione liniri optima consuetudine oporteret. Sed cum sacrum iam mysterium absolutum intellexerunt, obmutescentes, irrita legatione, reuersi sunt. Nec regi nouo quies diuturna fuit. Gingo siquidem Ruffus, & Guido Creciacus, eius filius, prædis assueti: & quibus doleret, quòd castello Gorneii spoliati à rege essent, aduersus quem Eudo Corbeii comes suppetias fratri mittere recusasset, insidias Eudoni parant, eumq;, relaxandi animi causa venatum prodeuntem, inuadunt. Atq; in vinculis in arce firmitatis Balduini coniiciunt. Qua re animaduersa, Eudonis amici Ludouico iniuriam sui domini renunciant: adiicientes cum castellanis, hoc est, cum oppidanis pepigisse, se eos, dum aduenirent in castellum, admissuros esse. Rex igitur paucis, ne ab hoste dignosceretur, adcitis, ad firmitatem contendens, Anselinũ cum quadraginta equitibus præmittit. Qui per pontem ad hoc paratum introducti, strepitu & susurro suo castellanos rei ignaros excitarunt. Quo factum est, vt noctu & viarum angustia præpediti, qui præmissi erant, retro abire compulsi sint, Anselino capto: quem vna cum Eudone Corboliano in ergastulum castellani demisere. Fuit ea re, supra quam credi potest, indignatus Ludouicus. Idcirco festinanter properat castellum obsidere, aggeribus quinq; per circuitum erectis. Per eam obsidionẽ comperto, quòd Guido Creciacus, variato frequenter habitu, ad obsessos clam introire tentaret, Ludouicus arcem oppugnat. Qua re territi castellani, Ludouici potestati se permisere. Quorũ alii fortunis omnibus mulctati, alii, carcere longo afflicti, mortẽ obierunt. Receptis ad hunc modũ iis quos hostis vinctos tenebat, Ludouicus reliquis metum incussit. Sed aliud difficilius mox bellum ab Anglo rege exortum est. Eodem tempore Henricus IIII. Anglis imperabat, cuius nomen grande quidẽ fuit: de quo Herlinus vates Anglus vaticinatus esse perhibetur, qui inter Anglos diuinationis non mediocre nomen obtinuit. Hic Henricus, ordinatis apud Anglos rebus, cum in Normanniam anno domini centesimodecimo supra millesimũ venisset, arcem Gisortii, quæ ad Eptam amnẽ inter Francos Normannosq; limes est, à pagano arcis domino vi extorquet. Quod factum postquam resciuit Ludouicus, legatis ad Henricum missis, petit, arcem aut restituat, aut diruat. Sed ad hoc ventũ est, vt conuentu apud Plantas habito, reges de hac re colloquium inirent. Cum ad designatum consilio locum reges accessissent, Ludouicus aliquot ex suis ad Henricum legat. Cuius legationis primarius ad hunc modũ locutus fuisse perhibetur. Cũ Normanniæ principatum, Henrice, ex Franco rege recepisti, iureiurando inter vos sancitũ est, vter vestrũ Gisortium arcem, aut Braium occuparet, is infra quartũ occupatæ arcis diẽ, eã dirueret. Quod pactũ quãdoquidẽ præuaricatus es, præcepit rex, vt con-

Eudo comes Corbeii à Gingone fratre, dum venationi indulgeret capitur.

Bellum ab Anglia.

Oratores Frãci ad Henricũ Anglum.

vt conditioni obediens, arcem Gisortii, quam occupatam tenes, omnino prosternas, & quæ damna intulisti, compenses. Si quispiam ex tuis adest, qui pactũ neget, paratus est rex, aut idoneis testibus id probare, aut bello rem suã agitare. Hæc cum Henrico nunciassent legati, nullo expectato responso, ad regẽ se receperũt. Quos protenus secuti quidã ex Normannis, regẽ impudenter conueniũt, conditionem (cuius mentionẽ fecerant legati) pernegantes, propterea litigiosam rẽ iudicio decernendã esse. Mittuntur igitur iterũ ad Henricũ nuncii, qui certamẽ singulare aut bellũ indicent. Quibus respondit Anglus, se id quidẽ (accedente pro tempore occasione) curaturũ, insani hominis esse, se, remq; omnem suã inconstanti fortunæ, velut aleã luderet, cõmittere. Ad hæc Henrici verba tumultuantes Franci, leuibus quibusdã præliis in Normannos, concurrunt. Sed cũ nox superueniens pugnã diremisset, discedẽte Gisortiũ Anglo, Franci Caluum montẽ petunt. Qui sub diei sequentis lucẽ, correptis armis, Gisortiũ expugnare cũ statuissent, inde sunt (Normannis ex oppido erumpentibus) repulsi. Hoc, vt diximus, inchoatum bellũ, secundo tandẽ anno finem cœpit: Guillermo Henrici filio, Ludouici iussa capessente. Cui, ob ingenuã eius indolẽ, arcem, cuius causa digladiatũ erat, liberam Ludouicus dimisit. Per id tempus inhumanũ facinus, à socero in generum patratũ, silentio prę- *Crudele factum.* terire nõ possum. Est enim tũ sceleris atrocitate, tum supplicii grauitate cognitu dignũ. Est proxime Sequanã edita rupes, in cuius altissimo iugo Guido quidã, nobili tate insignis, arcẽ munitissimã extruxerat, indito à suo nomine arci vocabulo. Ru- *Rupes Guidonis.* pes enim Guidonis etiã nunc appellatur. In ea, cum aliquot sęculis ipse primũ, deinde filii eius duo successu temporis, habitassent, vicinos populos prędis affligẽtes: Guido tandẽ alter, hæreditario iure, arcẽ suscepit. Qui maiorũ suorũ vitã exosus, ad humanitatẽ se conuertit, ducta vxore, Guillermi cuiusdã potentis Normanni, filia. Hic Guillermus Normanna perfidia vsus, genero insidias ponit, si quo modo arcẽ illi eripere posset. Satellitibus igitur (quos loricis sub sagis instruxerat) secũ assumptis, in sacellũ, quo rem diuinã auditurus erat gener, cõtendit. Ibi simulata pietate, perfidus socer, dum veniente cum vxore generũ intuetur, occupata sacelli ianua, Guidonẽ summouet. Quem dum satellites gladiis confodiunt, misera vxor, in virũ, humi procumbentẽ, se prosternit: prompta omnino, vulnera quæ marito inferrent satellites, in se excipere, aut pietate atq; misericordia ferociã compescere tyrannorũ. Sed frustra gladiis districtis lachrymæ obiiciuntur: interimitur, auctore socero, gener. Et qui in arce inuenti sunt, ad vnũ, omnes necantur. Pia autẽ vxor & viri & suo cruore madens, se ad virũ reptando, vt potuit, illapsa, dum mortuũ maritũ gemens osculatur, ipsa pariter occubuit. Postquam tam atrox flagitiũ in vulgus delatum est, finitimi loco proceres, sceleris immanitate exciti, veriti quoq; ne Anglus opẽ Guillermo ferret, cõtracta ex agris qualicũq; manu, arcẽ circũsistunt, missis ad Ludouicũ festinanter nunciis, quid de homicidis agendũ statuat, inquirentes. Rex crudele factũ detestatus, mandat eos grauissimo atq; ignominioso supplicio affici. Cum ad arcẽ aliquot dies proceres consedissent, rebus suis desperans Guillermus, colloquio impetrato, pollicetur, si aliam sibi suisq; sedẽ dent, se locum in potestate obsidentiũ relicturum. Complures ex proceribus promissum admittentes, dant fidẽ postulata complendi. Qui in arcem recepti, reliquæ multitudini obsistere, nec ingressum prohibere valentes, fidem datam seruare non potuerunt, quin furentium more beluarum, cohors intus irrumpens, satellites laniat, euulsis quorundam intestinis, aliis per fenestras præcipitatis, quos, qui foris aderant: lanceis mucronibusque excipiebant. Exsectum autem Guillermum flagitii auctorem, corde præcordiisque euulsis, crudeli (vt dignus erat) morte necauerunt. Occisorum præterea cadauera, cratibus ligneis imposita, in Sequanam abiecerunt, vt secundo flumine Rothomagum delata, dignas suo flagitio pœnas luisse testimonium Normannis darent. Ad hanc impietatem Philippus Philippi *Philippus* regis nothus, Guillermo fauisse creditus est. Nam à rege tertiò vocatus, si- *Spurius.* ue conscientiæ metu, siue conceptæ rebellionis concupiscentia remoratus, parere neglexit, amicorum potentia fretus. Sed repugnantem & Magduni obsessum Ludouicus castigauit. Eodem animi robore Hugonem Puissiacum,

qui Carnotensium agrum peruaserat, ecclesiasq; prædabatur, neq; superis neq; hominibus indulgens, in castello Puissiaco compræhendit, atq; ad castrum Laudunũ *Corbolium.* in vinculis habuit. Vnde postea liberatus est, Corbolii arce Ludouico permissa, quam Theobaldus, Campaniæ comes, Eudone defuncto, occupare vehementer ardebat. At Hugo quietis impatiens, & datæ fidei oblitus, cum in Flandriam iter facturum Ludouicum accepit, capto cum Theobaldo & Henrico Anglo consilio, Puissiacum, quod dirutum Franci reliquerant, instaurat: Theobaldumq; & Normannorum non contemnendam manum in castellum admittit. Nec sua seruare contentus, Thurium Belsiæ oppidum copias ducit, atq; obsidet. Ea re ad Ludouicum delata, à Flandria, quò iter habebat, reuertens, ad hostes exercitum ducit. In aduenientem Theobaldus eruptione facta progreditur. Sed Francorum potentia *Puissiacum.* in arcem se recipere compulsus est. Est in conspectu Puissiaci tumulus terreus, quẽ occupare cum Ludouicus festinasset, in eo castellum magno suorum periculo extruxit. Nam in eum vsq; locum ex arce Puissiaci iaculis & fundis emissis, nostros hostis appetebat. Castello absoluto, præsidioq;, & quantum pro tempore opus erat, commeatu instructo, rex Thurium veniens, nouas copias parat. Moxq; per Ianuillam ducens, à Theobaldo armis impetitur. Qui, quòd militũ numero superior esset, de victoria fermè securus, suis animos facit. At contra Francus omnia in virtute ponens, hostẽ viriliter excipit. Promoto prælio: cum ad Rodolphi Viromandensis tentoria Theobaldus venisset, Rodolphus & vos, inquit, Brinenses iam pri- *Theobaldus, Campanus comes, superatur.* mum in Viromandos audetis procurrere? Atq; ita locutus, in Theobaldum impetum facit. Qui ferocis hostis incursu territus, ad signiferum suos omnes conuenire magna voce inclamabat. Qua etiam excitati Franci, resumptis animis, adeo ferociter prælium committunt, vt hostem in fugam actum, ad Puissiacum vsq; sint persecuti. Ab hoc tempore Theobaldus animo languidiore fuit, cœpitq; illum fortuna deficere. Quamobrem à rege impetrat, Carnotum tuto se recipere possit. Igitur abeunte comite, & Hugo & Puissiacum in Ludouici potestatem venere. Hugonem autem fortunis omnibus destitutum dimisit, arce ad solum excisa. Reliquos coniurationis conscios vel morte affecit, vel hęreditatibus mulctauit. Dum his re- *Thomas de Marla latro clerũ affligit.* bus Ludouicus occupatur, Thomas de Marla, stupendæ immanitatis latro, Laudunensem clerum, atq; ipsam vrbem, multis incommodis afflixit, diuæ Marię templo incenso: atq; à diui Iohannis monasterio Creciaco, Nogentoq; ereptis: vbi extructis, per ambitum, turribus, fossisq; præsidium imposuerat. Ex quibus oppidis incursiones crebras faciens, omnia populabatur. Cuius iniquitati vt occurreret clerus, concilio Francorum sacerdotum Viennæ indicto, vbi pontificis maximi legatus affuit, Thomas absens omni militiæ dignitate exuitur: atq; hominum communione interdicitur. Orantibus Ludouicum sacerdotibus, in Thomam expeditionem recipere, eorum precibus adductus rex, ad Creciacum castra ponit. Nec multo negocio oppidanos ad deditionem compellit. Inde nihil cunctatus, Nogentum adit, vbi Thomas incolebat: qui paucis supra diebus Laudunensem antistitẽ Galterum templo per summam iniuriam abductum, oculis priuauerat: & mox necatũ in proximum agrum nudum proiici mandauerat. Cuius flagitii magnitudine indignatus Ludouicus, arcem protenus oppugnare iubet. Qua recepta, eos qui Thomæ inseruiebant, furcis appendit. Recepit præterea Bellouacum: quam Lancellinus Donni Martini comes ad se pertinere iactabat: qui & ipse in ecclesias, earũq; ministros, impia crudelitate grassabatur. Ferente Ludouico tam diligenter opem tutelamq; Dei sacerdotibus, venit ad eum ex Biturigibus Alardus Guillebaldus, ab Archenbaldo missus, quem Haimo, Borbonii Dominus, portione ad se pertinen- *Haimo Borbonius.* tis hæreditatis spoliauerat. Erat enim Archenbaldus Haimonis ex fratre nepos. Igitur postulat regẽ, ius in ea causa dicere: & pariter auxiliari ecclesiis atq; inopibus, quibus multas calamitates Haimo inuexisset. Alardo hæc nunciante, Ludouicus, priusquam per hanc iniuriarũ occasionem armis decertaretur: Haimonem ad se vocat. Non parentem in castello Germiniaco, quod munitissimum sibi Haimo milite & commeatu instruxerat, obsidet. Nec obsidionem diu passus, quòd temerarium iudicaret, potenti regi contraire, petit, ad regem ire sibi liceat. Ad quem demisso

missō supercilio veniens:relicto in Ludouici potestate castello, veniā accepit, deductusq; in Franciam,publico iudicio,nepoti,quæ abstulerat,reddere cōdemnatur.His prospere à Ludouico gestis,maius aliud bellū incidit.Hēricus Anglus,qui Normanniam tenebat,adiuncto sibi Theobaldo,Campaniæ comite:cum & pecunia & dignitate cum Ludouico certaret,Frāco subesse recusabat.Est oppidū,quod Aquā Nicasii incolæ vocant,Epta flumine vndique allutum,qua iter in Normanniam est.Id breui militum manu pręmissa,Ludouicus suos occupatum mittit.Oppido recepto,rex locum,quòd bello in Normannos gerendo, idoneus erat:turribus firmat:atq; præsidium imponit: mox, quandoquidem Anglus ad collem, qui postea Malesitus appellatus est,castra habere nunciabatur,augere & ipse copias instituit.Conuenere ad regem instructo milite Balduinus Flandrensis & Focus Andegauus:& alii ex Francis plurimi proceres. Nec minore conatu Anglus ad eum, quem nunc memoraui,collem castellum extruxit, quod propugnaculum aduersus Francos esse in posterum posset.Postquam vero,parato iusto exercitu, Ludouicus Anglum inde abiisse cognouit: illò sub lucem profectus, castellū expugnat atque prosternit. Fuit deinde Anglo fortuna deterior. Nam tribus diuersis locis à Francis impeditus: cui primum occurreret,hæsitabat.Focus enim à Cœnomānis, Ludouicus à Pontiuiaco,& Balduinus aliunde Henricum inuasit. Accedebat, ad diram sortem,suorum defectio, & quorundam aulicorum odium, ita,vt ipse nusquam securus,nocturnam custodiam in armis excubare in cubiculo præciperet, mucronemq; ceruicali supponeret, interdiu autē gladio semper accinctus, familiarissimos quosq; domo sine ense egredi non permittebat. Dum his malis Henricus ageretur, Enguerrandus Caluomontensis,homo diues & militiæ insuetus,Eudelium castellum(proditoribus Normānis)Anglo surripuit. Ex quo interdum copiosa manu in vicinum agrum erumpens, aduersus Anglum prælio dimicare non formidabat. At postquam in cuiusdam arcis obsidione resisteret Balduinus Flandrensis,in facie vulnus accepit:quo male curato,non multo pòst tempore interiit. Simulq; desciuit à rege Focus Andegauus,data Guillermo Henrici filio,filia vxore.Nec tamē his auxiliis destitutus rex,animo intabuit,neque destitit Anglū Normannosq; persequi,ita,vt positis,aliquādo ex aduerso, castris Boucardus Monmorentianus & Guido Claromontensis cuneo facto, aciem hostiū peruadentes,Normannos ad peditem militem retro abire compellerent.Quos insecuti Franci,non quà hostis loco cedebat,sed in consertissimā aciem,deserto ordine, prouecti,mox terga verterunt.Quos rex cùm continere non potuisset,lētissimo,quoad potuit,agmine,ne discessus fugæ similis videretur,Andelium se cōtulit.Inde receptis ex fuga suis nouisq; copiis coactis:iterū in Anglum mouet: atq; inter eundum arce Diuerii incensa:Vernolium progressus,cum omnia igni ferroq; perderet: Anglus tamen in aciem non prodiit.Non inuento hoste,Ludouicus in Carnotos(qui Theobaldi ditionis erant)impetum facit:animo ciuitatem desolādi. Sed occurrente illi,cum interiore diuæ Mariæ tunica,clero,religiosus rex iram deposuit.Eadē tempestate Gelasius II. pontifex Romanus,Henrici imperatoris furorem timens(qui Italiæ clades plurimas inferebat:Mauriciumq; Bracharensem pontificem esse contendebat)in Galliam ad Ludouicum adnauigat.Sed Magalonę cum appulisset:valitudinarius ex pleuresi factus:properante illi obuiam Ludouico, Cluniaci moritur.Cui suffectus Guido Viennensis antistes,ac Calixtus II.appell[illegible]us, ope & potentia Ludouici adiutus:Romam(excipientibus eum magna lętitia populis)se cōtulit.At Henricus imperator,ægro animo ferens,pōtificem à Francis in vrbem deductum esse:constituit infestis copiis Remos perdere(vbi concilio episcoporū habito,pontifex eum excommunicatione perstrinxerat.)Quod quidem facile factu arbitrabatur: quòd Henrici Angli filiam vxorem duxisset. Consilio imperatoris ad Ludouicum relato,maioribus,quàm solitus erat,copiis comparatis,grandē admodum exercitum conflat.Interim,dum delectus militū haberetur: diuum Dionysium petit,atq; precatur,vt sibi regnoq; aduersus hostem tutor assit. Sanctorum autem corpora,quæ munitissimo loco asseruari solent,educi è feretris iubet:visenda venerandaq; his,qui aderant,proceribus & populo. Moxq; sumta ex altari au-

Bellū ab Henrico Anglo.

Hēricus à suis destitutus.

Balduinus Flādrensis male curato vulnere interiit.

Nota via errorem.

Diuerium castellum Vernolium.

Henricus quartus imperator, in Remos copias parat.

Auriflamma.

riflamma (id enim peculiare signum regibus Francis est, dum difficile aliquid in potentem quempiam hostem suscipiunt) rex Remos petit: ibi acies instruuntur.

Ludouicus acies instruit.

In prima Remi atque Cathalauni, duce Theobaldo Campaniæ comite, sunt constituti: secundam tenuere Aureliani atque Stampenses, & ii, qui ad ditionem Dionysiani cœnobii pertinebant: tertiam sibi ducendam ex Parisiis & finitimis locis Ludouicus desumpsit. Paucis deinde interiectis diebus, aduenientes magnis copiis instructi Guillermus, Aquitaniæ dux: & Niuernensis comes, in prima acie collocantur. Radulpho autem Viromando, quem militum delectissima manus sequebatur, dextrum cornu, Pictauis sinistrum assignatur. Itaq; tam multus exercitus fuit, quantus à nullo superiore Francorum rege comparatus fuisse lectum sit. Sed Henrico imperatori animus elanguit: qui postquam Francorum ingentem in se belli apparatum accepit, relicto negocio timide abscessit. Huic Henrico vxor erat Machildis, Henrici Angliæ regis soror. Quo sine liberis defuncto: Machildis Normaniam reuertens, secūdò nupsit Gaufrido Martello, Andegauorum Turonorumq; & Cœnomannorū comiti. Huic prognati sunt Gaufridus Plātagenestus, & Guillermus Longaspata. Tertio filio Henricus nomē fuit, qui Angliæ præfectus rex, Andegauiam cum Cœnomānia & Turonia possedit. Interea dum hæc apud Remos geruntur, Anglus spe bene gerendæ rei, dum Ludouicus abest, adductus: Franciā vastare cōtendit.

Amorreus Monteforten-sis Henricum pellit.

Sed opera Amorrei Mōteforrensis, qui tuendę regionis causa relictus à rege erat: Anglus ingenti suo damno repellitur. Alemanno imperatore superato: Ludouicus exercitum dimisit, atq; ad Dionysianū cœnobium, voti compos, veniens: gratias deo & sanctis martyribus supplex persoluit. Quorum feretra suis humeris in testudinem, vbi diligenti custodia seruantur, deposuit: donis compluribus religiose exhibitis.

Aruerniæ comes malus.

Dedit post hæc alteram belli causam Aruernorum comes, qui furto Claromontem vrbem episcopo abstulerat. Quam iniuriam ab antistite ad se delatam molestissimè rex tulit: & promoto in comitem valido exercitu, ciuitatem recepit, rebus, inter episcopum & comitem, compositis. Sed diuturna non fuit pacis conditio, renouantibus Aruernis bellum. In quo mouens Ludouicus, quamquam iam ætate ingrauesceret, dehortantibus expeditionem amicis, valetudinem dissimulans, pergit. In ea expeditione vsus est maxime opera Caroli Flandrensis, & Foci Andegauorum ducis: præterea Britonici atque Amorrei, rei militaris apprime periti. Prima apud Monteferrandum duobus circiter passuum millibus, ad Claromontem distante, decertatio fuit. Oppido recepto, cum iam Aruernia omnis regis ditioni se dederet: affuit cum ingentibus copiis

Guillermus Aquitanus dux opem fert Aruernis.

Guillermus Aquitaniæ princeps, suppetias Aruernis laturus, propterea quòd hi ad ducatum eius pertinerent. Qui ex Vlcino monte castra Ludouici contemplatus, quæ in planicie locata erant, copias apparatumque admiratus, ad regem nuncios mittit, dicere, se quidem in eum nihil deliquisse, cuius optimo iure subditus esset, sed ratione moueri, vt comitis atque Aruernorum causam tueretur, qui in fide eius persisterent. Si quid ab illis peccatum esset, deducturum se comitem, à quo malefactorum rationem lege iudicioque exigat. Si regi ita placebit, daturos illi Aruernos non contemnendos obsides. Nunciis auditis, rex consilium ex suis capit. Igitur receptis obsidibus, paceque restituta, conuentus Aureliæ indicitur.

Mot⁹ in Flandria contra comitem.

Cum in Flandriam ex Aruernis Carolus comes reuertisset, coniuratione quorundam apud Brugas Flandriæ insigne oppidum, in ecclesia sancti Donati, à Bochardo præpositi ecclesiæ fratre, comes Carolus occiditur. Qui enim primam in ecclesia dignitatem gerit, præpositus appellatur. Quo execrabili facto ad iracundiam permotus Ludouicus, Brugas contendit, ecclesiamque vbi homicidæ, tanquam in arce, incolebant, circunuallat.

Bochardus & Bertopus comitis interfectores puniuntur.

Ex qua se furtim surripientes Bochardus & Bertopus: ille fugiens, depræhensus, oculis orbatus est, atque ad palum deligatus, sagittis in faciem eius actis, cum interiisset, in rotam altissimo tigno superfixam, tanquam ad spectaculum sublatus: mox in sordidissimam cloacam abiectus est. Bertopus autem à furca pependit: appenso cum eo viuo cane, qui stimulis à carnifice agitatus, in Bertopi faciem furens, pendentem laniabat: & interdum stercore perfundebat.

Reliquos

Vide originẽ Monasticam.

Reliquos, quos in turre comprehendit, è turris fastigio præcipites dedit: vnum vero (Isaac illi nomen erat) cùm spe vitandi periculi monachatum profiteri promisisset: captum laqueo strangulari iubet. Eius factionis auctor Guillermus nothus, qui Ipras se receperat, postquam Ludouicum ad se compræhendendum properare intellexit: eductis ex oppido trecentis delectis militibus, regi occurrit. At partita acie, milites Ludouici alii in hostem cõcurrunt: alii in arcem per posticum consentientibus castellanis, se conferunt. Atque ad hunc modum Guillermo spes Flandria potiendi ablata est: de satellitibus vero supplicium sumptum est. Affecit præterea ignominiosa morte Thomam de Marla, quem non longe à Conciaco regi insidias ponentem, interceptum Laudunum misit: ibique interimere hominem iubet. Venit non longe pòst ad Ludouicum Innocentius II. maximus pontifex, aduersante sibi Petro Leone, ab altera Cardinalium parte electo: cui obuiam progressus rex: cum vxore & liberis apud Iulianum Legerensem, põtificem debita veneratione excepit: opem fortunasque suas omnes pollicitus. Synodos enim duas, apud Claromontem vnam: apud Remos alteram Innocentius celebrauit. Non ignoro Blondum atque Platinam scripsisse, hunc Innocentium regnante Philippo in Franciam venisse, quibus Franci annales non assentiuntur. Inter hæc nunciatur Ludouico, filium eius Philippum, dum extra muros Parisii equo veheretur, interiisse. Nam inter crura lasciuientis equi, cùm domesticus suus incurrisset equus, ferociter cespitans, iuuenem humi deturbat: quo lapsu nocte, quæ insecuta est, decessit. Cuius mors, sicut mœrori Ludouico fuit: ita eum admonuit, rerum futurarum solicitum esse. Tum enim in mentem venit diui Bernardi Clareuallensis vaticinium. Nam cum Ludouicum cleri bona aliquando vsurpantem Bernardus argueret, nec propterea abstineret: Hæc, inquit, tua rex pertinatiã, filii interitu mulctabitur. Igitur, cum annorum plenus esset, plurimisque laboribus affectus, ex amicorum consilio Ludouicum alterum filium, qui Iunior appellatus est, in consortium administrandi regni assumpsit, Remisq; deductum, regia vnctione atq; corona eum insigniri iubet. Inde Parisium reuersus, postquã resciuit Theobaldum Campaniæ comitem in perfidia persistere, quamquam in femore grauiter vulneratus esset, ad castellum Boneuallis mouens, locum omnem præter cœnobium diruit. Pari item ruina contriuit castellum Reginaldi, quod Theobaldo parebat. Postrema vero Ludouici expeditio, in Brissonetum, quod Ligeri fluuio finitimum est, fuit, ob domini iniquitatẽ, quia vias publicas mercatoribus præcludebat. Desolata igitur arce, cum valetudine & quotidiana tussi laboraret, apud Montricardum decubuit: vbi compluribus episcopis accersitis, postquam confessionis sacramento conscientiam emundasset, conferri sibi sacrã euchatistiã postulauit. Interim dum ad id se parant sacerdotes, ipse vestibus indutus, & cubili exurgens, obuiam sacerdotibus pergit. Recepto cœlesti cibo, rex Ludouicum ad se vocans, regni se administratione abdicauit. Hęc pręlocutus, ego, inquit, Ludouice regnum, quod male ipse administraui, tibi cõmitto: tuere, quoad per te fieri poterit, dei ministros: inopes foue: viduis atque orphanis subsidium ferto. Hæc postquam dixisset, supellectilem regiam omnem per ecclesias distribuit, & egenis erogauit. Ludouici gloriæ atque optimæ fœlicitati dari plane potest: plerosque suo tempore ordines aut originem, aut magnum sanctitatis incremẽtum accepisse: inter quos sunt Cluniacensium, quibus locum dedit atque extruxit Guillermus Pius, Aquitaniæ dux in territorio Matisconensi, regnante Carolo Simplici, cum Adrianus II. apostolicæ sedi præsideret. Huius autẽ Ludouici tẽpore, ordo est longe dilatatus. Hospitalariorum, præterea, Præmonstratensiumq; atque Templariorum sanctissimæ institutiones, quæ non secus ac vitæ & morũ luminaria in orbem Christianũ effulserũt. Quibus splẽdorem addebat diuus ille Bernardus Clareuallis primus abbas, qui olerum loco fagi frondes desumebat, & pane ordeaceo admixto milio & vicia vtebatur. Talis diu fuit religiosis hominibus viuendi austeritas & parsimonia. Sed vbi possessionibus aucti, prouẽtibus ditati sunt, apud successores illorum virtus & dei pietas elanguit, ita vt in luxum parsimonia, in superfluas opes paupertas, in fastum humilitas, in lasciuiam cõtinentia, in confusionẽ omnis fere ordo nunc ver-

Thomas de Marla punitur.

Innocẽtius II.

Philippus Ludouici filius, equo deturbatus moritur.

Ludouicus Iunior viuo patre coronatur.

Bonauallis diruta.

Brissonetum castellum dirutum.

Mõtricardũ.

Religiosus rex.

Quorundam ordinum origines & incrementa.

sus parui habeatur. Cartusiensium quoque durissima austeritas & parsimonia, eodem fere tempore, dum annus salutis ageretur. M. CXXXII. suæ sanctitatis lumen exhibuit. Cum autem morbo paululum leuatus Ludouicus esset, ad sancti Dionysii cœnobium, orationis gratia venit. Inde abeunti nuncii ex Aquitania detulere, Guillermum eorum principem Compostellam proficiscentem, defunctum esse, atque ex testamento hæredem instituisse vnicam, quam filiam habebat. Ea re cognita rex testamentum laudat. Moxque filium Ludouicum cum DC. auratis equitibus, duce Theobaldo comite & Radulpho Viromandensi, cum Sigero sancti Dionysii abbate, in Aquitaniā mittit. Burdegalæ cōuentus procerum habitus est, atque ibi omnium consensu Ludouicus Alienoram Aquitaniæ hæredem, vxorem duxit, quam statim regia corona donatam se in Franciam comitari iubet. Dum hęc à filio geruntur, pater augescente morbo, peractis quæ ex ritu Christiano solent, mandat pauimētum tapete insterni, & super eum crucis ex cinere signum fieri, vbi & iaceret atque moreretur. Decumbēs igitur in tapete rex, defunctus est, regni sui anno XXX. ætatis autem lx. anno Christianæ salutis MCXXXVII. Elatusq; ad sanctum Dionysium, ibi sepelitur. De quo sequens epigramma scriptum inuenio.

Illustris genitor Ludouici rex Ludouicus:
Vir clemens, Christi seruorum semper amicus:
Institui fecit pastorem canonicorum.
In cella veteri trans flumen Parisiorum.
Hanc vir magnanimus, almi victoris amore,
Auro, relliquiis ornauit, rebus, honore.
Sancte Dionysi, qui seruas corpus humatum.
Martyr & antistes Ludouici solue reatum.

Huius Ludouici, cui Grosso, propter corporis molem, agnomen fuit, opus est, diui victoris cœnobium: quod in suburbano Parisiano ad orientem solem à fundamentis extruxit. Ab eo prætera Caroli locus Cisterciensis ordinis in agro Siluanectensi ædificatus est: & cœnobium Puteolanum in agro Vastiniensi. Reliquit ex Adelaide vxore, ducis Morianæ filia, liberos mares sex: Philippum, quem equo delapsum, interiisse diximus, Ludouicum, qui regnum adeptus est. Henricum Bellouacorum pontificem. Petrum qui Reginaldi de Couteriaco filiā vxorē accepit. Et Philippū Parisiēsis ecclesię Archidiaconū, quē immutara mors absumpsit. Fuit quoq; inter liberos quartus, cuius nomē autores prętereūt, pater Roberti, comitis Pertici & Drocarum, quos Druydes antiquitas appellauit. Eius regis ætate, apud Legiensem vicum, porcus editus est, facie humana: & gallinæ pullus quadrupes prodiit.

CAP. 3.

Ioannes de temporibus annos ter centum sexaginta vnum vixit.

ACCEPTA patris morte, Ludouicus, cum res Aquitaniæ ordinasset, in Franciā propere reuertitur, datque Alisiam, reginæ sororem Arnulpho Viromādensi vxorem. Per illud fere tempus Ioannes de temporibus morte absumtus est. Quem pertinaci consensu Frāci atque Germani scriptores, à Caroli magni imperio, ad hunc vsque Ludouicum vixisse tradunt. Quod si a fide non abhorret: CCCLXI. annos superstes in terris fuisse credendus est. Quo tempore in territorio Beluacensi Fromontis monasterium erigitur. Inter hæc Galletus, Monmorensis comes, cùm in vicinos agros grassaretur, ducto ad Monceium exercitu, arcem rex euertit. Ea tēpestate ab Hierosolymis venere ad Ludouicum nuncii, qui ingentem in Christianos cladem fecisse Turcos nunciarent, & vrbes aliquot occupasse. Quę res mœrori Ludouico fuit. Ea propter Vezelaii, quod Burgundiæ oppidum est, contracto concilio, recens Christianæ pietatis à Turcis acceptum incommodum, per Bernardum Clareuallensem abbatem, qui postea in numerum sanctorum relatus est, renunciari iubet. Quo sapienter atque venustissime elocuto, rex imprimis charitate accensus, suppetias rei Christianæ laturum (crucis insigni assumpto) promittit: quem secuta Alienora vxor, & multi ex Francorum nobilitate primores, eodem se voto astrinxerunt. Ad hanc longinquam expeditionem, cum necessaria parantur: imperator Conrardus non dissimili animo exercitum ex suis cogit. Sed quia difficillimum videbatur, tam potentes & numerosos exercitus ex diuersis populis

Expeditio in Hierusalem.

contractos

contractos concordibus animis cōtinere, eiſque vno tempore ſufficere commeatum, communicato conſilio inter principes, conuenit Alemannos prius, deinde Francos proficiſci. Igitur per Germaniam atque Pannoniā ducentes, cùm in Thraciam perueniſſent, in conſpectu Conſtantinopoleos ciuitatis ſtationem fecere, vbi ſe ex diuturno labore reficientes, Emanuelem, Conſtantinopolitanum imperatorem conuenerunt: cum quo de rebus ad expeditionem præſentem pertinentibus, colloquio habito, duces itineris ab Emanuele acceperunt. Quos incōſiderate ſecutus Conrardus, grauem ſuorū ſtragem ab Iconii Soldano accepit. Qui de Chriſtiano exercitu nuncio accepto, grandes ex oriente copias contraxerat, conſtitutis militum præfectis, qui Conrardo occurrerent. Græci enim viæ duces, quaſi paucorum dierum itinere Cappadocia tranſmiſſa, in terram vberem Conrardum perducerent, monent, duodecim tantum dierum commeatum ferat. Cum in Lichaoniam per viarum anguſtias exercitū Gręci loco ſterili ſtatuiſſent, inito cum Turcorum ſatrapis clandeſtino tractatu, in vaſta ſolitudine Conrardū relinquūt, atque ita è caſtris noctu aufugiunt. Ducibus & commeatu deſtitutus imperator, à præfectis militum conſilium capit. Stat omnium ſententia, retro quà venerant, cedendum. Inter conſulendum exploratores referunt, magnas Turcorum copias non procul abeſſe. Quo nuncio perterriti Germani, quos & labor fameſque extenuauerat, de rebus ſuis deſperant. Turci verò alacres Pharmone duce, nihil pigritantur Chriſtianos inuadere, donec victoria potiuntur. Traditum eſt Emanuelis dolo, gipſum farinæ admixtum fuiſſe, vnde panis, quo veſceretur Chriſtianus exercitus, confectus eſt. Itaque ex ſeptuaginta millibus, quos præter pedites Conrardus ſecum eduxerat, vix pars decima ſuperfuit. Imperator cum paucis ad Niceam vrbem ſe recepit: inde miſſo ad Ludouicum Federico Sueuorum duce, cladē nūciat. Re comperta, Ludouicus ad Cōrardum comitante Federico, conſolandi hominis gratia, venit. Fuit inter Conrardum Ludouicumq; longum & familiare colloquium, deinde admiſſis primoribus aulicis, cōuenit, negocium ſuſceptum, iunctis exercitibus peragere: atque poſtquam itineris non nihil ſimul profecti ſunt, imperator animo repetens ſuorum paucitatem, & quantum illi dignitatis atque auctoritatis fortuna detraxiſſet, parte reliquiarum ſui exercitus, itinere terreſtri ex Epheſo Conſtantinopolim præmiſſa, ipſe mari eodem ſe contulit. Ludouicus verò inde tranſiens, ad flumen Venandri caſtra ponit, cupidus manum cum Turcis conferre. Dum eo loci ſtationem haberet, miles Francus, ab altera fluminis ripa iaculis fundiſque hoſtis noſtros aquatione prohibebat. Sed reperto vado Franci flumen traiiciunt, atque in Turcos progrediuntur. Quibus partim fuſis, partim occiſis, aut captis caſtra eorum diripiunt, atque ingentes inde opes exportant. Poſtri die habitæ de Turcis victoriæ, vltra progredi acies rex imperat. Incedendi hic mos conſtitutus erat. Singulis aciebus ex primoribus ſatrapis vnus ſignifer præficiebatur. Eo autem die Gaufridus Remacinus Pictauus, gerendi vexilli curam ſuſceperat: cui mandatum erat, ad montem vſque progredi: qui in via, quà iturum eſſet agmen, editus videbatur: & iſthic caſtrametari. Signifer igitur in prima acie mouens, cùm ad conſtitutum ſibi locum ante ſolis occubitum veniſſet, ratus parum itineris illo die confeciſſe, & lucis ſatis ad tranſmittendum montem ſupereſſe, dicentibus vię exploratoribus, nō procul abeſſe planiciem, vbi ſtatiua haberet, vltrà pergit. At poſtrema acies lentius incedens, quòd locus caſtris deſignatus prope eſſet, Turcorum inſidiis graui eſt incommodo profligata. Nam hoſtes, poſtquam acies diſiunctas progredi, & primam longe abeſſe vident, iugum montis occupare feſtinant. Atque in noſtros, quibus erat per vias anguſtas in montem conſcendendum, adoriuntur. Atque adeo vſque occidunt: donec nox prælium diremit. Abeuntibus inde cum ingēti præda, & captiuorum numero Turcis, recipientes ſe noſtri, cum neque de prima acie quicquam compertum haberent, neque gnari viarum eſſent, quid per denſas tenebras agerent, conſultant. Cum placuiſſet forte fortuna iter pergere, deſpiciunt in planicie ignes, quo ſigno admoniti, caſtra ſuorum poſita illic eſſe, ad ſtationem ægre perueniunt. Tum periculi magnitudine cognita, vt quiſque vel patrem, vel filium, aut amicum deſiderabat: ita illachrymabatur,

Victoria de Turcis.

Error Signiferi.

Turci prælio superiores.

Vrbs Satilia. & fiebat totis castris mœror & luctus. Redintegrato exercitu, viribusque receptis, rex superatis montium iugis, ad vrbem, cui à Francis Satilia nomen inditum est, contendit. Est enim ad mare sita, potens, sed agri indigens, propter Turcorum potentiam, qui proximas arces occupant, nec sinunt incolas terram colere. Sunt tamen intra vrbē feraces horti, fructiferis arboribus cōsiti. Mercibus porro & commeatu, quæ mari importantur, affatim valet. In ea Ludouicus, cum se exercitumq; aliquot dies curasset, relicto pedite, qui eum terra sequeretur, cū reliquo exercitu *Portus sancti Simeonis.* ad sancti Simeonis portū mari delatus est: vbi mare influit Far fluuius, qui Antiochiam interluit. Cognito Ludouici aduentu, Raimundus, Anthiochenus princeps magno suorum numero comitatus, regi obuiam venit: quem in ciuitatem regio apparatu exceptum, honorabiliter habuit. Et eo curiosius id faciebat, quòd potentia regis fretus, vicinas quasdam Alapiā Cæsaream q; sibi inimicas ciuitates, in potestatē suā adigere speraret. Sed vota obstare Ludouicus dicebat, quòd Hierosolymā prius videre astringeretur, quàm aliquo se bello implicaret. Regis responso Raimōdus irritatus, ex eo tēpore malo in Frācos animo fuit, ita vt insidias regi tendere niteretur. Itaque Alienoram, suam ex patre neptem, Ludouici vxorem, illexit, dicere: illicitum esse Ludouicum comitari, quòd eam contra ecclesiasticas leges accepisset: mulierem scilicet quarto cognationis gradu ei proximam: proinde cupere se ab illo separari. Hanc vxoris contumaciam ægre ferens Ludouicus, quandoquidem eam arctissime amaret, diu contendit, eam secum educere. Sed illa pertinaci animo repugnans, apud Raimundum remansit. Quamobrem noctu egressus vrbe Ludouicus, Hierusalem se contulit. Quo etiam Conrardus imperator, hiber*Conrardus imperator.* nis apud Emanuelem Constantinopolitanum exactis, aduenerat. Visitatis deinde, summa religione, locis, quos sua præsentia & sanguine Christus sacrauerat, principes Aconem, maritimā vrbem, profecti sunt. Vbi conuentu habito, de re communi, & bello concordibus animis gerendo, cōsultant. Quatuor erant omnino in Syria & Palæstina principatus, qui à principibus Christianis per id tēpus administrabātur: Hierosolymitanus, cui præerat Balduinus rex, Tripolitanus, Antiochenus, Et Rochenus Euphratem versus. Qui omnes spem non paruam cœperant, magnorum principum ope atque auxiliis, ditionis suę terminos proferre: quamobrē donis ingētibus, quisque certabat, principum amicitiam demereri. Visum ante omnia est, ex vsu Christianorum esse, Damascum proficisci. Pręconis ergo voce edi*Cæsarea Philippi.* citur, omnes Cæsaream Philippi conueniant, quę Syriæ vrbs est, in planicie cōsti*Damascus.* tuta. Iunctis ibi exercitibus, per montem Libanum ordinato agmine, ad quartum à Damasco lapidem, castrametantur, ex quo loco (qui Daria appellatur) vrbs prospici potest. Damasco proximi sunt complures, per quinque fere passuum millia, horti, ex quibus multa ciues commoda ad vitę alimentum percipiunt. Eos occupare nostris in animo erat. Quibus captis, sicut detrimentum plurimum incolis accederet, ita adiumenti non parum nostris afferretur. Nam cum vasti sint, & aquarum fistulis ex proximo amne deriuatis irrigui, omnium præterea fructuum genere feraces, multa exercitibus atque iumentis pabula suppeditare poterant. Igitur, ex omni militum numero, tribus instructis aciebus, primam Balduinus Hierosolymitanus: alteram Francorum rex, Conrardus imperator tertiā duxit. Erat ex ciuitate vna, ad hortos, via, & quà vector equus tantum cum clitellis, aut corbibus duci posset: & singuli horti maceria terrea circumuallati, angusta inter vtrosque semita relicta, difficilem præbebant accessum. Et post quidem macerias, latebāt Sarraceni, qui, per macerias hortorum ex industria perforatas, in adeuntes, poterāt sagittas iaculari, neque à nostris poterant facile cohiberi. Ad hoc, quisque horti dominus, turriculam in suo fundo extruxerat, quas eo tempore Sarraceni & præsidiis & cōmeatu muniuerant. Et ad hunc quidem modum, horti arcis loco ab hoste tenebātur. Procedens autem Balduinus, cum illò primus peruenisset, frequentibus Sarracenorum sagittis tardatus, publico itinere relicto, ad deiiciendas terreas munitiones alia via se conuertit. Multis locis effractis maceriis Sarraceni deprehēduntur, compluribus eorum interemptis captisq;. Reliqui, qui per hortos excubabant, cognita Balduini irruptione, se fugæ cōmittunt. Occupatis hortis, Sarraceni id, quod futurum

futurū erat,cōiectātes,fluuiū,qui pene muros Damasci fluit,ne in vsu nostris esset, densis sagittariis ad oppositā ripā cōplent. Quo facto,nostros à flumine prohibebāt. Sed postquā totis copiis digladiari nostri cœperūt,hostē repetere Damascū cōpellunt. Cōmissum ibi ab imperatore egregiū facinus,memoriæ proditū est. Cum imperator pedes prælio interesset,exertoq; gladio pugnaret,Sarracenus quipiā, ignarus quisnā Conrardus esset,eum arctissime à collo præhendit. At Conrardus tā valido ictu Sarracenū inter collū armūq; sinistrū percussit, vt ab ea parte ad dexterā vsq; adacto gladio hominē secuerit. Quo admirabili cūctis facto, reliqui exterriti, prælium Sarraceni deseruerunt. Re ad ciues relata,cœperunt de salute desperare, iamque plærique sarcinis,quas exportarent,congestis,fugæ se parabant: at si forte subita oppugnatione premerentur,murosque hostis superaret, per muri ambitum,quà obsidio erat,tigna bonę crassitudinis intra vrbem constituunt,vt hoc repagulo impeditus miles, dum obstantia dimoueret, ipsi spacium haberent demigrandi. Sed non placitum est deo, Christianos tam insignem victoriam obtinere. Erant Syrii quidam proceres, quibus Balduinus, Hierosolymitarum rex, fidem habebat. Hos Damasceni conuenientes,magnis ornant donis,pollicenturq; longe maiora,si ab hortis,quos tenebant Christiani, in oppositam fluminis ripam exercitū traducere possint. Negocio ab Syris recepto,ad principes veniūt. Ostendunt longe faciliorem obsidionem fore,si ad alteram vrbis regionem milites locarentur,præsertim, quòd eo loci debilior ciuitas esset:& humilibus muris communita:non virgulta neque arbores illic esse, quibus à flumine prohiberētur,flumen præterea lentius illic fluere. Quibus commoditatibus accidere posse, vt, ad primā oppugnationem,vrbe potirentur. Syrorum verbis creduli principes,in eam partem,qua Syri eos ducūt, copias omnes migrare iubent. Castris positis munitiones contemplati, malis se consultoribus vsos esse intelligunt, quòd à flumine procul essent,& hortorum beneficiis destituti. Itaque commeatu egentes,quo nec à Syris iuuari poterant,neq; vrbem oppugnare munitissimam,neq; ad hortos, vnde venerant,regredi tentauerunt. Nā relictis à nostris hortis, Sarraceni multis sepibus atque tignis vias pręcluserāt,maceriasq; resarciuerant,in eis tanquā in arce firmissima se tutātes. Tot difficultatibus impliciti principes,&,quòd maximè à Syris proderentur,obsidionē soluerunt. Conrardus vero non multo post in Germaniam reuertitur. Ludouicus insequenti vere Franciam petit. Ad hunc modum duo dilectissimi exercitus,nulla re gloriose gesta,hostili ludibrio fuere. Hac ætate claruit illustris Doctor Hugo,de sancto Victore. Dissoluto Christianorū conuentu,Noradinus ex infideliū turba, potens princeps, nihil cunctatus, copiis coactis Antiochiā petit: In quē egressus Raimondus,cū inconsiderate pugnat,occiditur,anno salutis M.CXLVIII. Comes vero Edessanus,dum se domum recipere contendit, interceptus,in vinculis situ & squalore loci extinctus est. Tripolitanus quoq; comes à sicariis quibusdā confoditur. Ad hunc modū,bona Palestinæ pars, Christianis erepta est. Ludouico ex Palestina reuertenti,Græci occurrunt: captūq;, dum præda exultantes nauigant,Georgius Siciliensis nauigii rector, Ludouicū ex hoste recuperat atq; in Siciliā ducit. Inde Romam profectus rex Galliam repetiuit. Regresso in Galliā Ludouico,Gaufredus Andegauus comes,& eius filius Henricus,qui regnū Angliæ postea adeptus est regē,orant,suppetias illis ferat aduersus Stephanum Anglū qui Normanniam iniuste occupabat. Cōparato igitur exercitu, rex in Stephanū copias ducens, non difficili negocio Normanniam recuperat, qua Henrico restituta, Henricus Vexiuium, quod Normannum appellatur, regi dat. Non mansit in fide Henricus,qui Lndouici contemptor,mandatis parere negat. Mox tamen, cum Vernonem, & Nouummercatum rex illi abstulisset, simulata obedientia, eas à Ludouico recepit. Eadem fere tempestate Alienoram Guilliermi Pictauiensis filiam,petulantem quidem fœminam,rex dimisit,plerisque asseuerantibus,cognationis gradu Ludouico attinere, duas licet ex ea filias suscepisset. Consultore (vt plerique asserunt) Bernardo Clareuallensi in ea re fretus. Quam à Ludouico dimissam, Henricus vxorem desponsat. Quæ res initium fecit, multis postea bellis. Nam, ob eas nuptias, Aquitania, Andegauia, Cœnomannia,

Egregium imperatoris Conrardi factum.

Francos Syri decipiunt.

Hugo de Sancto Victore.

Raimundus occiditur.

Gaufredus Andegauus comes.

& Turonensis comitatus, Henrico aduenere. Quos principatus, defuncto eius patre, Henrico, vnà cum Anglię regno suscepit, potens aduersus Francos effectus. Genuit enim ex Alienora Richardum, Henricum, & Iohannem: quos successores habuit, & Gaufridum comitem. Filiam primogenitã Castellæ regi dedit, vnde prodiit Blancha diui Ludouici mater. Alteram duxit Bisuntinus imperator. Tertiam Saxonum dux accepit: Othonis, qui imperio Alemannorũ præfuit, matrem. Quartam sibi cõpulauit Tholosatium comes. Cæterum rex, ne sine liberis masculis vita defungeretur, Constantiam Alphonsi Castellę regis filiam ducit. Quæ, dum secundo partu filiam alteram edit, moritur. Huic superinduxit Alizam, Theobaldi Blesensis filiam, forma pudicitiaq; laudatissimã. Accessit iterum Ludouico causa belli in Aruernos gerendi: propterea, quòd Guillermus Podiensis comes: & Claromontensis princeps, præterea Polliniaci Vicecomes: ecclesias peregrinosque popularentur. Quos prælio victos, in vinculis habuit. Mouit quoque in Cabilonensem comitem, qui cum Cluniacum spoliandi loci causa satellitibus stipatus proficisceretur: cœnobitas, sacratis deo vestibus ornatos, cum multa plebe illi obuiam reuerenter occurrentes spoliauit, quingentis ex populo interfectis. Quod flagitiũ vlturus rex, Cabilone & monte sancti Vincentii, qui comitis erant, receptis: bipertitoque principatu: Burgundorum duci partem: alteram Niuernorum comiti dedit. Hic tamen, quem postremo nominaui, seditiosos Veselai ciues in abbatem Pinconem, qui eorum dominus erat, concitauit: ita vt monasterium diuturna obsidione vexatum, cœnobitæ ægre tuerentur: nisi, regis auctoritate adnixi, opem accepissent. Mulctati sunt ciues septuaginta millibus solidorum, quos, compensandi damni causa, monasterio penderent. Niuernensis vero iureiurando adactus est, suo contentus esse, & non deinceps persequi seruos dei. Sub hoc Ludouico, Valdo, Lugdunensis ciuis, admodum diues atque opulentus, erogatis in pauperes diuitiis, Christi paupertatem omnino imitari constituit. Hic, cùm literarum ignarus esset, obtinuit ab eruditis libellos aliquot gallicos sibi conscribi: vbi nonnullæ Doctorum sententię insertæ essent. Quos postquam adeptus est, eosq; suo sensu, homo idiota, interpretatur, docendi officium apud sui similes vsurpans: multis, seatque discipulos, erroribus implicauit. Fuit enim in prælatos ecclesiæ præcipuo odio infestus. Admonitus ab errore resilire: oportet, inquit, deo magis, quàm hominibus, obedire. Quare pertinax & delirus hæreticus, anathema factus, patria extruditur. A quo Valdenses ad hunc vsque diem nominati: sui præceptoris multis per orbem locis tuentur errorem.

Bellum in Aruernia.

Valdo.

CAP. 4. TAM egregiis gestis, deo hominibusque commendatissimus cum esset Ludouicus, liberis tamen infœcundus, præcipua illi cura erat, suscipiendæ prolis. Eam ob rem hanc vnam sollicitudinem tantum deo committebat. Ergo exauditus: Philippum ex Aliza suscepit, qui, propterea, quòd dei munere datus esse crederetur, à deo datus, cognominatus est. Verum priusquam nasceretur: quiescenti patri hoc insomnium apparuit. Videre visus est filium calicem manu tenere, humani cruoris plenum, eumque suis proceribus propinare: ex quo ipsi biberent imperterriti. Quod visum pater vni tantum Henrico Albano, qui legationem apostolicam apud Francos per id tempus gerebat, retexit. Sed defuncto Ludouico, legatus rem propalat. Anno superiore, quàm Ludouicus mortem obiret, curat Philippum regni consortem assumere. Quare Remis, perductum magna pompa, adolescentẽ sacrare iubet: annum vix quartum decimum agentem. Cui, dum coronatur, Guillermus nouelli regis auunculus, Remorum primas, & sanctæ Sabinæ Cardinalis, Romanus legatus affuit. Henricus item Angliæ rex, ob eas, quas à rege in Francia terras possidebat, obsequens, pro debito subiectionis Philippo astitit. Sacro coronamenti absoluto, memor rex adolescens, quàm impie plerique per Franciã deiegrarent: & execrabili deum blasphemia prouocarent, legem tulit: si quis eius impietatis reus compertus esset, in fluuium aut paludem citra necem demitteretur. In Iudæos quoque, quorum erat per omnem Frãciam ingens multitudo, seueritatem exercuit. Itaque huic perfidæ genti impia consuetudo erat, surreptum quotannis aliquem infantem Christianum, in locum, apud se subterraneum, ducere: atque illum

Visum de Philippo Augusto nasciture.

tum diu pœnis affectum, tandem die veneris sanctæ cruci affigere, contemnentes hoc suo immani facinore dei Christi mortem, & Christianorum religionem ludibrio habentes. Quam rem postquam rex certò cognouit, iubet ad IIII. Calendas Martias omnes Iudæos compræhendi. Compræhensos auro argentoq; atque vestibus spoliat. Erat inter Bituriges Ebes Charetonius, potens & insignis prædo: quem in dei seruos grassantem Philippus, ducto in eum exercitu, edomuit. Compescuit præterea Imbertum de Belloioco: & Cabilonensium comitem, qui prædas ex sacris locis agentes, viros religiosos magnis incommodis vexabant. Proceres quoque aliquot ad arma & seditiones pronos, apud Baruillam sibi audientes fecit: cùm annos tantum XV. natus esset. Quo tempore Ludouicus, eius pater, quorundam aulicorum suasu adductus, Philippum in Dionysiano templo coronari iterum imperauit. Vbi Isabellam, Balduini Hannoniæ comitis filiam, neptem quoque Philippi Flandriæ comitis, de Caroli magni progenie exortam, Philippus rex vxorem accepit. Cui perpetuam dotem Philippus Flandriæ comes, cui Arthesiū attinebat, quia liberos non haberet, Arthesium vsque ad Lisam amnem, qui a Flandrensibus Arthesios distermināt, attribuit. Paucis pòst diebus, Ludouicus paralisis morbo interiit: dum annus agitur salutis MCLXXX. elatusque est in monasterium de Barbello, quod viuens extruxerat. Cuius sepulchrum Aliza regina auro argentoque superadditis gemmis, ornauit. Quo regnante Tornacum, quæ sub Nouiomensi ecclesia DC. fere annis extiterat, episcopalis sedes facta est, Eugenio III. Romanum pontificatum gerente. Curato patris funere, Philippus in Iudæos iterum se conuertit. Qui ingenti fænore ciues ita obæratos sibi habebant, vt eorum prædiis ditati, dimidiam fere ciuitatem vendicarent: alios in custodia penes se seruarent: plerosque fortunis omnibus, dissoluendi debiti causa, spoliatos, mendicis non dissimiles efficerent. Domi præterea ex Christianis familiam continebant, quorum quotidianis seruitiis rem suam augebant. Et cum pignoris loco vestes, & sacrosancta ecclesiæ vasa à creditoribus suscepissent, ea in sordidos vsus admouebant. His Iudæorum iniquitatibus cognitis, Bernardum Anachoritam, qui in saltu Vicennarum incolebat: hominem sanctitatis opinione clarum, rex adiit. Rogat quæ de Iudæis eius sententia esset. Bernardus optimum factu esse respondet, si debita omnia, quibus Christiani erga Iudæos astricti tenebantur, rex remitteret, quinta omnium debitorum, ad fiscum (si volet) attributa. Anachoritæ sententia rex confirmatus, prædiis possessionibusque Iudæos mulctat, edicto ad diui Ioannis Baptistæ termino, quo Iudæi omnes regno Francorum abscederent. Neque dimoueri rex potuit: quamquam multi ex primoribus hanc seueritatem moderari tentassent, Iudæorum muneribus illecti. Itaque cum precibus locus non pateret, diesque ad discessum dictus aduentaret, Iudæi distractis suis rebus, omnes abierunt, præter paucos, qui religionem Christi profiteri voluerunt. Quibus lauacri sacramento ablutis, Philippus fortunas & libertatem restituit, anno Christianæ redeptionis MCLXXXII. Exactis è Francia iudæis: synagogas eorum ad Christianismi ritum conuerti atque dicari iubet. Est in via militari, quà à Parisio ad sanctum Dionysium itur, sacellum, lepra infectis attributum: quibus proxime adiacebat mercatus rerum venalium. Huius fori ius à leprosis cōparatum, Philippus intra Luteciam statuit, in eo loco qui Campelli dicebatur. Vbi amplissimis ædibus extructis, merces extrudi à mercatoribus sine imbrium molestia possent. Hunc mercatum Franci vulgo hallas appellant. Ambiuit quoque Philippus perpetuo muro saltum Vicennarum, cum antea peruius esset. Occupabat eadem tempestate Viromandiam Philippus Flandriæ comes, quam ad se pertinere rex optimo iure dicebat. Hinc bello exorto, contracto tandem ab alterutro principe exercitu: Comes sponte sua nullo commisso prælio occupata restituit, præter Peronam & sanctum Quintinum: quæ valida oppida comes quoad viueret, sibi conseruauit. Eius concordiæ authores fuerunt Theobaldus, Blesensis Seneschallus, & Guillermus Remorum præsul. Nec miraculo caret, quòd cùm ad Calendas Iulias in agro Viromandensi frumentationibus pabulationibusque segetes latè miles detriuisset: ita, vt messis faciendæ

Isabella comitis Hannoniæ filia, Philippi vxor, in dotem habuit Arthesii comitatum.

Iudæorum scelera.

Iudæi regno expelluntur.

Mercatus seu halle Parisienses.

Saltus Vicennarum.

Viromādia restituitur Philippo.

nulla

nulla agricolis spes superesset: tanta tamen frumenti & omnis generis commeatus copia fuit, vt duplicatas fruges messores receperint. Cæterũ vbi Flandrorum exercitus constiterat, omnia aruerunt. Inter has regis occupationes venere ab Hierosolymis ad Philippum Eraclius Patriarcha Hierosolymitanus, & domus hospitalis prior: nuncii calamitatis, quam Salhadinus Ægyptius Christianis, per Palestinam, intulisset: locis aliquot nõ sine nostrorum cæde occupatis. Cui incommodo nisi catholici principes succurrant, res Hierosolymitanas in hostium potestatem breui relapsuras. His querelis, rex motus, Parisium regni pontifices aduocat. Quibus conuenientibus, edocet, quæ sit in Syria Christianismi status. Oportere quemque eorum per sua territoria populum admonere: vt miseræ Christianorum conditioni suppetias ferant: se quidem paratissimum esse, qui in primis auxilietur: si præsentium rerum conditio admittat: sed nihilo segnius missurum se, ad id negocium, viros strenuos, cum valida militum manu. Oratione regis à præsentibus laudata: paruo pòst tempore rex ex suis destinat, qui afflictis rebus opitulentur. Ipse interea in Hugonem Burgundum, qui arcem Vergii circunsederat, in eoq; Guidonem loci dominum obsederat, copias ducit. Iam enim Hugo turres quatuor, nõ procul ab arce, erexerat, quibus ab eruptione obsessos prohibebat, atque pertinacissime constituerat: nunquam inde abiturum, priusquam arcem recepisset. Sed obstinatis secus (ac cupiũt sæpenumero) accidit. Rex enim celerius Hugonis opinione adueniens: spem obsidẽtis intercipit: dirutisque propugnaculis, intra arcem à Guidone recipitur. Sed nec tanto incommodo accepto, Hugo populari ecclesias & monasteria destitit: quamuis à Philippo, ne id committeret, crebro admonitus extitisset. Eam ob rem, rex ad Castilionem promoto exercitu, arcem vi expugnat. Vnde sibi timẽs Hugo, regis gratiam propere impetrare elaborat. Qua impetrata: duobus castellis potestati regis permissis, donec triginta millia librarum ecclesiis persoluisset, Philippus Parisium regreditur. Vbi dum aliquot dies incolit, ambulanti per palatium fœtor quidam ex viis publicis infertur: quo supra modum offensus, cognito quod ex cœno lutoq; viarum procederet: vias lapidibus pauire cõstituit: opus profectò, propter vrbis magnitudinem, grande atque arduum. Propterea accitis ciuibus, & mercatorum prępositó: negocium dat, vias sternendi. Eodem studio adductus, Campelli partem, quæ & importandis venalibus rebus: & sepeliendis humanis corporibus proxime sacellum sancti Innocentis erat: sepire quadratis lapidibus facit: eamque ad sepulturam tantum humanam deputauit. Per hos dies Richardus Henrici Angli filius, cum Pictauiam teneret: nec inde debitam Philippo fidem præstaret, sed dolosis dilationibus in verba regis iurare cunctaretur, Philippus, hominis ad rebellionem inclinantis, astutiam non vltra tolerare constituit. Quare Bituriges magnis copiis petens, Aquitaniam ad castrum vsque Radulphi vastat. Ea re cognita, Henricus vnà cum filio Richardo, educto in Philippum exercitu: eum ab obsidione arcis vi atque armis dimouere contendunt. Quibus in conspectũ Francorum venientibus: in Anglos se Philippus conuertit: facta pugnã di potestate. Qua audacia territi hostes: mox ad regem legatos de pace mittunt, duos Cardinales: qui per id tempus, ad reconciliandos reges, in Franciam Roma aduenerant. Promittunt Anglorum nomine fidem regi præstituros: &, quæ ad ius fidelitatis spectant, ex procerum arbitrio facturos. Hac igitur conditione accepta, atque induciis hinc inde firmatis: ab armis discessum est. Interim, dum de pace agitur: quidam introducti à Richardo satellites (quos illa ætas coterellos appellauit) dum alea ludunt, quidam perditis nummis blasphemus in deum, dum simulachrũ virginis filium dextra gestantis in templi vestibulo aspicit, iacto in imaginem lapide, brachii partem à filio abrupit, ex quo profluens cruor multis ægrotantibus salus fuit. Satelles autem, virginis contemptor, dæmonio mox abreptus, eodem die spiritum miserabiliter efflauit. Nemo igitur venerabiles imagines sanctorum, despuat, quæ tametsi nihil in se diuinitatis obtinent, sunt tamen ad monumentũ virtutis populo exhibitæ, admonentque humanam mentem, imitari eorum spectatissimam vitam, quorum imagines in honore haberi vident. Quietis per Frãciam rebus, nuncii iterum ex Asia adueniunt, qui omnia apud Christianos, qui in Syria erant,

Oratores Hierosolymitani.

Philippus in concilio Parisiensi.

Bellum in Hugonem Burgundum.

Lutetia Parisiorum lapidibus sternitur.

Cemiteriũ sancti Innocentis.

Bellum in Richardum Aquitaniæ ducem.

rant,

rant, à Salhadino profligata esse: atque ipsam sanctam ciuitatem, vnà cum rege, & Christi crucem asportatam, tresque tantum vrbes superesse, Tyrum, Tripolin, atque Antiochiam, & castella pauca, in fide stare. Qua per Franciã calamitate vulgata, mœrore omnes affecti sunt. Atque ipse in primis Philippus, tot malis condolens, per nuncios Henricum Anglum in colloquium vocat. Conuenientibus regibus in planicie, quæ à Gisortio nõ procul abest. Tanta fuit Tyri prçsulis, suasu principum, charitas, vt nemo illos vllo tempore à perpetua pace discessuros formidaret. Itaq; cruce in hostes fidei desumpta, quamplurimos pontifices & proceres, populorum quoque numerosam multitudinẽ, vt idem faceret, prouocauerunt. At tantam expeditionem, cùm pecunia deesset, conuocatis Parisii pontificibus & nobilitate, rex petit, sibi annuam decimam ecclesiasticorum prouentuum concedi: quæ postea, Salhadini decima, appellata est. Militi autem, qui ære alieno tenebatur, permissum est, cõtracti, ad illum diem, fœnoris libertatem habere: debita vero, tribus terminis, creditoribus persoluere. His ita in concione definitis, tertio pòst mense, Richardus Anglus, induciarũ & iurisiurandi præuaricator, occasione sumpta, in Raimundum Tholosatem bellum mouet. Quod postquam per Raimũdi nuncios Philippus cognouit, promoto exercitu, castrum Radulphi: Busentalum insuper & Argentonium expugnat. Leurontem vero secus paludem situm, cùm circumsedisset, tanta siccitate terra inaruit, vt palus ipsa aresceret. Aquarum igitur, cùm iumenta atque exercitus indigeret, nec vllus de cœlo imber speraretur, mox eruptione aquæ pluribus locis facta, palus exundauit. Expugnatum Leurontem, rex Ludouico Theobaldi Blesensis filio consobrino suo donauit. A Leuronte ad Montricardum exercitum progredi iubet. Quam arcem cùm aliquot dies circumsedisset, tandem expugnat, incensis suburbiis, & turre grandi & munitissima solo æquata. Inde progressus, per Aruerniam, Philippus, omnia, quæ Angli regis in ea regione erant, occupat. Tam multis incommodis acceptis, rex Anglus, reducto exercitu per Normanniam cum Richardo filio abiens, non pauca loca, donec Gisortiũ venisset, perdit & diripit. Non multo pòst interiecto tempore, Richardus Pictauensis, cum negatam sibi ab Henrico patre Margaretam Philippi sororem, quæ apud Henricum ad coniugii spem asseruabatur, non impetraret vxorem, à patre desciscens, ad Philippum se contulit, præstita de terris, quas in Francia possidebat, fide. Insequenti vere Philippus cepti in Henricum belli diligens executor: copias educens, dum iter in Cœnomãniam facit, firmitatem Bernardi cum aliis quattuor munitissimis castellis capit, mox Cœnomanniam progressus, vrbem circumuallat: ex qua se Henricus proripiens, Chinonem petit. Cœnomannia recepta, Philippus Turones adoritur, vbi flumine Ligeri impeditus, ipse lanceam manu appræhendens, vadum præ exercitu scrutans, viam, qua sui tutò pergerent, monstrauit. Flumine traiecto, Turonum vi expugnat. Nihil tamen seuitiæ ciuibus inferri rex permisit. Duodecimo, post receptam vrbem, die, præsidio in ea relicto, Philippus exercitum reduxit. Interim circiter xv. Calendas Iulias, Henricus Anglus, apud Chinonem defunctus est: quo persecutore diuus Thomas Cantuariensis dum vesperorum officio interesset, quattuor satellitũ ministerio, quinque vulneribus est trucidatus, quem beatorum Martyrum collegio relatum ecclesia veneratur. Huius Henrici sepulchrum apud Frontemuallem visitur. Patri Richardus successit, *cor leoninum* appellatus. Atque paulo pòst pace cum Philippo facta, rex, quæcunq; Henrico abstulisset, Richardo, sponte sua, restituit. Receptis à Richardo tribus castellis, ipse quoque liberalitate in Philippum vsus, Cresacũ, Essaudunum & Dolonam donat, quæ Philippo perpetua essent. Ordinatis ad hunc modũ rebus, reges de expeditione Hierosolymitana cõueniunt, vt iũctis classibus in Syriã nauigarẽt. Anno igitur salutis CLXXXIX. suprà M. circiter festũ diui Ioannis Baptistæ, postquã apud diui Dionysii sepulchrum preces habuisset Philippus, Veselaũ, Richardo comite, profectus est. Ibi filio in tutela matris atq; auuculi, Remẽsis legati apostolici, relicto, Ianuã se cõtulit. Richardus vero Marsiliã profectus est. Cõparatis Ianuæ, quæ ad expeditionẽ cõuenirent, cum mari se reges cõmisissent, orta tẽpestate, pars Messanã: pars ad alios portus delati sunt. Cũ reges Messanę agerẽt, Ioachinꝰ abbas

Cruce signati in Turcum.

Salhadini decima.

Richardus turbator expeditionis.

Richardus à patre deficit.

Philippi egregium factum.

Henricus Anglus moritur.

Expeditio in Syriam.

rei

rei futuræ præsagus, ad eos venit, vaticinatusque est, nondum tempus aduenisse recuperandæ Hierusalem. Nihilominus tamen, hybernis exactis, Philippus proximo vere, cum Richardus in mensem Augustum nauigationem differre statuisset,

Acon ciuitas Palæstinæ.

educta classe, Aconem appulit. Quam miles Christianus, iam secundo anno obsessam, expugnare non potuerat. Castris igitur Acone positis, Philippus vrbis muros, licet propè machinis diruisset, expugnare tamen locum supersedit, Richardũ

Richardus perfidus.

expectans. Hic cum aduenisset, rogatus à Philippo vnà oppugnationẽ facere, pernegauit. Neque arbitris, qui vtriusque principis assensu, rei militari pręfecti erant, obtemperauit. Tanto liuore atque odio Anglorum gens Francos omnes habet, vt lupum oui facilius, quàm Francis Anglum cõcilies. Itaque (sicut ego accepi, cum apud Henricum Angliæ regem, huius nominis VII. Caroli, VIII. regis Francorũ, tunc regnantis, legationis munere fungerer) liberos suos, dum per ætatẽ licet plerique in Anglia parentes arcu sagittas mittere instituunt, propositaque illis Franci hominis effigie: Age, inquiunt, fili, disce ferire & mactare Francum. Recusante auxilium Richardo: cum obsessi Philippum oppugnationem parare vident, vrbẽ se dedituros dicunt, si cum suis fortunis salui abire permittantur. Admissa conditione, Philippus adiecit, liberãdos insuper esse captiuos omnes, qui per Ægyptum

Discedit Philippus ab Acone.

& Syriam à Salhadino tenebantur. Atque ipsam Christi crucem in primis restituendam, non abituros hinc nisi hęc omnia impleta perfecissent. Recepta vrbe, distributisque inter principes, captiuis: Philippus, cum Richardum suspectum haberet, quòd cum Salhadino per nuncios concionẽ haberet, à quo etiam donis honoraretur, quòdq; ipse grauiter ægrotaret, vocatis, sui exercitus, primoribus, in Franciam se reuerti velle dixit. Atque ita Odone, Burgundorum duce, exercitui præfecto, tribus tantum triremibus à Ruffino Iannuensi præparatis, in Apuliam nauigauit. Vbi post aliquot dies morbo leuatus, Romam religionis & voti gratia profectus est, Cœlestino III. Romanam sedẽ ministrante. Post Philippi discessum, Richardus captiuos: quos ex obsessis habebat, ad se duci iubet, cum ab eis Christicolas & domini crucem, sicuti conuenerat, repetit, nec promisso se absoluere Sal-

Iudæorum execrabile factũ.

hadinus curat: millia sex ex vrbe eductos, capite damnauit. Cum in Franciam Philippus venisset, essetque apud sanctum Germanum de Laio: execrabile Iudęorum facinus ad eum delatum est. Apud Braium castrum Iudæi Christianum quendam (quem furti atque homicidii insimulabant) captum serto spineo coronauerãt, deductumque per oppidum, & multis verberibus affectum, tãdem cruci affigentes, interemerant, permittente loci domina, quam ipsi muneribus euicissent. Cognita iniuria, rex nulla mora interposita, nescientibus aulicis, quid animo agitaret, ad Braium perpropere se contulit: moxque portas, & viarum exitus, à suis diligenter obseruari pręcipiens, supra octoginta Iudæos compræhensos cremare iubet. Supplicio de Iudæis expleto, agente apud Põtisaram Philippo, litteræ ex Syria ad eum perferuntur: quibus admonebatur, Bartasim quendam ex Arabia in Franciam Richardi consilio, eius necandi gratia missum esse. Qua re intellecta, de se sollicitus rex, diligẽtiore custodia vsus est. Sed missis in Syriam ad amicos legatis, quia id ab inimicis fictum cognouit, omni se suspitione absoluit. Atque iniuriarum, quas à Richardo accepisset, recordatus, hominis perfidiam vlcisci festinat. Gisortio igitur atque Velexino, quod Normannũ dicunt, occupato, tota deinde Normannia potitus est. Defuncta quoque Isabella, optima regina, in partu geminos enixa, Philippus Stephano Nouiomensi antistite, ad Cainum, Dalmatarum regem, misso,

Ingeberga, Dalmatæ regis filia, Philippi vxor.

Ingebergam sororem regis vxorem duxit. Quam Parisii receptam, paucis interactis diebus dimisit: occasione sumpta, quòd eius consobrina esset. De qua re, procurante Caino, tametsi legati apostolici Midas & Cecinus Cardinales quærere, mandata recepissent: segniter tamen agẽtes, vel largitione regia corrupti, vel metu offendendi regis perterriti, negocium non absoluerunt. Ingeberga autem, licet

Richardus Syriam relinquit, & diui Martini Canonicos expellit.

diuortium iniquo animo ferret, celebs tamen apud Francos viuere, quàm alteri viro nubere, maluit. At Richardus Anglus, relicta Syria, cum in Frãciam reuertisset, in clerum Turonensem sæuire cœpit, exactis è templo diui Martini sacerdotibus, quos fortunis omnibus spoliauerat: ad quam calamitatem Philippus alteram addit.

addit. Nam omnium ecclesiarum, quæ in principatu Richardi erant, bona diripuit. Expulsisq; è sacris locis, Dei seruitoribus, prædas sibi ex eorum prouentibus fecit. Nec ab his quæ suæ ditionis erant, continuit manus. Sed vectigalibus & crebris tributis oppressit, dictitans, opus sibi esse grandi pecunia, quam suis militibus impartiret, ob terræ sanctæ liberationem. *Est enim omni peccanti præsens semper aliqua ratio quam suo prætendat errori.*

Philippi in sacerdotes sæuitia.

Cum hæc in ecclesia Dei ageret Philippus, Richardi frater Iohannes, qui sine terra nomen habebat, adiunctis sibi comite Dalphino & Darondello comite, & Rothomagorum parte ad castrũ vallis Ruelli mouens, arcem obsidet. Vbi postquam vix dies octo hæsitasset, superueniens Philippus, tam insperato in hostem irrupit, vt capessentibus fugam Normannis, castra deseruerint: quæ fuerunt in prędam Francis. Paruo post tempore, contemptis induciis, cum Richardus Archas circumsedisset, Philippus educto præsidio, quod in valle Ruelli habebat, locum diruit: aduersusq; Richardum inde profectus, hostem Anglum cum Normannis ad Dieppam vsq; fugauit, nauibus, quæ in statione erant, incensis.

Vallis Ruelli castellũ à Normannis obsessum, & à Philippo dirutũ.

Richardus inducias violat.

His hostiliter aduersus Anglum gestis, cum per inducias ab armis paulo cessatum est, Richardus nullius promissi tenax, violatis induciis bellum instaurat. Positis non procul ab Essouduno castris, cum acies congrediendi signũ expectarent, ecce Richardus paucis comitantibus, ad Philippum sponte sua inermis accessit: fidemq; præstitit, se regis mandatis pariturum. Deinde inter reges conuenit, conuentionem apud vallem Ruelli, & castrũ Gallardi, ad nonas Ianuarias habere. Vbi & perpetua, vt sperabatur, pacis formula dicta est, & datis hincinde atque acceptis obsidibus, firmata. Insequenti Martio mense, Philippus Mariam, ducis Bohemorum filiam, matrimonio sibi coniunxit. Moxq; Richardi perfidia fractis induciis, cum arcem Brisoni dolo captam, solo prostrasset: Philippus, collecto exercitu, Dammallam progredi festinat: vbi dum in obsidione detinetur, ad Nouencurtum Richardus aduenienS, præsidium, quod in eo erat, promissis adduxit, locũ illi permittere. Quem receptum, armis & commeatu munit. Inde in Philippum Dammallam circumsidentem ducens, dum loco regem summouere concertat: ipse, à Francis ferociter impetitus, fugatur. Capto in fuga Guidone Thouardo, viro apprime nobili & strennuo, Franci Dammallam repetentes, arcem oppugnant. Sed dedentibus se hostibus, si instructi armis discedere liceret, Dammalla recepta est, & arx solo æquata. Gisortium deinceps aduenienS, & protenus Nouencurtum, quod Richardus sibi rapuerat, circumuallans multo suorum periculo expugnauit.

Richardi perfidia.

Maria Bohemorũ ducis filia Philippi uxor.

Guido Thouardus capitur.

Pugnantem aduersus Anglum, alia Philippum sollicitudo turbauit. Balduinus enim Flandrensium comes ad Richardum desciuit, quem præterea secutus Reginaldus comitis Donni Martini filius, multas Francis incommoditates hi pariter inuexerũt, quanquã ipse Reginaldus nuptiis dominæ Boloniensis atq; ipso comitatu paulo ante à rege honoratus auctusq; extitisset. Per has belli tẽpestates sanctus Audomarus, Arthesii insigne atq; munitissimũ oppidum, in potestatẽ Balduini venit. Iudæos autem eiectos Francia, Philippus Parisium reduxit, pecuniæ forte inter tot belli impensas egens. Nam & de ecclesiis vectigalia pensionesq; annuas, reclamante clero, excepit: quamobrem maiore quàm vllo tempore bello mox implicitus est.

Balduinus Flãdrus cum Richardo iungitur.

Reginaldus comes Boloniensis conspirat.

Sanctus Audomarus fit comes Flandriæ.

Itaq; Richardus numeroso instructus exercitu, Gisortium mouens, omnem per ambitum regionem populatur, Corcella arce ad solum complanata. In quem cum copias Philippus duxisset, primo aduentu hostis illum, ne Gisortium peteret, prohibuit. Sed animos tollens Philippus, cuneo facto, per acies hostium perrumpens, Gisortium ingressus est, quibusdam ex suis aulicis atq; proceribus ab hoste interclusis captisq;.

Philippus Normanniam vastat.

Deinde abeunte in Normanniam Richardo, Philippus hostili agmine Normannos insecutus, ad Nouumburgum & Bellummontem Rogerii vsq; progressus, vicos complures ferro igneq; vastauit. Repetente tandem Franciam Philippo, cum intellexisset Richardus, illum exercitum dimisisse, in Velexinum & Claromontem incursiones facit. Cui occurrentes Bellouaci antistes & Guillelmus de

Demelli: cum ab hoste prædas recuperare inconsulte nituntur, insidias hostium incurrentes, capti abductiq; sunt.

Cum tantis animis reges digladiantur: Innocentius III. qui Cælestino III. in sedem Romanam successerat, studiosus pacis, Petrum Capuanum Cardinalem ad reges mittit. Qui de pace quidem desperans, quinq; vix annorum inducias impetrauit: nec Richardum adducere potuit, vt obsides daret, atque reciperet. Ipse autem ferox & indomitus hostis, non longo post interiecto tempore, dum in Lemouicibus arcem Lemouicam obsidet, emissa ex arce sagitta, ictus, eo vulnere interiit.

Richardus occiditur.

Sub hoc Innocentio Romano pontifice, ordo fratrum sanctæ Trinitatis, de redemptione captiuorum, autoribus Iohanne de Mata & Fœlice anachorita initium cœpit: qui postquam apud Ceruum frigidum Meldensis territorii solitariam diu vitam egissent, per quietem admoniti, pontificem Romanum conuenire, à quo vitæ modum acciperent, cum Innocentium adiissent, cognouerunt, pontificem simili reuelatione fuisse diuinitus instinctum. Quamobrem à pontifice benignissime excepti sunt. Et v. Calendas Februarias, cum dies festus Agnetis secundo agitur, Innocentius rem diuinam faciens, dum diuinam Eucharistiam circumstantibus se ostendit, angelum Dei videt candore multo fulgentem: cancellatis manibus duos captiuos tenentem, Christianum vnum, alterum Maurum, tanquam eos commutaret. Cui angelo crux rubri & asuri coloris ad pectus eminebat. Quo viso & re diuina confecta, anachoritas ad se vocans, iam, inquit, filioli animaduerto, Dei spiritu vos duci. Conficiam vobis indumenta exemplo visionis, quæ mihi diuina celebranti innotuit. Igitur consutis tunicis Iohannem Fœlicemq; candidis vestibus decorauit, superaddita cruce, qualem angelus ostendisset. Additq; nouo ordini titulum *de Trinitate & redemptione captiuorum*, cui negocium imponit, captiuos à male credentibus Christianos liberandi. Eius rei simulachrum Romæ in Cœlio monte apud sanctum Thomam de Formis visitur, vbi ecclesiam diuinæ Trinitati Innocentius extruxit.

Reuelatio atq; institutio ordinis sanctæ Trinitatis.

Succedentibus aliquot annis, prædicatorum ordo, Dominico autore, viro apprime docto & sancto, ortus celebratusq; est. Richardo defuncto, Philippus contracto grandi exercitu, Ebroicas, Normannorum vrbem, cum aliis compluribus instructissimis arcibus occupat, atq; omnia Cœnomannia tenus perdit. Arturus præterea Britonum princeps, Andegauiam vrbem, quam sibi Richardus sustulerat, recepit, Philippoq; obuiam pergens, eius fidei se permisit.

Dominicus.

His rebus rege præpedito, Robertus Blesensis, & Eustacius de Nouauilla, Philippum, Namurci comitem, Balduini Flandrensis fratrem, cum equitibus auratis duodecim, & sacerdote vno, Petro Duacensi, compræhendunt, ad regeq; ducunt. Nec longa mora intercessit, cum inter Philippum & Iohannem, Richardi successorem, cui *sine terra* cognomen fuit, induciæ dictæ sunt, & sacramento firmatæ. Concessa Philippo, à bello, quiete, noua illi à Romano legato afflictio consurgit, propter Ingebergam vxorem dimissam. Nam conuentu prælatorum habito, ex eorum sententia, legatus Philippo & toti regno, sacris & communione hominum interdixit, quamuis Romanum pontificem rex appellasset. Qua legis seueritate exasperatus Philippus, in clerum sæuitia vsus est, pulsis è suis sedibus pontificibus, quorũ assensu hanc ignominiam accepisset. Itaq; nec dignitati nec vicariatui pepercit, quinetiam plebeios sacerdotes rebus suis exutos extrusit. Quin & Ingebergam in arce Stampensi clausam tenuit. Nec à plebe temperauit, exacta à populo tertia parte bonorum, præter vectigalia & annuas pensiones. Induciis propediem finituris, reges inter Vernonem & insulã Andelinam de firmanda pace conuenerunt. Ibi partitis terris, de quibus contendebatur, Iohannes Anglus omnia quę Philippus Richardo abstulisset, Ludouico regis filio (cui Blancha Alphonsi Castellæ filia nupserat, & Iohannis neptis erat) libera permittit. Adiunxit prętere Anglus ad tantam liberalitatem, si absq; liberis moreretur, instituere se Ludouicum hæredem omnium possessionum, quæ cis oceanum Gallicum suæ ditionis essent. Interim dum hæc aguntur, alter à pontifice Romano legatus Otho Hostiensis episcopus in Franciam venit, attributo sibi collega Burdegalensi archipræsule. Hic Philip-

Namurci comes capitur.

Interdictũ in Francia.

Sæuit Philippus in clerũ.

Pax inter reges.

Philippum admonet, Ingebergam vxorem recipiat. Paruit legato Philippus. Nam cum Suessione legati variis disceptationibus de regis cum vxore reconciliatione agerent: rex tantæ moræ impatiens, assumpta Ingeberga, insalutatis legatis, consilium dimittit. Abeunte rege, legati rubore perfusi, alter Romam se contulit, alter in Franciam reuersus est.

Legati à Philippo illusi.

Exactis inde paucis mensibus, conuenientibus iterũ, non longe à Vernone regibus: Philippus Iohanni Anglo atq; Normannis diem dicit, quo Parisii ad iudiciũ venirent. Causa vocationis hæc fuit. Erat Arturus Britonum comes, Angli regis nepos, quem Philippi partes sequentem, Iohannes Anglus cum cœpisset, eum occidisse diffamatus est: libere dimissis iis, qui cum eo capti erant. Statuto die, postquam ad rebellionem Anglum inclinare Philippus cognouit, consilio à proceribus capto, militem cogit, ducitq; in Normanniam, ad castellum, cui Bontauentum nomen est: quod, vnà cum Genselino & Gorneio munitissimis locis, prostrauit. At cum hyems inhorresceret, relictis vbiq; presidiis, reges bello, tantisper dum hybernarent, abstinuerunt. Ineunte vere, Philippus Britonum atq; Pictauorum auxiliis fretus, Aquitaniam sibi subiugauit. Nec multo post in Normanniam conuersus, Conchas & vallem Ruelli cum insula Andelina in potestatem recepit. Eodem ferme tempore Innocentius III. pontifex, missis in Franciam nunciis, regibus mandat, bello supersedeant, pœna in contemptorẽ præcepti adiecta. Sed Philippus appellatione aduersus legatos se tutauit. Atq; ita ad Radepontem copiis instructis mouens, post quindecimum obsidionis diem, arcem expugnat. Dehinc ad Gallardum castrum profectus (quod edito ad ripam Sequanæ loco situm est, & à Richardo magnis munitionibus instauratum) constituit præsidium, quod intus erat, fame ad deditionem compellere, ne vel militem difficili & periculosa obsidione perderet, vel casu aliquo obsessi clam dilaberentur atq; subterfugerent. Igitur magnis fossis atq; aggeribus castellum circundat, imposito inter aggerem & arcem milite. Extruxit præterea ligneas turres, ex quibus tela in obsessos iaculari possent. Comparatis omnibus, quæ oppugnationi conuenirent, insilientibus Francis atq; acerrime pugnantibus, obsessi non minore animi fortitudine Francos repellebant, donec quintodecimo die, continua oppugnatione fracti, deditionem fecere. Altero, qui secutus est, anno Philippus cum Falleſiam atq; Damfrontem recepisset, ad diui Michaelis promontorium (quod *in periculo maris* ab incolis dicitur) peruadens, suæ omnia ditioni subiecit. Quod videntes Normanni, ne Philippi fortunæ temere obsisterent, Abrincas, Baiocum, Constantiã atq; Lexouium vrbes dedunt. In quibus relicto valido præsidio, rex Rothomagum primariã Normanniæ ciuitatem obsidione premere constituit. Circumsessa à Francis vrbe, ciues triginta dierum inducias à Philippo impetrant. Interim in Angliam missis ad Iohannem Anglum nunciis, vt infra impetratos induciarum dies obsessis opitularetur, cum nihil spei à rege acciperent, sed intelligerent hominem desidere & cunctari, ad suos remigrantes nuncii, se atq; ciuitatẽ Philippo permiserunt. Quorum exemplo moti Arquenses & Vernolienses, in verba regis iurant.

Iubet Innocentius reges bello abstinere, à quo Philippus prouocat.

Subacta Normannia, in Franciam cùm rediisset, paucos ibi dies commoratus, Aquitanos magnis copiis petit. Prima ad arcem Lochiarum castra fecit, quam magna vi expugnatam Droetio *de nullo dono* dedit. Inde Chinonem, agri virtute à præsidio defensam cœpit. Omnes vero qui intus erant, Compendium in custodiam duci iubet. Intercedentibus paucis post hæc diebus, Iohannes Anglus Rupellã cum classe appellit. Cui, à Philippo deficiens, comes Touardus se coniunxit. Vrbs Andegauia primos Iohannis impetus experta est, quam solotenus Anglus destruxit. Eapropter in Pictauiã veniens Philippus, omnibus munitioribus Pictauorum locis imposito præsidio, Touardum, vbi Anglus agebat, petere cùm statuisset, iamq; ad hoc acies ordinatas haberet, comitis Touardi terra ferro atq; igni vastata, duorum annorum induciis inter reges firmatis, ab armis temperatum est. Quibus exactis, Philippus iterum in Aquitaniam militem promouet, vbi æquatis ad solum quibusdam castellis: aliis autem receptis, cùm præsidium in illis collocasset, eius regionis curam Guillermo Marescallo & Guillermo de Rupibus committit,

Philippus in Aquitaniam.

Anglus ad Rupellam cum classe.

Andegauia vrbs diruitur.

atq; in Franciam remeat. Illi à rege præfecti, dum Pictauiæ agunt, locatis insidiis Touardi Vicecomitem, & Sauarum Maulionem, prædas abigentes, capiunt: quos vna cum Hugone Vicecomitis fratre, & Amerio Lisigniaco: atq; militibus quinquaginta ad Philippum mittunt. Est in Britonum principatu collis editus, ad septentrionem spectans, sinuoso maris æstuario circumdatus: cui Britonum lingua

Graplitum in Britonibus collis.

Graplitum, id est, mari vndiq; implicitum, nomen est. In eo colle, cùm Britones arcem extruxissent, quæ in aduenientes Anglos propugnaculum esse posset, id Michaël quidam, inter Britones non ignobilis, cùm Philippo nunciasset: contracto apud Mantam exercitu: comiti sancti Pauli & Michaëli committit arcem occupare. Nec pigritatur comes regi parere. Itaq; arce capta, Michaëlem cum valido præsidio arci præponit. Ad hoc expugnandæ arcis negocium cum pontifices Franci

Aurelianenses et Altissiodor. pontif. Philippo repugnant.

à Philippo præmoniti, armatos aliquot ex suis misissent, soli Aurelianenses atq; Altissiodorenses antistites detrectare auxilium nõ formidauerunt. Quamobrẽ, cùm Philippus eorum terras, donec satis de contemptu factionem fecissent, occupasset, Romanum pontificem adeuntes: Philippum, ne id faceret, pontificia auctoritate prohibere nisi sunt. At pontifex Francorum consuetudini, quæ de temporalium rerum gubernaculis introducta esset, detrectare nihil tentauit. Igitur episcopi multam à rebellione Philippo soluentes, quæ suæ ditionis erant, receperunt post biennium, quàm illa rex possedisset. Eodem anno, qui fuit Christianæ gratiæ

Almaricus hæreticus. scilicet cũ Christo vel sol ipse sit compassus.

MCCVII. Almaricus Carnotensis, literis apprime eruditus, cùm apud Parisios nõ paruam doctrinæ opinionem obtineret, palam docuit, quosq; Christianos membra Christi corporis esse: & dum à Iudæis Christus pateretur, vna cum ipso dolorem atq; afflictionem fuisse reuera perpessos. Sed errorem cum tueri non posset: damnatus est resipiscere, & contrariam sententiam asserere. Ob hanc ignominiam, contracta animi ægritudine, paulo pòst tempore interiit. Fuere alii præterea literati homines, qui singulis diuinæ trinitatis personis, singula tempora per successionem tribuerent: asserentes, patris omnipotentiam Christi aduentu desiuisse: Christi vero doctrinam, Spiritus sancti accessu, exoletam esse. Cuius hæreseos autores, procurantibus Petro Parisiensi episcopo atq; Garino consulari viro, deprehensi, honoribus & dignitate priuati sunt. Laicos, id est, qui extra cleri ordinem essent, ignis absumpsit. Fœminis vero parcitum est. At Almarici cadauer, quod pone diui Martini Parisiensis ecclesiam sepultum fuerat, exhumatum & crematum est. Per eosdem ferme dies, Fredericus imperator, missis ad Philippum nunciis,

Fredericus imperator.

petit locum deligi, vbi de rebus ad vtrumq; pertinentibus colloqui possint. Apud Vallicolorem placuit conuentionem habere. Est enim Vallicolor vltimus regni locus Tullum versus spectans. Philippo consilium non fuit, illò proficisci. Sed misso Ludouico filio cum procerum ornatissima caterua, fides atq; amicitia, quæ vetustissimo fœdere inter principes Romanos, regesq; Francorum obseruata fuisset, innouata est.

Noui muri Parisienses.

Eodem tempore, cùm à veteri diui Dionysii porta, vsq; ad eam, quæ nunc noua appellatur, multum agri intercederet, eam omnem partem Parisii vrbis, Sequana tenus, muro Philippus claudi iubet: in eaq; domos extrui, quas incoleret populus. Muniuit præterea pleraq; alia, per regnum Franciæ loca: arces turresq; exædificauit, precio dato iis, à quibus possessiones ad hunc vsum recipiebat. Interim Reginaldus Boloniæ comes, qui ecclesiarum atq; pauperum oppressor erat, & ob eam rem extra hominum communionem, pontificum auctoritate positus, cùm à rege sibi timeret (comitatu Boloniæ Ludouici filii regis potestati permisso) cum Othone Pseudoimperatore amicitiam iungit, moxq;, postquam ablatas sibi terras à Philippo recuperare non posset, nisi Parlamenti diffinitione

Iohannes Anglus excommunicatus.

illas reciperet, Flandriam petens, in Angliam ad Iohannem Anglum nauigauit. Erat hic Iohannes à Romano pontifice excommunicatus, propterea quòd ecclesiæ prouentus annos sex vsurpauerat, episcoposq; Anglia extrusisset, quos in Francia receptos, Philippus reuerenter habebat. Cum hic in Anglia status rerum esset, consilio Suessione habito (in quo dux Brabantinus affuit) visum est dignum rege esse, si in Angliam expeditionem duceret, pontificesq;, sedibus expulsos, restitueret. Cui sententiæ Ferrandus Flandrensium comes aduersatus est, propter duo

muni-

munitissima oppida, Sanctũ Audomarũ atq; Aeriam, quæ Ludouicus occupabat. Iam enim (vt postea cognitum est) cum Iohanne Anglo, Reginaldi Boloniensis suasu, Ferrandus sentiebat. Non destitit tamen à cœptis rex. Sed ad Boloniam ingentes copias ducens: vbi classis, vehendi militis causa, parabatur, mox ad Grauelingam maritimum in Flandria oppidum profectus: naues illò se subsequi iubet. Promiserat Ferrandus ad eum locum venire, & de offensis in regem satisfacere. Sed postquam à fide & promissis deficere perfidum hominem compertum est: *Ad Grauelingam classis regia.* Philippus, omissa in Angliam expeditione, in Casseletum, quod in colle, paucis à Grauelinga miliaribus distans, munitissimum erat, irrumpens, Brugas vsq; peruenit: classemq; ad Dammum deduci mandat. Est autem Dammus nauium statio & *Dammus portus.* portus: vnde excauato, opere humano, alueo merces Brugas deferuntur. In eo portu, quia regia classis contineri non potuit, pars in proximo mari seorsum in anchoris manserat. Philippo autem à Brugis Gandauum promouente, Reginaldus Boloniensis & Guillermus Longaspata, mari ex Anglia delati, occurrente illis Flammigorum turba, regias naues, quæ extra portum erant, inuadunt: captas abducunt, atq; postridie eas, quæ in statione seruabantur, inuadere festinant. Quibus Franci viriliter obstiterunt. Cognito classis & suorum periculo, Philippus in hostem dimissa obsidione reuertitur, quos nauali pugna fugatos, ad duo millia interemit, compluribus ex eorum nobilitate captis. Deinde Dammum repetens, quod reliquũ erat nauium, armamentis & commeatu receptis, incendit. Dirutoq; portu, cum agro adiacenti: postquam à Gandauis, Brugensibus, Ipris atq; insula obsides recepisset: in Franciam exercitum reduxit. Erant per hos dies in Narbonensi prouincia (quam vulgo linguam Occitanam appellamus) Christianæ puritatis permulti contemptores, ex Albigesio primam suæ doctrinæ & iniquitatis institutionem referentes. Quorum dogmata nemo ad hunc mihi diem notus scriptor reliquit. Et cum hæreticos eos vocent: atq; ob eam culpam exterminatos esse, autores tradant: genus tamen hæreseos prætereunt. Puto eos, quoad coniectura assequi *Quid mirum est pro ratione voluntas.* possum, Arrianam pestem secutos, fœdis quoq; amoribus & masculinis concubitibus indulsisse, ideoq; legitimas nuptias, & carnis esum damnare, & in diuam Mariam Christi matrem esse blasphemos. Diffusum id virus, cum totam ferme regionem inquinasset: Romanus pontifex Innocentius III. misso Gallone Cardinali legato, Philippum pontificis auctoritate monet, in Hæreticos armari, peccatorum remissione concessa, his, qui insigne crucis ad id bellum desumerent. Legati oratione permotus Philippus: permittit suos arma capere, & in Albigenses proficisci. Fuisse in exercitu episcopos multos, & proceres inuenio: atq; imprimis Eudonem Burgundiæ ducem, Henricum Niuernensem, Petrum, Senonum archipræsulem. Reginaldum Rothomagensem, Robertum Baiocensem, Iordanum Lexouium, & Reginaldum Carnotensem. Igitur mouentes Franci Biteras primum obsident, *Biteræ ciuitas.* expugnantq;: occisis, qui in ea erant, multis hæreticorum millibus. Quo periculo territi reliqui regionis incolæ, ad Carcassonem munitissimam vrbem confugerant: in qua à nostris circunsepti, inde abire nudi omnino compelluntur: vt qui pudendis membris per summum nephas abusi fuerant: ea ad ignominiam videnda exhiberent. Eliminata fœdissimæ gentis turpitudine: Franci cupidi sua quiq; loca reuisere, reliquo exercitui, Simonem de monte forti, hominem nobilem & strennuum nec minus religiosum, præficiunt. Qui mox belli cura suscepta: non segniter, quæ supererant, executus est, comitante eum Dominico, viro Hispano: quo *Simon de monte forti.* autore prædicatorum ordo initium sumpsit. Itaq; arces per eam terram expugnauit, hæreticis interemptis. Habuit tamen obscœna Albigesiorum turpitudo defensores, Aragonum videlicet regem, sancti item Eligii comitem, & Fuxi principem: *Alii dicũt sancti Aegidii.* qui eductis ingentibus copiis, Simonem apud Murellum arcem obsederunt. Qui, tametsi raros armatos secum in præsidio haberet, nihil tamen desperans, re diuina à sacerdote facta, postquam se in primis atq; suos confessionis sacramento purgasset: eruptionem subito facit, regem Aragonum & hostium octodecim millia *Egregia victoria.* interemit: cum ipse octo tantum ex suo præsidio amisisset. Credi merito potest, Deum pro sua religione comitem recte pugnantem adiuuisse. Discedentibus ex

Giraudi sæuitia.

Albigesio principibus Francis, Giraudus quidam, Albigentium præfectus, crudelitate atque perfidia vsus, sacerdoti Christiano fidem dat, deducere eum tuto ad suos, & cum eo equites auratos sex, & seruos quos habebat quinquaginta. Confidens igitur sacerdos, se cum suis comitibus Giraudo credit. Quos omnes ad cœnam liberaliter acceptos, remotis epulis statim in vincula coniicit. Deinde equitibus seorsum eductis, ignem in ergastulum, vbi reliqui asseruabantur, mittit: quem triduo perpessi Christicolæ, nulla adustione læsi sunt. Duos autem ex equitibus, oculis & naribus, cum superiore labio, priuauerunt: quo malo alter interiit, superstite altero. Per hos dies multis imbribus Sequana amnis auctus, paruum apud Parisios pontem deiecit. Hæc inter iustissima bella Iohannes Anglus ex Anglia mouens, Andegauiam, quæ diruta erat, restituit & muro claudit. Inde deficientibus ad eum Britonibus atque Pictauis, ope eorum auctus, rupem Monachi (quod castellum ad Ligerim flumen, Guillermus de rupibus, supra non multos annos extruxerat) contendit. Ibi, cum primam oppugnationem sibi non bene procedere intelligit, fecit consuetudinem ad aggerem, qui ad fossas erat, quoque die ambulandi, & scrutandi, qua parte castello potiretur. Qui, ne ab obsessis telo aliquo offenderetur, satellitem instituerat, scutum prætendere ambulanti. Eam rem cum ex obsessis vnus ingenio pollens animaduertisset, tenuem ex canabe funem texit, iusta longitudine, quæ ad aggerem pertingere posset. Eius funis extremo ad sagittam deligato, reliquum clauo iuxta se ad muri pinnas affigit. Atque ita sagitta balistæ imposita, Anglo, dum transiret, insidiatur: quem vbi suo more incedere videt, sagittam in satellitis scutum penitus adegit. Mox cordula ad se reducta, satelles cum scuto, quod gerebat, in fossam præceps ruit, in quem obsessi tela crebra iaculantes, necauerunt. Satellitis nece exasperatus Iohannes, furcas è regione castri protenus erigi iubet: comminatus, nisi se dederent, eos furcarum supplicio affectum iri omnes. Nihilominus tamē Franci pugnacissime arcem tutati sunt, occisis plerisque Anglis.

Miraculum. — *Iohannes Anglus.* — *Nota factum.* — *Ludouicus Philippi filius.*

Interim occupato aduersus Flandrenses Philippo: filius eius Ludouicus, ductis ad Chinonem copiis, cum inde magnis itineribus ferre opem obsessis contendit, cognito eius aduentu Anglus, relicta obsidione, traiecto Ligeri, quinquaginta eo die miliaria fugiens, confecit. Fugato Anglo: reliquas arces, & ipsam Andegauiam Ludouicus recepit: dirutoque castello Belloforti & terris vicecomitis Touardi vastatis, muros, quibus Andegauiam Anglus muniuerat, dissipauit: nec Moncotoro abstinuit: quod fundo tenus dirui iubet. Filio in Pictauia bellum gerente, Philippus, postquam accepit Othonem multis militum millibus apud Vallencinas castra habere, vt Ferrando cæterisque Francorum perfugis auxilio esset: exercitum cogit, & per Flandriam ducens, cum omnem fere regionem diris incursionibus vexasset: Tornacum proficiscitur, à comite sancti Pauli & fratre Garino, qui hospitalarii ordinis erat, ex hostium potestate paulo ante receptam. At agente Tornaci, Philippo nunciatur: Othonem IIII. ex Vallencinis ad Mauritaniam, octo miliaribus Tornaco distantem, consedisse. Quem adoriri cupientem regem proceres dehortati sunt, propter viarum, quà incedendum esset, angustiam. Ingressus postea in Hannoniam Francus, terram omnem magnis incommodis affecit, propterea quod eius terræ dominus in numero hostium habebatur. Redeunte Tornacum Philippo: vbi paucorum dierum quiete militem seque recrearet: accepit Othonem instructis aciebus aduentare. Eodem die siue fortuna siue Deo ita volente, vicecomes Meldunensis & frater Garinus cum leuis armaturæ mille militibus, iter, quo hostis veniebat, euntes, in tumulum (qui extra militarem viam erat) abierunt. Vnde prospicere longe lateque possent, si quis hostis appareret. Viso hoste qui instructissimo ordine accedebat, maturant ad Philippum deferre Othonis aduentum. Tum militem in armis stare Philippus iubet. Vocatoque procerum conuentu: consilium fuit, paulo vltra progredi, vt quid sibi hostis faciendum instituisset, exploratum certius haberet. Erat inter vtrumque exercitum riuulus, non adeo magnus, quàm traiectu difficilis. Quo superato, hostis Tornacum adire simulat. Sed contra sentiens Garinus, suadet aut

Moncotorum castellum. — *Tornacum Othone imperator cũ copiis abit.* — *Philippus aduersus Othonem.*

prælio

prælio conserendum, aut cum summa ignominia abeundum esse. Igitur procedentibus, vsque ad pontem Bouinum, Francis, cùm lassus rex sub fraxino arbore obdormisset, & ad clamorem suorum, quos in vltima acie hostis inuaserat, expergisceretur, sacellum quod proxime diuo Petro dicatum erat, ingressus, breui precatione habita, tam hilaris in equum conscendit, quàm si ad conuiuium inuitatus extitisset. Atq; ita in primam aciem progressus, militi animos dedit. Otho vero rege inspecto, suos à via subducens, agrum, qui septentrionem versus erat, occupauit. Qua re factum est, vt solem meridianum præ oculis hostis haberet. Dispositis in acie Francis, Philippus in hanc sententiam locutus est. Viri commilitones, spem capimus rei bene gerendæ, præsertim, qui aduersus sacris interdictos & ecclesiæ spoliatores pugnam suscepimus. Et nos, tametsi per fragilitatis humanæ tenuitatem peccatores sumus, tamen communionem tenemus fidei & institutionis catholicæ. Quare bono animo estote, & progredimini in hostem viriliter: dabit Deus in se sperantibus victoriam. Ad hunc modum paucis cum locutus rex esset, impartita militi benedictione, signum pridie nonas Iunii bello dat. Itum est in hostem, & pugnatū incredibili virtute. In Flandrenses primus à Suessionensibus impetus fuit, subsequente Petro Remigio Campanorum ductore, qui Galterum de Guistella & Buridanum captos abduxerunt. At Galterus sancti Pauli comes, & comes Bellomontensis, cuneo facto, acies hostium irrumpunt, obuios quosq; ferientes, ita vt penetratis aciebus iterum in consertos hostes pari gloria reuerterentur. Ad quos se conferentibus, magna virtute, Francis, egregiam inter illos operam nauauerunt Eudo Burgundus, Matthæus Monmorentianus, Galterus de sancto Paulo, Hugo de Marolio, cuius potestati Ferrandus Flandrensis, à Francis interceptus, se permisit, suis vel fugatis vel occisis. Ferrando capto, tota belli moles in Othonem incubuit: qui Philippo procul inspecto, in eum se prorumpens, intercurrentibus, qui ad regis custodiam deputati erant, ægre se defendit, atque equo, quem insidebat, sauciato, è prælio cedens, cùm alterum equum recepisset, aufugit. Othonis vero pedites, qui inter equites dilapsi erant, Philippum ab equo deiiciunt, ita vt opera Galli de Montigniaco, & Petri Cristaldi difficilime fuerit periculo liberatus. Hostes autem, postquam Othonem fugisse cognouerunt, animis destituti, compluribus occisis, fugientem dominum secuti sunt, relicta imperatoria aquila: quæ draconis simulachro alte superposita, curru vehebatur. Fugientibus Alemannis, Reginaldus comes qui suos seorsum continuerat, prælium instaurans, vulnerato per ilia equo, captus est. Supererat ex toto Othonis exercitu Brabantinorum turma septingentorum armatorum, qui desperata salute, vtcumq; poterant, præliabantur. Quos postquam Philippus prospexit, misso cum duobus expeditorum millibus Thoma de sancto Valerio, omnes aut capti, aut occisi sunt, cum nisi vnum ex suis tantum, recensito numero, Thomas desiderasset: qui tamen inter cadauera occisorum saucius repertus est, & deinde chirurgorum ope curatus. In Othonis exercitu mille quingenti equites aurati, inferioris vero ordinis & peditum, centum quinquaginta millia (sicut ex captiuis cognitum est) fuerunt. Hostibus superatis, cum fugientes miles Francus persequeretur, veritus rex, ne dissipato exercitu vel captiui effugerent, vel receptis viribus, hostis, nouam aliquam cladem importaret, receptui cani iubet, atque ita receptis, post insignem victoriam, militibus, captiuos per diuersa Franciæ loca in carcerem mittit. Reginaldum vero Boloniensem Peronæ cathenis vinctum seruat. Ferrandum Flandrensem Parisium deducit, atque in turre, quam Luparam vocant, includit: anno dominicæ pietatis ducentesimo vndecimo supra mille.

Oratio Philippi ad milites.

Ferrandus Flandrus capitur.

Otho fugit.

Reginaldus Boloniensis capitur.

De huius Ferrandi fortuna, cum mater, quæ Portugala erat, ariolos & diuinatores consuleret, insequens responsum habuerat. Rex in prælio cadet, pedibus hominum atque equorum calcatus, nec sepelietur. Ferrandus à Parisiacis iocundissime excipietur. Quo oraculo stolida mulier decepta: secus ac sperabat, pro regni diademate, filii carcerem accepit. Reuerso in Franciam Philippo, Pictaui, qui coniuratione cum hostibus facta, domi se continuerant, belli exitū expectan-

Pro diademate, carcerē Ferrandus accepit.

tes, cum victorem Philippum pertimescerent, per vicecomitem Touardum veniam impetrant. Et Iohannes Anglus, missis ad regem legatis Roberto apostolico Cardinali, & Renulpho Lincestriæ comite, quinquennes inducias cum Philippo firmat. Cum hæc in Pictauis geruntur, Ferrandi vxor Iohanna, Balduini Constantinopoleos imperatoris filia, ad regem de viro sollicita venit. Offert, Ferrandi loco deposituram se obsidem Gaufridum Brabantini ducis filium, soluto pro Ferrandi & suorum captiuorum redemptione iusto precio: se quoq; arces per Flandriam atque Hanoniam desolaturam, quas rex dirutas esse præciperet. Ad hunc modum fœmina maritum & captiuos liberauit. Eodem tempore, quo Philippus Othonem vicit, Ludouicus de Pictauis victoriam obtinuit. Quorum beneficiorum gratia, rex, qui in Deum omnia referebat, monasterium, quod Victoriam appellauit, prope Siluanectum ædificat, assignatis largissime, annuis prouentibus, iis, qui in eo ministraturi erant, cœnobitis. Rebus in Francia fœliciter compositis: Ludouicus grãdi exercitu contracto, & classi imposito in Angliam traiecit, Londoniisq; à ciuibus exceptus, paucis diebus insulã recepit, iurantibus in verba eius regni proceribus. Qua re cognita, Iohannes fugiens, breui pòst tempore morte eripitur. Cui proceres iurisiurandi contemptores (relicto Ludouico) Henricum Iohannis filiũ sufficiunt. Igitur Anglorum perfidiam execratus Ludouicus, quindecim Marcharum argenti millibus ab Henrico acceptis, in Franciam integro exercitu se recepit. Philippus vero cum vetulus esset, & annos III. & XL. regnasset, anno salutis M. CC. XXIII. vita excedens, apud sancti Dionysii ædem magnificentissimo sepulchro conditur. Rex proculdubio gestorum magnitudine memorabilis, qui cum ab initio ętatis Adeodatus appellaretur, augustus quoq; dictus est, tum, propter eius egregiam sanctamq; virtutem, tum, quia adeptum regnum auxit. Reliquit præterea ex testamento tercentum mille Parisiensium librarum, in sumptus Hierosolymitani belli: quæ pecunia Hierosolymorum regi Iohanni, qui tum aderat, Compostellam deuotionis causa profecturus, annumerata est. Millia insuper centena domui hospitali. Almarico Montifortensi totidem, qui terræ Albigensium præfectus erat. Pauperibus millia viginti. Sunt qui minus à Philippo legatum esse tradunt, sed ego historicum Gallum secutus, plus fidei Franco quam peregrino autori dandũ sum arbitratus. Addidit ad Dionysianorum monachorum numerum triginta cœnobitas, qui perpetuo rem diuinam pro se Deo exoluerent. Anno, quo decessit, visus est in occidente cometa, cum anno superiore luna, ab intempesta nocte, vsq; ad insequentis diei crepusculum, defecisset.

Victoria Monasterium.

Ludouicus in Angliam copias ducit.

Qui ni? Nam muli mutuũ scabunt.

ROBERTI GAGVINI
HISTORIÆ FRANCORVM
LIBER SEPTIMVS.

CAP. I.



OST Philippum regni gubernacula suscepit Ludouicus VI. & XXX. agens annum. Hunc tradunt auctores Caroli Magni genus in reges Francos, per matris cognationem, retulisse. Carolus enim Ludouici IIII. filius, à quo Hugo Cappetus regnum sustulit, Emengardam filiam comiti Namurcensi vxorem dederat, ex qua suscepta prole virili, Balduinus Hanoniensis comes natus est, qui Isabellam ex se genitam, Philippo Ludouici, de quo scribimus, patri matrimonio copulauit. Putant hoc facto Francis plus nobilitatis ad reges, qui inde prognati sunt, peruenisse: quasi à prima origine perseuerent in posteris mores & virtus. Sed vt in cæteris animantibus atq; in plantis, ita in hominum genere contingit. A forti imbecillis equus, à fructifera arbore, sterilis plærumque enascitur. Nihil enim natura fert, quod temporis accessu à stirpe non degeneret.

Adepto

Pictaui rebellantur.

Adepto regno, Ludouicus, cum Pictaui parére detrectarent, Anglis fauentes, ducto ad Niortum arcem exercitu, eam obſedit, in qua præſidio erat Sauaricus Mauleonus cum non inualida Anglorum manu. Qui poſtquam aſſidua oppugnatione ſe premi videt, impetrata cum ſuis abeundi libertate, deditionem fecit. Itum deinde eſt ad ſanctum Iohannem, quod incolæ Dangeli vocant. Cuius oppidani regis potentiam formidantes, Ludouico occurrunt, atq; vt dominum ſuum & regem reuerentur, recipiuntq;. Tam proſpere ſuccedentibus ſibi rebus Rochellam maritimum in Pictauis oppidum, & idem munitiſſimum, quo ſtatio eſt nauium, quibus merces mari importantur, petit: vbi (quem ex Niorto abiiſſe memorauimus) Sauaricus Mauleonus erat, multis Anglis ſtipatus. Poſtquam continuis decem & octo diebus oppugnatio facta eſt, orta inter Mauleonum & Anglos ſuſpitione, de dedendo oppido mens Sauarico fuit, ne (ſubeunte diſcordia) in poteſtatem hoſtis ipſe nolens incideret. Salute à Ludouico impetrata, abeunt in Angliam omnes. Fama perferente, Rochellam à Francis poſſideri, Lemouicenſes & Petragorici ad Ludouicum veniunt, imperata facturi. Quibus in fide receptis, & Rochellæ impoſito firmiſſimo præſidio, Franciam repetiuit. Sauaricus vero, cùm ad Anglum regem veniſſet, multis indiciis coniectans, ſe regi eſſe ſuſpectum, & ſibi parari inſidias, clam ex Anglia ad Ludouicum ſe contulit, à quo indulgenter receptus, fidē debitæ ſubiectionis regi præſtitit. Ea re cognita, rex Anglus tributo à clero Angliæ collecto, Richardum fratrem in Aquitaniam cum trecentarum nauium claſſe mittit. Qui primo appulſu ad ſanctum Macharum caſtra ponens, arcem vi expugnat: atq; oppidum, quod arci iunctū erat, diripit. Cognito Richardi in Aquitaniam aduentu, Ludouicus vnum ex Mareſcallis (id enim nomen eſt officii eius, qui parte aliqua bellicis rebus præeſt) aduerſus Anglos cum copiis præmittit. Francis in terram domini Bergeraci irrumpentibus, agroſq; populantibus, Richardus relicto caſtello, cui Rochellæ appellatio eſt, quod & ipſe obſidebat, rebus ſuis diffidens, in Angliam claſſem reduxit. Per id tempus Balduinus quidam, auſus ſe mentiri Balduinum Flandrenſem eſſe, qui ex Conſtantinopoli Græcorū ob perfidiam cum aufugiſſet, à Flandrenſibus exceptus eſt, reiecta comite muliere, profecto ſapiente, quæ ad Ludouicum queruloſa veniens, permouit regem Peronam proficiſci. Quò ſimulatorem Balduinum ad ſe euocatum, cum multa rogatus vel ſuperbe reſponderet, vel nulla de ſe vera indicia exhiberet, tertio inde die regno abſcedere Ludouicus iubet. Abiens mendax homo, Vallencenas, poſtquam ſuis ſe deſertum intelligit, Burgundiam ſpecie mercatoris aſſumpta, à neſcio quo milite agnitus, ad comitem deductus eſt: quem in ergaſtulo multis cruciatibus affectum, furcæ illaqueatum ſerui dominæ comitis ſtrangulauerunt. Interea Romanus à pontifice Gregorio IX. legatus, Pariſii ſacerdotum conuentu habito, rege cum multitudine procerum conſidente, de Albigenſium hæreſi atque pertinacia queſtus, regem, & qui conſilio aderant, excitat, crucem aduerſus hæreticos pro Dei religione ſumere. Ipſeque Romanus complures ſua manu cruce ſignat. Anno inſequenti, qui erat Chriſtianæ gratiæ CCXXVII. ſupra M. Ludouicus, & qui cum eo cruce dominica inſigniti erant, ad Bituriges conueniunt. Inde Niuernum Lugdunumque prætereuntes, Auinionem, prouinciæ non contemnendam vrbem, petuut: quæ, ſeptimo iam anno interdicto eccleſiaſtico damnata, ab hæreſi non reſipuerat. Quam cum Ludouicus, pacto ciuibus interpoſito, ſpondet nullo incommodo affecturum, ſed vltrà profecturum, portas regi occludunt. Qua accepta iniuria, Ludouicus Auinionem circumuallat. Ea obſidio cùm à Calendis Decembribus ad medium Auguſtum continuata non procederet, fortiſſime ſe tuentibus hæreticis, telis ſcorpionum mille ſexcenti ex noſtris periere. Inter quos, Guido ſancti Pauli comes, ſtrennuus & bellicarum rerum peritiſſimus, & Lemouicarum antiſtes interempti ſunt. His incommodis acceptis, Ludouicus iurat, ſe nunquam, niſi vrbe recepta, inde abiturum. Cognita regis indignatione & conſtantia, ciues duos ad eum de primoribus ciuitatis mittunt, qui ſe ciuitatemque poteſtati Ludouici atque Romani legati permitterent. Rebus compoſitis, LVDOVICVS vrbem ingreſ-

Rochella.

Sauaricus Mauleonus.

Sanctus Macharus.

Pſeudocomes Flandria.

Auinio obſidetur.

sus, fossas ciuitatis terra expleri ad summum imperat: demum trecentis praeclaris aedibus murisq; ad solum excisis, ciues ab interdicto Romanus laxauit, ordinato illic episcopo Petro Corbio, erudito homine, qui ex Cluniaci coenobio erat. Auinione recepta, rex Tholosam ad quartum vsq; lapidem peruadens, desiderium coepit Franciam reuisendi. Atq; ita cura rerum prouinciae Imberto de Belloioco, qui eum genere attingebat, deputata: in Franciam venit. Vbi paruo tempore moratus, ad Mompenserium cum festinus reuertisset, aegrotauit. Et II. Idus Nouembris defunctus est, rex per omnem vitam continens, & qui nullius, praeterquam propriae coniugis concubitu vsus fuisse perhibetur. Ex Mompenserio ad sanctum Dionysium elatus, iuxta Philippi patris sepulchrum humatus est. Eius mortem Merlinus, vates Anglus, hoc vaticinio visus est praesignasse. *In monte venti morietur leo pacificus.*

CAP. 2.

En ouem lupis commissam.

LVDOVICO suffectus est Ludouicus filius, annos XII. natus: quem in Blanchae matris tutela pater reliquerat. Eius erudiendi sollicita mater, curam sine intermissione adhibuit: ita vt vigili studio elaboraret, Christianis illũ institutis praeclarisq; moribus educari. Deputatis ad id negocium religiosis hominibus, ordinis praecipue praedicatorum atq; minorum. Quorum disciplina ita didicit vitae sanctimoniã amare, vt illo tempore nemo religiosior sit habitus. Regni diadema à Suessionum antistite apud Remos ad Calend. Decembris suscepit, orbata per hos dies ecclesia Remorum pastore, anno Christianae salutis CCXXVI. supra M. Mox Theobaldus Campanus, Petrus Mauclericus Britonum dux, & Hugo Marchiae comes, propter non idoneam ad regnandum aetatem, parui habentes Ludouicum, coniuratione facta, à rege deficiunt. Atq; ante omnes Mauclericus duas munitissimas arces, sanctum Iacobum de Beuron atq; Belesmum imposito ad praesidium milite occupat, quas à patre, dũ ad Albigenses proficisceretur, comiti Britonum Petro custodiendas tribuerat. Coniuratione patefacta, nouellus rex ex matris consilio magnis itineribus in Britonem ducit. At Theobaldus Campanus, viso regii militis exercitu, futuri prouidus, nescientibus sociis, ad regem concedens, delicti veniam impetrauit. Statimq; Ludouicus Mauclericum atq; Hugonem per caduceatorem monet, ad se veniant, aut pugnandi faciant potestatem. Coniurati respondent, acceptissimam sibi pacem concordiamq; esse, tantum dicatur conuentioni dies & locus, cùm de pace colloquium cum rege habere possint. Apud Chinonem cùm die condicto coniurati non venissent, tertiò vocati, missis ad Ludouicum nunciis, spondent se Vindocinũ venturos, ibiq; pro regis voluntate se purgaturos. Quo responso placatus rex adolescens, tantum illis mandat, ab iniuriis abstineant. Illi autem regis benignitatem atq; indulgentiam contemptui habentes, permultos regni proceres in suam sententiam ducunt: Blanchã regis matrem indignam dicentes, quae tantum principatum administraret, nec decere illos foemineo duci imperio. His atq; aliis suasi verbis proceres, sollicite explorant, quonam modo in suam potestatem Ludouicum à matre abducant. Iter per agrum Aurelianum faciente rege, nunciatur insidias sibi à proceribus positas esse. Eam ob rem retro inde cedens, Parisium versus, cùm ad Montenherium venisset, ad matrem Parisiis agentem mittit, quae filio timens, Parisios ad arma excitat: qui, collecta raptim ex agris hominum multitudine, ad regem contendunt. Insidiatores vero, cognito Parisiorum aduentu, silentes abiere. Igitur recepto rege, Parisii domum reuertuntur.

Coniuratio in Ludouicum.

Insidiae in Ludouicum.

Bellũ in Theobaldum Campanum.

At proceres suo instituto frustrati, in Theobaldum Campanum, à quo, coniuratione patefacta, deserti erant, bellum mouent. Obsessoque oppido, quod Cahorsam vocant, frequenti populatione Campaniam infestabant. Re ad Ludouicum per Theobaldi nuncios delata, proceres primum rex admonet, ab armis discedant. Qui regi non audientes, mox, vt acceperunt Ludouicum infesto exercitu ad se festinare, obsidione soluta, domum quisque remeauit. Verum Hugo, Marchianus, suae in regem coniurationis acer & diligens autor, ad Anglos traiicit: Regemque admonet, tempus aduenisse, cum ablatam sibi à Philippo Normanniam recuperet. Ludouicum quidem adolescentem non acceptum nobilitati esse, quippe qui ipsis inconsultis, & praeter iustam

Marchiae comes ad Anglos deficit.

Rex Anglus.

ftam ætatem regnum adiuisset. Scire se, si Anglus cum exercitu Galliam petat, futurum, vt se adiutore Normanniam vendicet. His Hugonis verbis persuasus Anglus, classe instructa ad Britones vna cum Hugone duce, quanquam aspera hyems esset, adnauigat. Moxq; adiunctis sibi Britonum auxiliis, vicinos Britonibus agros incursionibus populationibusq; disperdit. Quod postquam Ludouico nunciatum est, copias in ducem primum educit, Belesmumq; arcem pertinacissime prius obsidet, quàm insolitis antea frigoribus hyems militem molestaret. Sed huic malo Blancha Ludouici mater remedium attulit. Iubet calones castris egredi, & arbores cuiusque generis, fertiles atq; infœcundas succidere, easq; conscissas ad castra importari. Quo nimirum facto, tanta lignorum congeries in castris fuit, vt magnis crebrisq; ignibus excitatis, hybernus rigor nec militem, nec iumenta offenderit. Prima oppugnatione irrita, Marescallus militum, dum secundam oppugnationem parat, fossores instituit, qui cuniculis viam in arcem faciant. Ipse interea machinis dispositis, muros quatit & simul militem oppugnationem facere iubet. Tanta fuit lapidum vis, vt primaria arcis turre concussa, nutaret: & muri, cuniculis perforati, prope dilaberentur. Quo periculo territi Britones, cùm nullum ab Hugone subsidium sperarent, se atq; arcem Ludouico dedunt. Belesmo superato, Anglus Hugonem increpat, cuius suasu bello se immiscuit, atq; ita exercitu classi imposito Angliam repetiuit.

Blanchæ egregium factum.

Per idem tempus ii, qui Haiapannelli incolebant, ad Britones defecerunt. Sed Blanchæ iussu Iohannes de vineis in eos copias ducens, paucis diebus compescuit. Ludouicus Britonum regionem ingressus, Ardonem atq; Chancelaum validissimas arces cùm cepisset, ducem perterruit. Qui ad fratrem, Drocarum comitem, missis nunciis orat, regem sibi conciliet, in se nullam moram fore, quin imperata faciat. Comes de ducis animo certus factus, regem placat. Igitur datis obsidibus, Hugo iureiurando promittit, nullo se vnquam tempore arma in regem capturum: sed in fide constanter permansurum. Cum annos quatuor Ludouicus bona vsus fortuna esset: Regalis montis cœnobium, non procul ab Isara flumine extruxit, collocatis in eo fratribus Cisterciensis ordinis. Interea, dum circa cœnobii institutionem rex animum intendit, seditio inter ciues & Parisienses scholasticos insurgit, ita vt nonnullis vtrinq; occisis, cum sibi de iniuriis acceptis satis non esse factum scholastici queruntur, eò indignatio processit, vt de transferendo studio, hoc est (vt vulgo loquuntur) vniuersitate, consultarent: quos etiam rex Anglus, Francorum perpetuus & implacabilis hostis, clandestinis nunciis, vt id facerent, sollicitabat. Daturum se illis dicens (si Oxonem transirent) domos ad diuersandum, libertatemq; atq; priuilegia concessurum. Sed Ludouico cura fuit scholasticos continere, ne nobile regnum litterario splendore priuaretur, quem diuus Carolus Magnus autore Alchuino Parisii locauerat. Nam ante id tempus nulla scholæ conuentio apud Parisios fuerat instituta. Quare miror, quosdam doctrinæ sibi scientiam arrogantes, iactitare, ab Athenis diuum Dionysium Areopagitam, secutam scholasticorum multitudinem Romam primum, deinde Parisium demigrasse. Cuius rei verisimilitudinem nullo vel Græcæ locutionis, vel collegii, vel eruditi hominis vestigio confirmant. Nam ante Caroli Magni ætatem, apud Parisios scholasticorum conuentum fuisse, nemo scriptorum prodit. Alioquin ex Scotia venientes Bedæ discipuli, Parisiensis scholæ autores, frustra fuissent à Carolo constituti. Non negauerim tamen, aliquot qui literis operam dabant, imperatoris Caroli potentiam secutos, Parisium aduenisse. Nam illud nonnunquam visum est, vt literarum studiosi fortunam principũ amplectantur, sub quibus se quietissime victuros sperant. Erat comiti prouinciæ filia Margareta. Hanc Ludouicus à patre acceptam, vxorem duxit. Curauit quoq; Robertum fratrem terris atq; vxore donare. Nam Arthesium Atrebatemq; illi attribuit, desponsata Mathilde Brabantini ducis filia. Hoc fere anno, qui M. CCXXIX. dicebatur, altera insularum Balearium, id est, Maioricarum, & Valentia ciuitas à Terraconensibus è Mahumeti potestate recuperata est.

Regalis mons.

Scholasticorũ & ciuiũ Parisiensium dissensio.

Vt vt sit, asini sunt vtrobiq; satis multi.

Dum hæc geruntur, Federicus II. Romanus imperator, per nuncios Ludo-

uicum orat, ad Vallicolorem venire non recuset: habere se quæ illi communicata esse velit. Ludouicus delectu militum habito, cum ad locum peruenisset (Federico ægritudinem simulante) in Franciam se conuertit. Creditum est imperatorem fallere regem voluisse, vt si cum paucis aduenisset, compræhensum abduceret.

Corona Christi.

Per hos dies Balduinus Bizantinus imperator, Ludouico coronam Christi spineam dono dat, quam religiosissimo receptam apparatu, ex Vicennis ad Dionysianum cœnobium portari iubet, comitantibus se fratribus Roberto, Alphonso Caroloq; Nec multo post tempore Ludouicus cognito, quòd Balduinus rerum inops, bonam dominicæ crucis partem cum spongia & lancææ ferro, quibus dum cruci affixus Christus esset, potus & confossus fuerat, pignori obligasset, ingenti pecunia recepta: Ludouicus per Balduini assensum dissoluto ære, sacrosancta dominicæ passionis monimenta in regio apud Parisios sacello condit: institutis ibi ad Dei cultũ ministris. Deinde obstinatis in perfidia Albigensibus, cum multis militẽ Francum iniuriis afficerent: accito Iohanne Bellomontensi, rex illi imperat, copias in hæreticos ducere. Audiens regio dicto Iohannes, exercitum eduxit: atq; in primis arcem, quæ mons regalis dicebatur, expugnat. Deinde aliis atq; aliis locis, intra paucos dies, receptis: rebellem hæreticum domat, & pœnis afficit. Igitur rebus fœliciter expletis, postquam ad regem venit, magnis muneribus donatus est.

Crucis Christi partẽ cum spongia et lancea ferro pignori obligatam Ludouicus redemit.

Theobaldus Campanus Nauarræ rex.

Eodem tempore mortuo Nauarrorum rege, Theobaldus Campanus, eius frater, in regem à proceribus assumitur. Qui breui mora interiecta, collecto ex suis atq; Francis nõ contemnendo exercitu, in Asiam proficiscitur, animo rebus Christianis opem conferendi. Sed lasciuientibus & prædis intentis Gallis, neq; Theobaldo regi parentibus, res male processit.

Non receperat adhuc paternæ hæreditatis Alphonsus Ludouici frater portionem. Comitis Tholosati filiam Ludouicus illi vxorem dat: cum Pictauiæ atque Aruerniæ portione: & ea parte, quam in Albigesio tenebat. Mox vocato, regis iussu, comite Marchiensi: qui fidem Alphonso subiectionis iure præstaret: dehortante vxore, quæ Angli regis mater erat, ad Anglos, contempto Alphonso, comes defecit: apud quos multa fingens, quasi suis esset possessionibus à Ludouico eiectus: permouit regem exercitum in Gallias traducere. Ea re cognita, Ludouicus copiis coactis, in Marchiam expeditionem ducit: Monsteriolumq; & Bergam, arces munitissimas, occupat. Bergam autem prorsus desolauit. Nec moratus, Fonceum, vbi Gaufredus Lisigniacus erat, circumsidet: quem, & paulo post Nonontum vi expugnat. At mater Angli regis, vxor comitis Marchiani, postquam Ludouicum videt superiorẽ atq; potentiorem bello esse: veneno regem intercipere tentauit. Sed venientibus in Ludouici castra iis, quos venefica mulier ad perpetrandum facinus instituerat, cum depræhensi fuissent, puluerem in cibos regios iniicere, furcis appensi strangulati sunt. Quę res adeo Anglę mulieri indoluit: vt consciscere sibi mortem tentarit. Sed à suis impedita, perpetua ægritudine laborauit.

Veneno Ludouicus appetitur.

Cum ad hunc modum regis fortuna indies melior esset, & multi ad eum auxiliares iugiter aduenirent: ad Fontanetum arcem progressus, eam obsidione cingit. Est autem arx in medio fluento, altis turribus, & muro duplici extructa, quam ii, qui intus erant, diligenti opera defendebãt: ita vt à nostris parum damni acciperent. Ideo rex turrim ligneam erigi imperat ad eam altitudinem: vnde in arcem prospectus esse, & lapides telaq; iaci possent. Sed in turrem iniecto ab obsessis igni, machina conflagrauit. In ea oppugnatione Pictauensis comes, graue in pede vulnus accepit. Quamobrem Ludouicus oppugnationem redintegrat, tanta militum contentione: vt alii portas cremarent: alii funibus & scalis in muros scanderent: in arcemq; ad hunc modum irrumpentes, eam cum comitis Marchiani filio, & equitibus quadraginta, peditibusq; octoginta, captam solotenus, imperante Ludouico, diruerint. Fontaneto desolato: Villarium mox, quod ad Guidonem Rupefortensem pertinebat: qui Marchiani comitis partium erat, destruxit. Idem & aliis compluribus fecit: donec in conspectu hostium castrametatus est. Apud Taliburgum hæc gerebantur, & erat Charentum flumen traiiciendum. Ponte igitur facto, cùm Francus pertransisset, frumentatores Xantonas versus pabulantes, cum omnia per

agrum

agrum Xantonum corriperent, Marchianus comes in eos progreditur. Sed Ludouicus nihil cunctatus, auxilio frumentatoribus affuit. Primoque regis incursu Senescallus, comitis signifer interemptus est, moxque redintegrantibus, prælium regibus, præliatum est diu atque ferociter: Cessit tamen Anglus retro: & pedem referre cœpit. Henricus autẽ, cognita suorum fuga, Xantonas petit. In eo prælio multis occisis, capta sunt hostium duo fere millia. Cum Henricus Xantonas se recepisset: insequente nocte, receptis, quot poterat, ex fuga, militibus: portas sibi aperiri iubet: simulans in Francos ducere, quos inopinantes & hosterno labore defessos interciperet. Sed conuerso itinere, Blaiã profectus est. Quocirca Xantonibus animus fuit, Ludouico se dedendi. Quos imitatus est Reginaldus, Pontii dominus, venit & ad regem maior natu filiorum comitis Martiani, mandatis pariturus. Cui pax in hac formula concessa est. *Quæcunque belli iure de comitis possessionibus rex haberet, ea comiti Pictauorum Alphonso forent: ipse vero arces Messinium, Cretoyam atque Estardium sibi retineret.* Cognito quid filius apud regẽ effecisset, comes pater assumptis vxore & reliquis liberis, ad regem veniens, ad pedes eius prostratus, quę conuenta erant, roborauit, fidelitatis iureiurando interposito. Pacata ad Garonam vsque Aquitania: Henricus Blaiam deserẽs, cum Richardo filio Burdegalã traiecit. Vnde missis ad Ludouicum, de induciis, nunciis, eas ægre obtinuit: reclamantibus proceribus Francis, quos in Asia Richardus ignominiose habuerat. Per idem tempus Federicus imperator Germanus, Romanæ ecclesiæ aduersabatur: Cuius tyrannide pressus pontifex Romanus Innocentius IIII. Lugdunum delatus: regem per nuncios orat: ad se venire non tardet. Verum præpediente morbo: cum apud Pontisaram diu decubuisset, pontifici morem gerere non potuit. Eius morbi cùm nullum à medicis remedium esset, deo omnia attribuens Ludouicus, crucem dominicam sibi assumens: rebus Hierosolymitanis subsidium ferre, illoq; expeditionem ducere, voto se astringit. Recuperata sanitate, rex Cluniacũ ad Innocentium se contulit. Apud quem dies quindecim de Hierosolymitanorum rebus cõsulens: pontificali tandem benedictione suscepta in Franciam rediens, Beatricem, reginæ sororem, fratri suo Carolo despõdet: Andegauiamque atque Cœnomanniam attribuit. Innocentius vero Lugduni concilium generale celebrauit, Federicumque imperatorem imperio priuat. Cardinalibus insigne dat, quod capite perpetuo deferant, hoc est, rubrum galerum: idque diligenter seruatur. Quo pontifex eos admonitos esse voluit, paratos omni tempore esse debere, sanguinem fundere pro Christiani populi libertate tuenda. Dissoluto conuentu Lugdunensi, dum pontifex ad componendas Neapolitanas res contendit, Neapoli interiit, anno salutis CCLIIII. supra M. Memor deinde voti: paratis, quæ ad Hierosolymitanã expeditionẽ pertinebant, Parisios adiens: relicto Alphonso fratre, qui vnà cum Blancha matre regnum administraret, Lugdunum contendit: vbi Federicum timens, Innocentius agebat. Salutato pontifice, Ludouicus iter ingreditur: & mari, apud *aquam mortuam*, vbi classis parata erat, cõscenso, Cyprum appulit, vbi hybernauit. Eò venere ad eum Tartari quidam ab Erchaltao principe, cum litteris missi, quibus cognoscit, Chaam Tartarorum regem Christi fidem accepisse: & baptisatum esse: instructumque militem magno numero habere, quem in fidei hostem duceret. Gratulari etiam Ludouico, cui auxiliaris esse cuperet. Nunciis liberaliter acceptis, gratias habuit Erchaltao. Literarum, quas Andreas quidam, prędicatorum ordinis, Gallicas fecerat, matri Blanchæ Ludouicus demisit. Ad primum autem insequentis veris tempus, cùm apud Cyprum non pauci ex Franco exercitu morbo interiissent, Ludouicus soluens, in Ægyptum prospera nauigatione delatus est. Est Damyata Ægypti vrbs, Nilo adiacens, quæ & Heliopolis dicta est. Cum in vrbis conspectum classis aduenisset, Ægyptii per ripas dispositi, nostros à continenti facile repellebant. Sed desilientes ex nauibus Franci, hostem Damyatam repetere coegerunt. Positis, non longè ab vrbe, castris: primores Damyatani, igne per muri circuitum imposito, noctu aufugerunt. At nostri accepta illorũ fuga: loco potiuntur, atque ignem restinguunt. Ego autem legationibus volens abstineo, quas ab oriente ad Ludouicum missas quidam scriptores tradunt: quæ plus verborũ, quàm

Hẽricus Xantonas petit.

Marchia comes ad Ludouicũ venit.

Beatrix vxor Caroli Ludouici fratris.

Cardinalium insigne.

Ludouicus ad Cyprum appulit.

Damyata qua & Heliopolis

rerum, ad rem gestam, pertinentium habēt. Damyata capta: ruderibusque atque inquinamentis hostium purgata ciuitate, ritum Christianæ religionis, legatus, qui in expeditione cum Ludouico erat, ordinauit. Postquam à labore miles se refecit, Ludouicus ad Masseram (quam Pharmiam Platina vocat) exercitum ducit, quà Nili pars alluit. Dum exercitus composito agmine incedit, hostes nostros, vt poterat, premebat, quo cum leuibus commissis prœliis, Francus superior euadens, tandem insula, quam Nilus proxime Masseram efficit, castra deposuit: vbi varia fortuna pugnatum est. Nam tametsi hostis fuga & clade damnificatus est, amisso, inter cæteros, duce Pharhardino, tamen Ludouicus plurimis incommodis acceptis, fratrem insuper Robertum Arthesii comitem, amisit. Nam cum post hostiū fugam, stragemque Franci in castra se recipere debuissent, ipsi per agros palantes, regionemque lustrantes, hostem mox viribus acceptis, in se cōuersum senserunt. Quem ægre sustinentes, cum in castra rediissent, à tergo insecutus hostis, castra oppugnare nō distulit. Sed inde, egregia nostrorum defensione, repulsus est. Ad hæc incommoda, grauis quoque pestilentia, & fames Franco militi accessit, ita, vt rari integri essent. Eodem tempore ingentibus copiis instructus Soldanus Masserā aduenerat. Qui cognita, rerum præsentium, conditione: postquam accepit Ludouicum ægrotare: & de repetenda Damiata consilium capere, suos in armis stare iubet: qui statim iter agentibus nostris irruentes: & regem ipsum, duosq; eius fratres, Carolum & Alphonsum, cum reliquiis exercitus compræhendunt. Eos vero, qui infirmitate laborabant, per Nilum petentes Damiatam, ad vnum necauerunt. Ludouicum vero, Soldanus per suos medicos diligēter curare iubet. Curatum de induciis alloquitur. Quæ his conditionibus firmatæ sunt. *Ludouicus millia octo Bizantiorum Sarracenorum sui redimendi gratia solueret, Damiata Soldano restituta. Soldanus vero quosque captiuos ex Ægypto, aliisque suæ potestatis locis, liberos emitteret. Quæ nisi impleta redderet: iurat alioquin se Mahumetum pernegasse.* Eandem cōditionem cum Soldanus à Ludouico de Christo deo exigeret, iusiurandum religiosus rex exhorruit: negatque constanter, id se facturum. Induciis datis, Soldanus à suis occiditur. Eo interempto, homicidæ Ludouicum districtis gladiis conuenientes, petunt pacta sibi seruari, quæ cū Soldano cōuenissent. Igitur annuēte rege, Damyata hosti dimittitur. Demū, receptis fratribus & captiuis principibus, rex, dimissa Ægypto in Syriā venit. Hostis verò, de duodecim millibus captiuorum, tribus tantū millibus restitutis, reliquos vel trucidauit: vel Mahumeti impietati consentire coegit. Ludouico capto, exercitati plerique per Germaniam atque Galliam adolescentes: tanquā regem custodia eximere sperarent, conuenientes duce Hungaro: qui illis non aliter, quàm episcopus prçsidebat: magnam sibi sociorum multitudinem coegerant. Atque ita per Parisios Aurelianosq; & Bituriges profecti, cum non furto, non adulteriis abstinerent, à Biturigibus non longe à vico, qui mortuum mare dicitur, quà ad Nouamuillam iter est, perempti sunt. Hi enim pastorellos se nominare volebāt: De quibus hoc distichon scriptum esse comperio.

Robertus Arthesii comes moritur. — *Ludouicus capitur.* — *Nota Ludouici fidem & cōstantiam.* — *Fides ab hoste violata.* — *Pastorelli.*

M. semel, & bis. C. L. I. coniungere disce.
Duxit pastorum sæua Megera chorum.

Rex Pius.

At Ludouicus in Syria agens: ne repentino suo discessu, hostis pacta non seruaret: præmittit in Franciam fratrem, Pictauiæ comitem, qui administrando regno operam cum Blācha matre daret. Ipse interim, vt erat religiosissimus, cum Sidonē vrbem peteret, Christianorum cadauera, quæ per viam insepulta putridaq; iacebāt, suis manibus sepeliuit. Ioppen quoq; & alias per Syriam dirutas & maritimas vrbes, muris turribusque muniuit. Peregrinatus prçterea in ciuitatem Nazareth atq; ad Thabor montem: Ioppen regressus est. Vbi nuncio, de matris morte accepto: postquam debita deo, pro matris animæ salute persoluisset, post sextum huius expeditionis annum, Franciam repetere constituit: in quam Angli incursiones facere parabant. Eadem tempestate heremitarum ordo, qui Augustinensium appellatur, initiū dedit sanctitatis. Cum Parisium venisset Ludouicus, cōuentu generali habito, rēpublicā reformauit: statutis optimis legibus, de iure: à iudicibus, dicēdo: & de officiis nō emendis. De irreligiosis atq; execrabilibus iuramentis: de scortis quibus

Optimæ leges Parisianis à Ludouico latæ.

quibus domos & lustra habere ad explendam libidinem interdixit. Vetuit præsides atque prætores, quos aut balliuos aut præpositos appellant, possessiones in territorio suæ ditionis, dum præfecturam gerunt, comparare. Liberos suos matrimonio copulare incolis prouinciæ, cui præsidebant, prohibuit. Per id tempus præfectura apud Parisios venalis habebatur, solique ciues precio illā sibi, vel liberis suis, comparabāt. Vnde fiebat, vt inopes premerentur, opulenti omnia licenter agerēt, fures nullis pœnis afficerentur. Hanc venalitatē rex pohibuit, constituto annuo stipendio, ei, qui prçfectus esset. Atq; ita Stephanum Boilleum, iustitia atq; æquitate spectatum hominem, prçpositum instituit, qui officium adeptus, intra paucos dies statum ciuitatis longe tranquilliorem reddidit.

Stephanus Boilleus præpositus Parisiorum.

Interim, dum rex palatio egressus, audisset blasphemum quendam, dei nomen iterū temere assumere, candenti ferro labra deierantis inurere iubet. Erant in cœnobio diui Nicolai Laudunensis adolescentes tres ex Flandria nobiles, discendi sermonis Franci gratia illic à parentibus positi. Hi laxandi animi causa arcu & sagittis desumptis, cum in proximū cœnobii saltum processissent, feramque vltra monasterii fines persequuntur, siluæ custodes ab Enguerranno Conciaco constituti, adolescentes compræhensos ad Enguerrannum ducunt, quos non secus, ac alienæ rei inuasores habitos, patibulo appendit.

Enguerranni Conciaci feritas.

Quare, an Ludouicum, per Gillum Brunum, Francię conestabilem, delata (hoc enim est nomen eius, qui militiæ apud Francos primus, post regem, præficitur) Enguerrannum ad se vocat. Venientem tametsi Ludouicus vltimo supplicio plectere animo cogitaret, flexus tamen precibus amicorum, quos apud regem multos habebat, Enguerrānus, decem illum millibus librarum Parisiensium mulctauit, atque trienni exilio in Syriam ire, ibique opem, aduersus Sarracenos, Christianis ferre imperat. Ex Enguerranni mulcta hospitalem domum, apud Pontisaram apud Parisios dormitorium, fratrum ordinis diui Dominici, tecto cooperire, & minorum ecclesiam extruere iubet. Et cùm inopum atque egenorum curam sollicitissime gereret, iis qui luminibus orbati essent, locum Parisii assignauit, sacello atque cellulis, vbi habitarent extructis, quem cæcorum locum appellauit. Eius quoque impensa, complures religiosi cœnobia Parisii ædificauerunt. Ipsius Ludouici opus est, domus hospitalis secus Sequanæ littus, prope templum diuæ Marię Pariensis. Et præterea apud Compendium sancti Nicolai diuersorium egenorum. Est & Rothomagi apostoli Mathei cœnobium, & apud longum campum, monasterium monialium, diui Francisci regulā profitentium. Attribuit quoque diuerticulum pœnitentibus fœminis, quæ à libidine resipiscerent, quas dei filias appellauit. Cartusiensibus etiam, extra vrbem, ad sancti Michaelis portā, monasteriū dedit. Deduxit præterea ex monte Carmelo viros religiosos, quos à monte ipso Carmelitas dicimus: quibus apud Parisios locum ecclesiamque attribuit.

Carmelitæ.

Huiusmodi operum studiosus rex, alieni quoque minime tenax erat. Vnde venientem ad se Henricum Angliæ regem, ad annum salutis MCCLIX. summa charitate excepit, dimissa illi Aquitania, ea quidem lege, vt Normāniæ, Andegauiæ atque Cenomanniæ cederet: ob quas, magnæ olim contentiones, inter Francos Anglosque extitissent: & à Philippo Augusto receptas, Francię reges, ad eam ætatem, possedissent. Addidit quoque Lemouicenses, Petragoricos & Cadurcos. Agenensem vero agrum, quem Alphonsus, eius frater, nuptiarum lege tenebat, ab Anglo grandi pecunia redemit. Adiecit præterea Xantonum partem, quæ vltra Charentam amnem est, retenta regibus Francis suprema ditione atque potestate. Et ne timoratæ conscientiæ rex, scrupulo trepidantis animi offenderetur, quingentis militibus annuum stipendium constituit: quos Hierosolymam, aduersus Christianæ religionis hostem, Anglus mittere decreuerat. Firmata iureiurando inter reges pace, Anglus in Angliam transfretauit. Ludouicus missis, ad Iacobū Tarraconensium regem, nunciis, Isabellam eius filiam Philippo filio vxorem impetrat. Atque per has nuptias, Iacobus Carcassonem vrbem, cum aliis quibusdam locis, quæ in prouincia tenebat, Ludouico reliquit. Ludouicus contra Russilionem Cathaloniamque, de quibus controuersia agebatur, Iacobo permittit.

Isabella filia Iacobi Arogonum, Philippo Ludouici filio nubit.

Eodem tēpore Manfredus Federici imperatoris nothus, Siciliæ regnum occupabat. Cui Alexander

IIII. pontifex Romanus communione hominum interdixit, quòd sedem apostolicam infestaret, militantibus cum eo Iudæis, atque Sarracenis. Præterea, & qui Alexandro successit, Vrbanus IIII. Manfredi tyrannidem persecutus, Ludouicū per nūcios orat, festinet ad se mittere Carolum, eius fratrem, Andegauiæ ducem, cui Sicilię vtrumq; regnū cum Apulia & Tarento donaret, graue profectò incommodum Andegauorum familiæ. Hinc enim bella geri oportuit, quibus Andegauorum principes, ad Carolum vsque VIII. Franciæ regem occupati, vano labore & plurimo dāno sese extenuarant: Pontificibus Romanis, nunc ad Francos, nunc ad Tarracones aut Hispanos, pro temporum conditione, inclinantibus. Nam Calixtus III. & Pius II. pontifices Romani Renato Andegauensi, atque Iohanni, eius filio, palam aduersati sunt: tutantes Ferdinandū nothum, cui pater Alphonsus Apuliæ regnum contulerat, retento sibi Siciliæ regno. Itaque illud verū est, *Italam gentem in Gallos tam perfidam semper extitisse, vt nulla expeditio alpes ex Gallia, ob huiusmodi causam, transcenderit, vnde laceri & mendicātes milites Franci non redierint.* Hadrianus, nempe V. Caroli Andegauensis potentiā veritus, eum persequi cogitauit: sed morte præuentus est. Vrbanus præterea V. Ludouico, huius I. Caroli nepoti, inimicus fuit: Carolo Vngaro fauens, aduersus Iohānam reginam, quæ Ludouicū in filium adoptasset. Consueuerunt enim Romani pontifices statim eos suspectos habere, quos in regno hoc Sicilię prosperari cognoscūt. Cognita pontificis voluntate, rex, communicato, cum fratre, consilio, morem Vrbano gerendum esse constituit. Igitur plurima militum manu collecta, Carolus aduersus Manfredum, Philippum Montifortensem pręmittit, qui viam Romanam, per id tempus à Manfredi milite obsessam, patefaceret. Subacto, per Philippum, viarum impedimento, Carolus per Lombardiam Romam petere iubet, ipse Marsiliā profectus, instructa triremi: ducibus Guillermo, Cornuto & Roberto de Basles, peritissimis naucleris Ostiā delatus, Romæ tandem exceptus est. Mox adepta senatoria dignitate diadema quoq; Siciliæ regni (donante Clemente Vrbani successore) accepit, annua quadraginta millium ducatorum pensione indicta, quam sedi apostolicæ solueret. Additū quoque est, imperium non reciperet, etiam si ad illud gerendū accerseretur. Cum Romaniam miles Frācus nondum attigisset, Carolus Romæ aliquot dies moratus est. Recepto verò exercitu, & pontifice salutato: cum sancti Germani arcem, fortissimo præsidio defensam, expugnasset, in Manfredum, Beneuenti agentem, mouet. Commisso vtrinq; prælio, Manfredus occubuit, & Beneuentū vi receptum. Reliqua, gesti à Carolo, in Apulia, belli, non persequor. Satis enim illud constat, Manfredo atq; Conrardino superato: Henrico item Hispaniensi fugato, & apud montem Cassinum, per loci abbatem capto, & in carcere vincto, Carolum regno esse potitum, donec Constantia Aragonum regina bellum aduersus eum instaurauit. Dum hæc in Apulia à Carolo geruntur, legatus à pontifice Romano ad Ludouicū Parisiū venit, qui regem ad Hierosolymitanā expeditionē hortaretur. Nullum negocium fuit, sua sponte currentē promouere. Conuocato enim ex toto regno cōcilio, postquā legatus rei Christianæ in Syria statum longa oratione patefecit, omnes pari voto fidei causam amplectentes, vna cum rege cruce se insigniunt. Classe igitur apud aquas mortuas parata, rex cū tribus suis liberis, Philippo, Iohanne, atq; Petro, anno Christianæ gratiæ. M. CCLXIX. exercitū eduxit. Condito prius testamēto, regniq; administratione & custodia Simoni de Nella & Dionysiano abbati, Matheo Vindocinensi permissa. Impositis classe militibus, cū in altū delati sunt, ægre per sæuissimas tēpestates ad Sardiniam insulā appulerunt. Vbi recreatis iis, qui morbo affecti erant: cū reliquæ naues ex Marsilia aduenissent, Thuniciū nauigare consilium fuit, propterea, quòd eius terræ princeps, missis, aliquando ad Ludouicum nunciis religionem Christi profiteri proponeret, si per procerum suorum voluntatem commode posset. Hac spe adductus rex, cùm non longe à Carthaginensi portu abesset, Admiraldum cum aliquot nauibus præmittit, qui duabus tantùm magnis in ipso portu nauibus visis, eas occupat, & militem in continentem educit, significans regi, opus esse maiore manu. Igitur Ludouicus mouens, cùm nocte illa copias nauibus continuisset, interim hostis littora armatis complet.

Ecce constantiam Pontificum Romanorum.

Altera in Syriam expeditio

Thunicum Ludouicus petit.

Egressis

Egressis tandem in terram nostris, fontesque aut puteos quærentibus, occurrit copiis potẽter instructus hostis. Qui tametsi summis viribus Francos adoriretur, decem tamen millibus suorum occisis, terga vertit. Re bene gesta, classis præfecti Ludouicum conueniunt. Admonentque, Carthaginem non magno negocio expugnari posse, si ad muros vrbis copię promouerẽtur. Acceptis à rege copiis, præfecti Carthaginẽ oppugnare constituũt. Interea hostes eruptione facta castra nostrorũ inuadunt. Sed castrorũ Marescallus, educto in hostem milite, inter vrbem hostẽq; suos locat: præfecti verò classis, signo dato arcem aggrediuntur & capiunt. Arce à nostris occupata, Ludouicus cum iis, quos secũ habebat, Marescallo se cõiungit, atque ita Sarraceni vertuntur in fugam, multis eorum interemptis, multis etiam in abditissimis spelũcis saluatis. Post habitam victoriam rex Carthaginem ingressus, Thunicium proficisci distulit, donec Carolus Sicilię rex, vt promiserat, aduẽtasset. Et quia crebris incursionibus hostis exercitum vexabat, vallo fossisq; munire castra iubet. Ea re cognita, Thunicii rex contracto numeroso exercitu, ordinatisque aciebus, ad maris littora procedit, vbi naues in anchoris stabant. At Robertus Arthesii comes, primam hostium aciem, promoto è castris milite, intercipit. Iohãnes item Cambellanus, diuerso à Roberto itinere ducens, ita hostes compressos dedit, vt eis paruam se tuendi potestatem relinqueret. Elapsi tamẽ, fugæ se comittũt, comitantibus, his, qui ex arce cum ingentibus spoliis aufugerãt. Interfluentibus post hæc paucis diebus, propter pestilentes aquas & aeris intemperiem, morbus exercitum inuasit, mortuique sunt in primis Iohannes Tristanus, Niuernẽsis comes, & Romani pontificis legatus, & plebeii non pauci. Et Ludouicus ipse, ventris profluuio laborãs, postquam ad se vocatũ Philippum filium salutari doctrina admonuit, sacris Christianis, multa religione ac pietate, perceptis, cinericio strato decumbẽs, septem & quinquaginta annos natus, animã efflauit: qui per omnẽ vitam singulari charitate pauperes curauit, ita vt quoq; die centũ & viginti inopes, quotidiano alimẽto reficeret, præter alios, quibus Christi exẽplo, pedes ipse abluebat. Nec horrori sibi erat, exulceratos fætenti sanie leprosos osculari: & eos ad colloquiũ admittere. De Ludouici obitu, incertus mihi autor, hoc distichõ edidit: quod nõ tam propter carminis vetustatem, quàm ad piissimi regis memoriam historiæ coniunxi.

Hostis Sarracenus fugit. — *Thunicii rex* — *Pestilentia in exercitu Francorum.* — *Sanctus Ludouicus moritur* — *Ne quid nimis*

Anno milleno bis centum septuageno,
Thunis Catholicus decessit Rex Ludouicus.

Suscepit ex Margareta, comitis prouincię filia, liberos IX. Philippum, qui successor eius fuit. Ludouicũ qui iuuenis interiit. Iohannẽ Niuernensiũ comitẽ. Petrum Alenconium & Robertũ comitem Claromontanũ agri Beluacensis. Isabellã, quã Theobaldus Nauarrorum rex coniugem accepit. Blanchã Ferrandi Castellæ vxorem. Margaretam, cui Brabantia, mortuo viro, accessit, Et Agnetam, Roberti Burgundi ducis, vxorem. Ab hac, quam Ludouicus thori consortem acceperat, extructũm est, in suburbano, sancti Marcelli cœnobium, quod cordigerarum Parisiani vocant: vbi rege defuncto, continentissime habitauit. Mortui regis ossa carne nudata, ad sanctum Dionysiũ elata sunt, & humo commẽdata. Dum autẽ à Parisiis funus effertur, fuere designatis locis stationes, vbi pyramides cum lapideis statuis & Christi cruce constructæ, quæ ad hanc vsq; diem persistũt. Eius tam religiosi principis plurima opera, miraculis comprobata, leguntur & creduntur. Omni quadragesima, & per solennem Christi aduentũ, & diebus quattuor, ab suscepta eucharistia, vxoris concubitu abstinuit. Peccatorum confessionem omni sexta feria sacerdoti faciebat. Erat illi flagellum, quinq; cathenulis ferreis confectũ, quod in eburnea pixide ferebat. Quo à sacerdote, post factam confessionem, detectis scapulis, percutiebatur. Cilicio frequenter vsus est. Eo cùm, admonente cõfessore, abstineret cingulo, cilicino ad nudã carnem vtebatur, & nihilominus solidos XL. pauperibus sacerdotis ministerio dietim dari iussit. In archiuis Caroli V. reperta est chartula præceptorum, quæ hic diuus rex, filio suo primogenito, dum Thunicium obsidebat, dictauit & scripsit. Quam ex Caroli thesauro receptam, Girardus de Monteacuto, regius scriba, Carolo exhibuit, anno salutis M. CCCLXIIII. Quæ omnia quia salutaris disciplinæ plena sunt, ita latina feci.

Ludouici liberi. — *Pyramides Dionysianæ.* — *Austera Ludouici vita.*

1 *Deum libera mente amato, quo sine nemo saluus est.*

2 *Nullo illum crimine offendito.*

3 *Tolerabilior tibi mors esto, quàm peccatum.*

4 *Si te premet aduersitas, durato, tanquam commeritus. hinc tibi prouentus accrescet.*

5 *Si prospera blandientur, gratias illi exsoluito. Non superbito. Dementis est ob acceptum beneficium in datorem extolli.*

6 *Perito & sapienti sacerdoti, tuam frequenter conscientiam aperito: qui te intrepidus male operantem libere reprehendat, doceatq; quid sequaris.*

7 *Diuinam rem atque ecclesiasticam religiose auscultato. Nec confabulator huc atque illuc circunspectans, sed voce menteque deum orato: illo maxime tempore, cum hostiam consecrat tractatq; sacerdos.*

8 *In egenos pius esto, & miseriis illorum pro tuis facultatibus subuenito.*

9 *Cùm tibi animus dolet, anxiusque erit: id quod molestum est, aut sacerdoti, aut fido tibi amico reuelato: quodcunque illud est, leuius feres.*

10 *Religiosis aut probis sæculi viris sæpius communicato. Perditis autem atque perfidis abstineto.*

11 *Sanam doctrinam clam palamve libens audito.*

12 *In quaque re bonum diligito: malo ne faueto.*

13 *Nulli fas esto, te coram loqui, quod peccati præ se ferat exemplum. Igitur detractoribus dum ades, fores recludito.*

14 *In deum, & sancta blasphemos, indemnatos non præterito.*

15 *Pro acceptis bonis, deo gratias sedulus agito, vt meliora recipere dignus habearis.*

16 *Erga Christicolas, pro æquo & bono, rigidus rectusque esto, nec in nullam partem inclinato.*

17 *Pauperum causis eatenus faueto, quoad verum se prodat.*

18 *Si aduersum te quæstio agitatur, minus tibi, quàm litigatori, donec verum compereris, indulgeto: eo pacto, iis, qui tibi assistunt, consules: liberiusque & sanctius iudicium fiet.*

19 *Si quid alienum ministri tui, vel ipse occupas, idque certo nosti, mox restituito.*

20 *Si dubia res est, inquisitoribus, qui verum protenus peruideant, committito. In hoc enim maxime te versari decet, vt ii, qui magistratus gerunt, quique tibi subduntur, quietissime viuant: & imprimis viri religioni & diuinis rebus addicti. Ego enim à maioribus accepi, Philippum optimum regem, vnde nostrum genus deducitur, id diligentissime obseruasse. Cum enim ex consiliariis eius aliquot ad eum detulissent, ecclesiasticos homines ditionem & regia iura vsurpare, vnde sua dignitas atque amplitudo læderetur, credo, inquit, id, quod loquimini, à vero non abhorrere. Sed dei beneficiorum memor, meis aliquid rebus detractum iri malo, quàm dei & ecclesiam & seruos in contentionem adducere, propter quod scandalum oriatur. Igitur dei famulos, quàm maxime potes, diligito, & paci consulito.*

21 *Parentibus reuerens esto, eorumque præcepta ne spernito.*

22 *Sacerdotia, id est, ecclesiastica beneficia, bonis & optime merentibus conferto. Cùm hæc facturus eris, prouidos antè homines consulito.*

23 *Bellum, nisi apprime consultus, in Christianum ne gerito. Si gerendum erit, ecclesiam atque insontes protegito.*

24 *Omni bello, & contentioni finem imponere, diui Martini exemplo, quoad potes, studeto.*

25 *Prouidos tibi ministros & magistratus instituito, eorumque mores, & opera scrutator: nec domesticorum facta omittito.*

26 *Peccatis te obiicito.*

27 *Execranda iuramenta prohibeto.*

28 *Nouis sectis & hæresibus, capita, id est, initia præscindito.*

29 *Domesticæ impensæ curam adhibeto, eamque rationis lege moderator.*

30 *Deniq; fili, te hortor atq; obsecro, si præ te, terris abiero, animæ meæ obsequiis, & rebus diuinis subuenito: &, quæ post hæc feceris, bonorum omnium mihi partem concedito.*

31 *Illud ad extremum, fili charissime, deum precor, det tibi quasque benedictiones, quibus probatissimus pater filio benedicere potest. Et, qui* TRINVS *&* VNVS *colitur,* DEVS, *te custodiat, aduersum mala omnia te protegat, ita, vt à te iugiter honoretur, vnaq; cum illo, post huius vitæ exitum, viuere & illum laudare mereamur.*

Hæc

Hæc in archiuis Ludouici, Gerandus de Monteacuto, regius scriba, se reperisse, & Philippo successori præbuisse, constanter affirmat.

Eo die, quo Ludouicus mortem obiit, Carolus, Siciliæ rex, in castra Francorum venit. Cui obuiam procedentes primores exercitus, dissimulato (vt poterant) mœrore, Carolum excipiunt. Verum non ita facile dolor occultatur, quin aliquo se indicio prodat. Igitur Carolus languentem quandam procerum lætitiam admiratus, mox, qualiter se frater gerat, percontatur. Respondentibus illis, regem quidem morbo affici, festinat Carolus Ludouicum inuisere. Quem vt mortuũ conspexit, humi prostratus, cum breuem ad deum orationem emisisset, surgens à lachrymis temperauit, nec mœstitiæ signũ prodens, bono animo esse reliquos hortatur: ne ex damno, recenter accepto, hostis ferocior esset, qui consuetudinem fecerat, castra Francorum per dies quosque iaculis offendendi. Ad quartum enim lapidem, è regione castrorum nostrorum, castra Sarracenus habebat: & quamuis in nostros, intra vallum se cõtinentes, tela eminus emitteret, erumpentibus tamen Francis, nunquam prælii potestatem hostis exhibebat. Dum his leuibus præliis assueti essent, collectis demum maioribus copiis, munitiones Francorum obire, & late per agrum vagari, ad ostentationem cœperunt. Quam rem animaduertentes Franci, castris egressi, in hostem pergũt. Et quamuis paulo longius Carolus copias haberet: nihil tamen cunctatus, militem educit, simulans fugam, vt hostem aliquo astu falleret: quem insecuti Sarraceni, velut fugientem compræhensuri essent, Carolum statim in se arma vertere, & Francos à tergo venire conspiciunt, ita, inter duas acies, interceptus hostis, multa suorũ clade accepta, ad castra se recepit. Tria millia occubuisse illic traduntur, prẹter eos, quos fugientes mare desorpsit. Periere præterea complures in fossis, quas in perniciem nostrorum, superiecto sabulo, Sarracenus extruxerat: Erat, inter hostium castra & Thunicium, maris sinus, quo in vrbem commeatus affatim importabatur. Hunc vt hosti præcluderet Carolus, accersitis fabris lignariis, spaciosam turrim ligneam ædificari, & ad sinus oram admoueri mandat. Quod postquam rex Thunicii cognouit, coacto, ex omni regno suo, ingenti exercitu, aut terrere Francum, aut omnino perdere statuit. Progredienti Sarraceno, Christianus exercitus occurrit, fugatque atq; persequitur. Destitit tamen longius abire, eò, quòd lassus esset miles, & insidias ab hoste positas esse, vereretur. Igitur in castra hostium conuersus, omnia diripit atq; incendit. Hanc victoriã grauis pestilẽtia secuta est, à qua nec Sarracenus immunis euasit. Quamobrem adductus Thunicii rex, caduceatorem de pace ad Philippum regem mittit. Induciarum hæ fuerunt leges: *Impensam omnem præsentis expeditionis Sarracenus auro compensaret, annuum tributum, quod Siciliæ regibus soluere tenebatur, Carolo quotannis penderet. Captiuos Christianos, liberos dimitteret, pateretur que Christi fidem, in sua gente, per fratres, ordinum diui Dominici, atque Francisci, libere annunciari & doceri, neque suos prohiberet sacris initiari Christianis.* Auri parte dissoluta, decennes induciẹ iuramento pactæ sunt. *Cap. 3.* *Carolus Andegauensis Siciliæ rex.*

Demvm parata classe & milite recepto, Philippus per Siciliam (vbi patris viscera, in monte regali, terræ sunt religiose commendata) & inde per Italiam in Galliam se contulit: Isabella vxore in itinere defuncta, &, Nauarrorum rege, Theobaldo, apud Drepanum, mortuo. Cum autem Viterbium Philippus venisset: dissidentes, de pontifice instituendo, cardinales ad concordiam adduxit: qui in Theobaldum Leodiensem archidiaconum, eo tempore in Syria agentem, conuenerunt: qui, Gregorius x. appellatus est. Regni autem diademate, Remis, à Suessionensi antistite, adepto: Viromandiã Arthesiumq; à Roberto fratre inuitatus, visere constituit. Qui, licet inter delitias pro regia dignitate versaretur, tamen post amissam vxorem, cilicio continenter vsus est. Cum autem tertium annum regnasset: dissidentibus, per odium Arminiaci, comite & Girardo de Cassabona: Philippus Girardi caussam tuebatur. Sed Arminiacus ad Cassambonã accedens, multis opprobriis cum Girardum lacessisset: Girardus iniuriarum impatiens: castello egressus in Arminiacum prosiliit: & comitis fratrem, quem imprimis occurrentem sibi habuit, necat. Quo incommodo affectus comes, accersito in auxilium comite Fu- *Cap. 4.* *Rex Philippus sacratur.* *Armeniacus comes.*

xensi, in Girardum ad Cassambonam progreditur. At Girardus hostium potestatem veritus: in castellum, quod Philippi erat, cum vxore & liberis se recepit: regis auxilio implorato: cui se causamque omnis dissidii permittebat. Verum Arminiacus Fuxensisque parui Philippum habētes: Girardum obsident, & castello expugnato, omnes incolas occidunt: præter Girardum, qui clam forte fortuna, aufugerat. Eam rem grauiter ferens Philippus: copioso admodum exercitu contracto, Fuxum petit: vbi in arce, situ atque arte munitissima, multis satellitibus stipatus, comes agebat: securus loci, quem inexpugnabilem arbitrabatur. Ad quem, cum Philippus, propter scopulorum rigorem, & viæ angustiam, proxime castra admouere: nec militem promouere posset: rupem concidere: & angustias proferre instituit: non se inde abiturum professus, priusquam arcem diruisset. Constantiam Philippi secum reputans comes, nuncios ad regem mittit: qui, eum ad omnem obedientiam paratum esse, testarentur. Iussus ergo comes, ad Philippum supplex accedit: quem in custodiam missum, anno toto vinctum tenuit. Abductis inde vxore & liberis comitis, Philippus Parisium repetit. Exacto anno, liberatus carcere Fuxensis comes, possessionem omnem à Philippo recuperat. Eodem prope tempore, anno salutis MCCLXXII. patrum synodus, præside Gregorio X. Romano pontifice, Lugduni habita est: vbi de expeditione in Syriam ducēda actum est. Philippus, cognito pontificis aduentu, ad eum salutandum profectus, postquam de Christiano statu, diu confabulati sunt: tres, Lugduno finitimas, arces in potestate Gregorii, donec synodus solueretur permisit, attributo insuper, ad pontificis custodiam (non paruo numero) milite. Affuit consilio Pelęologus Græcus imperator, ecclesięque occidentali se vniuit. Quem nonnulli ex Tartaris secuti, sacro lauacro abluti sunt, & Christiani effecti. Rediens Lugduno Philippus, Mariam, Henrici Brabantini filiam, (quia forma erat, & pudicitia, insignis) duxit vxorem. Mortuo deinde Henrico Campano Nauarrorum rege, filiam eius Iohannam, à matre ad se deductam, in tutelā recepit: misso, ad Nauarros, Stephano Belmarchio, qui fidelitatis iuramenta puellæ nomine à proceribus exigeret. Quo tēpore Petrus, Philippi frater, Alenconii comes, Iohannam, comitis Blensensis filiam, duxit vxorem. Per idem tempus Ferrādus, Castellę regis filius, qui ex Blācha, Ludouici filia, duos liberos, Ferrandum & Alphonsum susceperat, moritur. Cuius morte, post patris decessum, regnum Castellæ sicut ex conuentione nuptiarum conuenerat, ad alterum ex Ferrandi filiis, pertinebat. Sed perfidus rex, pater Ferrādi, cum Sanxium superstitem Ferrando videt, matre Blancha, filiisque exhæredatis: proceribus Castellanis imperat, Sanxium in suum regem admittant, eique debitam præstent fidem, præsertim, cum se ætate & morbo confectum, administrando regno, non satis idoneum iudicaret. Sanxio rege instituto, pater nihil prorsus terræ aut ditionis, suis nepotibus distribuit. Sed admonitus est à Philippo, vt, pactorum recordatus, nepotum iura seruaret: aut, si id minus vellet, Blancham & liberos eius, ad se dimitteret. Permisit igitur Castellanus veternosus rex, Blancham cum liberis Hispania abire. Ad hoc Philippi incommodum, alterum successit: mortuo, non sine veneni suspicione, Ludouico, eius filio: Cuius autor, veneficus Petrus Brochius, regis cubicularius, esse putabatur. Nam sępenumero reginam Mariam insimulabat: quia mulier, videlicet nouerca: prioris matrimonii liberis regnum inuideret: optaretque ex se partos, ad id dignitatis promoueri. Cùm de ea re inter aulicos & regni proceres rumor increbresceret: nec vlla ratione tāti flagitii patrator inueniri posset: vaticinio rem quærere instituit. Erat apud Niuellam Brabantię oppidum, religiosa, ex Beguinarum professione, mulier, vaticinandi perita. Ad hanc consulendam, Philippus Petrum Baiocum antistitem, vxoris Petri Brochii consobrinum, & Stephanum, diui Dionysii abbatem, legat. Hi, cum Niuellam peruenissent: Petrus Baiocus simulans superesse sibi aliquid diuini obsequii quod non absoluisset: relicto domi abbate, ad vatem contendit. Cognoscitque ex illa, quis Ludouici necem procurasset: & simul mulierem obtestatur: ne suo collegæ, abbati, reuelet homicidam. Quæ paulopost à Stephano rogata, respondet, quæ de cæde nouerat, ea Baiocensi episcopo dixisse: à quo, si velit, sciscitetur. Hoc astu pręuentus à Petro Stephanus: etsi

Caussa Synodorum per Pōtifices coactarum res mundanae

Palæologus.

Contentio de regno Castellæ.

Petrus Brochius veneficus.

etsi doli suspicionem haberet: re dissimulata, vna cum antistite, ad Philippum redit. Quem cum in primis rex de Beguina interrogasset, atque ex eo, quid Baiocus pontifex fecerit, accepisset: vocato ad se episcopo, quærit, quod fuerit mulieris, de filii cæde, oraculum. Quo respondente, se oraculum à muliere, sub sacræ confessionis signaculo, audiuisse: neque id, pro sacerdotali integritate, atque taciturnitate, reuelare posse: Et ego rex, inquit, episcope, non vt confessorem, sed vt nuncium ad vatem te legaueram. Sed propterea indiscussum crimen non vltra differam. Accersito igitur Theobaldo, Dolensi pontifice, atq; Arnulpho, milite templario, his negocium imponit, vatē conueniendi. Qui legatione diligenter expleta, Philippo referunt, reginam culpa carere: alterū esse, qui facti conscius, ante Philippi oculos, dietim versetur. Hac relatione, quamuis tristiciam Philippus contraxisset: dolorem tamē dissimulat. Atque interim sororis Blanchæ, quæ ab Hispano rege contempta fuisset, reminiscens, sororia iura repetere constituit. Cuius rei causa, comparato exercitu, per Pictauiam atque Vasconiam, ad Saluam terram in Pireneo saltu oppidum, copiis promotis: tandē sęua hyeme impeditus, commeatuq; defectus: ex quorundam procerum, quibus expeditio non placebat, consilio, militem domum dimittit: misso, in Nauarrā, cum delecta militum manu, Carolo, Arthesii comite, qui belli motū sedaret, suppetias ferens Eustachio Belmarchio: quē seditiosi quidam Nauarræ primates, Pampilonæ obsessum tenebant. In eo belli negocio, cum secunda fortuna Carolus vsus esset, Castellæ rex Carolū per nuncios oratum facit, ad se concedat. Sed id facere Carolus distulit, donec Philippum de re ipsa consuleret. Fx consilio regis, cum ad Castellæ regem Carolus accessisset, longa cōfabulatione habita, Castellanus Carolum orat, vt conciliator pacis, inter Philippum & se, interueniat. Et vix quidē hæc locutus fuerat Castellanus, ecce tabellarius ex Francia cum epistola venit: literasque Castellę regi dedit. Eas postquam rex perlegit: O Carole, inquit, non sum amicorum ope destitutus. Sunt apud Francorum regem, qui mihi diligenter obsequuntur, meque de his, quæ apud Philippū geruntur, efficiunt certiorem: Quibus & te conuenire oportuit, qui mihi es consobrinus. Talibus colloquiis postquam dies aliquot exacti sunt, Carolus vale regi dicto, Nauarram petens: ordinatis rebus, ad Philippum in Franciam venit, narrans, quæ à Castellæ rege ipse audiuisset, esse apud eum, qui arcana ipsius consilia inimicis proderent: de qua re cùm Philippus magnopere sollicitus esset: contigit, vt tabellarius, qui ad regem Castellæ litteras à Petro Brochio, per idem tēpus, acceperat, morbo interceptus, priusquam mortem obiret, litteras ipsas monacho cuidam tradiderit, Philippo perferēdas: per omnem religionem obtestatus, quòd nemini, nisi Philippo, litteras redderet. Acceptis litteris, monachus ad regē proficiscitur, vt tabellario promiserat, cōmissa absoluit. Intelligit rex ex litteris, Petrum Brochiū perfidum & rerum suarum proditorem esse. Nam ex diplomate & sigillo cognitus est autor. De quo nihil dubius rex, Brochiū depręhēsum: Parisii in custodia haberi iubet. Quod vbi cognouit Baiocus pręsul: Romā aufugit: ecclesiæ præsidio protegendus. Conuocatis Parisii paucis post diebus proceribus: morte dānatus est Brochius, quē carnifex excipiēs, ante solis ortū patibulo strangulauit. Brochio vltimo supplicio affecto, Philippus atq; Castellanus rex: cū hic Baionę esset: ille apud Mōmarsanum ageret: & per legationes vltro citroq; missas, de Blāchæ & filiorū iniuriis tractaretur, nuncii à pōtifice Romano Martino IIII. veniūt, qui reges ad pacē cēsura ecclesiastica cōpellant. Hæc causa extitit, quamobrē Philippus cœpta nō est persecutus. *Magna in excelso principe vel humilitas vel socordia, ad sacerdotis imperiū, causam innocētis sororis & pupillorū deserere.* Deseruit tamē Philippus, & profectus inde, Aragoniæ regē, Petrū occurrentē sibi habuit. Qui paucis apud Tholosates diebus moratus, in Cathaloniā remeauit: vbi Cōstātia eius vxor, ex Māfredo genita virū docet, tēpus aduenisse, cū Siciliæ regnū, ad se pertinēs, occupare posset. Eadē tempestate Sequana fluuius, tam exundanti aquarum incremento intumuit: vt maioris, ad Parisium, pontis testudines sex dissoluerit, & minoris vnam: vrbe per gyrū aquis circunsepta. Ad Petrum Aragonū redeo. Agente importune apud virū Constantia ne Sicilię res negligeret: adductus quoq; à Nicolao III. Romano pontifice, qui

Bellum in Castellanos inane.

Petri Brochii proditio reuelatur.

Petrus Arago.

Sequanæ exundatio.

qui Caroli regis potentiam minorem facere cupiebat: vt Cōstantiæ, suæ vxoris, ius in Sicilia vindicaret, Petrus, missis Messanam Panhormumque nunciis, iubet terrę conditionē & statum inquiri. Communicato cum ciuibus consilio, nuncii, adductis secum regni quibusdam primariis, ad Petrū reuertuntur. Cum quo fœdere icto, Sicilienses, cum in vrbes suas quique cōcessissent, constituta ad detestabile facinus die, cum per ecclesias signum daretur, cantandorū vesperorum: omnes Gallicæ stirpis, vna cum grauidis vxoribus necant. Nec defuerunt, qui matribus exsectis, euulsum ex vtero fœtum, ad parietem allidерent: ne quid Franci sanguinis apud eos post hac extaret. Idem periculum accidit apud Forum Iulium. Cum enim in obsidione Guido Appius agеretur: & pontificis Martini IIII. Forum Iulium recuperare contenderet: Guido Bonatus, astrologus non vuulgaris, considerata syderum oportunitate, ciues ad ęruptionem excitat: Guidonemque cum octingentis Gallis fudit & occidit. Tam impatiens est gens Italica gallicæ superbiæ & libidinis in fœminas. Hoc crudeli initio Petrus spem cepit: & simulata in Sarracenos expeditione, in Sciliam mox, aduersus Carolum Andegauum, se conuertit: qui eodem tempore Messanam obsidebat. Contra verò, Philippus de rebus Siciliæ sollicitus: vt Petrum à Siciliensi bello reuocaret, in Aragoniam, per Parpigniacū exercitum ducit: Genuam capit & diruit. Publicauerat enim Martinus IIII. Petri regnum: & occupantis fore decreuerat. Erat in Aragoniam iter vnum, quod incolę, Sclusam vocant, transitu quidem difficile, sed breue, quod præterea doliis, sabulo oppletis, hostis impediuerat, seque iugis montium continebat, vnde Francorum venientes copias contemplaretur. Scrutanti Philippo cōmodum, quà faceret, iter: Ruscillianus, quidam nothus (qui apud Genuam captus, libertatem à rege meruerat) scire se, ait, viam ad primum proximum lapidem, qua nesciēte hoste exercitus tutò euaderet. Rem gratam læto animo rex excepit. Iussisque aliquot ex suis simulare, per Sclusam facere transitum: ipse cum expedita militum manu, nothum secutus, tandem per densissimos sentes & inculta virgulta, in proximum montem euasit: atque ad se per eandem viam copias omnes recepit. Hostis autem cum in montes superasse Francos: & ad se ordine instructo contendere videt: nullo commisso prelio: fugam arripuit, castris relictis. Inde ad Petram latam itum est: quam à Francis circumuallatam, oppidani, intempesta nocte, igne per mœnia iniecto, deseruerunt. Ea à nostris occupata, & præsidio imposito, Philippus Geronnam copias mittit: vbi laboriosa nimis obsidio fuit, & oppugnatio frequens atque diu inutilis. Denique excogitauit Philippus machinam, quam, ad quatiendos diruendosque vrbis muros, fabricatā, obsessi noctu vrbe egressi succenderunt. Eam ob rem, nimia indignatione percitus rex, firmat animo fame premere ciuitatem. Interim tamen, propter cadauerum, per agros passim, iacentium putorem, & muscarum vix credibilem multitudinem, pestilens factus aer, Francis lethifer fuit. At Petrus, accepto Philippi in Aragoniam aduentu, relicta, Panhormi, vxore Cōstantia, quæ rerum Siciliensium curam gereret, magnis assumptis copiis, in Aragoniā nauigare festinat. Erant regiæ naues in statione apud portum Rosæ, vnde commeatus in castra Francorum dietim facile importabatur, donec Petrus Aragonensis vectores intercipere magnopere conatur. Itaque portum Rosæ occupaturus, millibus duobus, & quadringentis armatis assumptis, ad portum mouens, insidias ponit: cuius aduentu, ab exploratore Franco, cognito: rem ad Radulphum Conestabilem, & Iohannem Haricurtum, exercitus Marescallum, defert. Hi communione cum comite Marchiano habita, quingentos electos milites, duce exploratore educūt. Contemplatis autem hostium copiis, quæ suis maiores erant, cum nescirent Petrū in insidiis agere, retro abire statuerant, nisi eos cohortatus Matheus de Roia: O, inquit, commilitones: ecce in conspectu adest hostis, quem quærebamus. Quid cunctamur? hodie diuæ assumptionis Mariæ festum diem acturi sumus. Ab ea speremus opem, aduersus eos qui communionis Christianæ sunt extorres. Par enim nobis meritum impendet, ecclesiæ iniurias vlciscendo, ac si in fidei hostes pugnaremus. Hac Matthei oratione incitati Franci, Aragones inuadunt. Fitque prælium atrox & cruentum, ita, vt Petrus equo desiliens, cum pedite, pugnaret. Vbi vulnere

Nota de regno Siciliæ.

Machina Philippi.

Pestifer annus

Petrus in Aragoniam reuertitur.

Matthei de Royal ad suos oratio.

re accepto,& fugientibus suis, ipse quoque fugæ se committens paulo pôst interiit. *Petrus vulneratus interiit.* Hac victoria Philippus exultans, de expugnanda Gerona maxime laborabat. Erat in Philippi exercitu, Fuxensis comes, qui cum Geronensibus nonnunquam (nõ ignaro rege) colloquebatur. Hic ciuitatis statum compertum habebat, &,in illa tridui vix commeatum esse,non ignorabat:eam ob rem sciens cupere ciues,Philippo conciliari,regem rogat si Geronenses ad deditionem saluis fortunis omnibus reciperet.Impetrat comes paucorum dierum inducias,donec Geronenses suum regem ad ferendas illis suppetias admoneant. Missis ob eam rem à Gerõnensibus ad Petrũ legatis, cognita principis sui morte ad suos cũ rediissent, ciuitatẽ Philippo dedunt,permissa illis,exportandorũ,quò vellẽt,bonorum suorũ potestate.Recepta Gerõna,firmũ ex suis prędidiũ Philippus imponit.Atq; ad Tholosates se conferre cõstituens,malo cõsilio vsus,classis partẽ, quę in portu rosę erat,in Frãciam remittit. *Gerona deditur Philippo.* Quod postquã hostis cognouit,Frãcos,reliquæ classis custodes adoritur,& plurima cæde dilaniat:inter quos Enguerrãnus,Caroli nauiũ præfectus,& Aubertus,de Lõgaualle,viri armis strẽnui,occiduntur.Frãci verò,tanto incomodo accepto,nauibus igne imposito,atq; incẽso oppido,ad regẽ se recipiũt:qui ęgre ignominiã ferens,febrẽ incidit.Et cum iugũ mõtiũ hostis insideret,Philippus, per angustias Pyreneas,Parpiniacũ se cõtulit. Vbi recrudescente morbo, sacris Christianis receptis,rex emoritur. *Philippus moritur.* Cuius exsecta præcordia Narbone sepulta sunt.Ossa vero ad Dionysianum cœnobium elata. Huic Philippo duæ vxores fuerunt, vna Isabella,ex Arragonẽsibus,quæ tres illi liberos tulit:Ludouicum, qui mortuus est infans.Philippum,qui Pulcher appellatus est,& Carolum Valesiensem. Ex altera, cui Mariæ nomen fuit,Brabantini ducis filia,processit Ludouicus Ebroicensis comes,& Margareta,quę Edouardo II. Anglo regi nupsit,& Blancha,quam Austrię dux,Auberti,Alemannorum regis,filius,duxit vxorem.

CAP. 5.

PATRIS regnum Philippus Pulcher anno gratiæ salutaris CCLXXXVI. supra mille suscepit. Ad quem Edouardus Anglus veniens, Aquitaniã,sub Philippi ditione atque potestate,se possidere cognouit,præstito iureiurando,in fide erga regem permanendi,quam tamen minime obseruauit. *Edouardus fidefragus.* Nam,magnis copiis Normanniam derepente inuasit,regiæ classis occisis præfectis, & aliis plurimis, qui Normãniam Philippi nomine moderabantur.Quam rem postquam rex cognouit,ad Edouardum & Aquitaniæ præfectos mittit: Mandans, eos, qui huius rebellionis autores extitissent,comprehensos,Petragoricum ducant,digna pro scelere pœna afficiendos.Sed cõtumax Anglus,dicto audiens non fuit.Ea propter, per Arnulphum de Nella,Conestabilem,Aquitaniam Philippus sibi vendicat.Et nihilominus Edouardo diem dicit,ad iudicium suum veniendi. *Attende Edoardi dolum.* At Anglus debitæ Philippo fidei conscius,vt aliquam conceptæ à se fraudi viam aperiret,per nuncios Philippo significat,se Aquitaniam,& quicquid in Francia terræ sub imperio eius tenuisset, remittere,eiq; in perpetuum cedere.Hæc enim Edouardus dicẽs,spe magna ducebatur armis possessionem repetendi,quam iure belli,atq; gentium,forte postea comparatã,nõ aliena ditione astrictus retineret.Eadem ferme tẽpestate,Guido Flandriæ comes,inita clam cum Edouardo societate,filiam illi suam desponderat. *Guido Flandriæ comes,cũ filia retinetur à rege.* Quod ne præter Philippi assensum facere videretur,ipse cum filia ad regem venit, vt inde in Angliam,ex regis sententia traiiceret. At secus,ac comes ratus est,accidit.Nam pater in custodia habitus est,& filia cum liberis Philippi educanda tradita. Interim Carolus Valesius,Philippi frater,expeditionẽ in Aquitanos ducit.Et Rionem,arcẽ maritimam,circumuallat.Quo tempore Rodulphus de Nella Põtenseium (quam arcem complures Aquitani Angliq; præsidio tenebãt)obsidens,pacto cum Anglis clam inito, arcẽ recepit:atq; ita Anglis liberis dimissis, Aquitanos omnes vinctos ad Carolum Rionem perducit:quos furcis appensos, Carolus ante Rionis portas, strãgulare imperat.Quo terrore perculsi Iohannes de sancto Iohanne, & Iohãnes Britonicus,qui Rione obsessi erãt,noctu fugiẽtes,priusquam naues,ad hoc in portu paratas,cõscendissent,à Vasconibus Anglisq; necãtur.Intellecta obsessorũ seditione,Carolus arcẽ expugnat,interemptis Vasconibus cum bona Anglorũ parte. Deinde ad sanctũ Seuerum mouens,cum per continuã ætatẽ dura obsidione locũ

pressisset

Centesimam & quinquagesimam Philippus induxit.

pressisset, oppidum tandem capit. At paulo post Carolo in Franciam abeunte, oppidani in fide non manserunt. Multis bellis occupatus Philippus, cùm re pecuniaria laboraret, tributum à mercatoribus primum, mox & a clero plebeq; centesimã atque quinquagesimam, omnium, quæ possidebant, exigit. Secutumque est aduersus Anglos ingens bellum. Cuius rei gratia missus ab Edouardo frater eius, Eadamundus Baione mortuus est. Post eius mortem Vasconibus sollicitis, & summopere curãtibus præsidio & commeatu munire ciuitates: Robertus Arthesii comes, qui in Aquitania aduersus Anglos bellum administrabat, occurrit & statim fugat, compluribus ex illis occisis. Per idem tempus Henricus, dux Barri, qui Edouardi filiam desponsauerat, Campaniam incursionibus atque incendiis vexat: quẽ Gasterus Creciacus, cum magnis copiis Barrũ, iubente Philippo, petens, terra ita vastat, vt Henricum per Campaniam grassantem, domum repetere compulerit. Insurrexit præterea aduersus Philippum, Guido, Flandriæ comes, atque Edouardi partium fuit, cùm fuisset à Philippo suæ libertati permissus. Hanc belli causam iustam esse, ratus Philippus: arma capit, & magno militum robore in Flãdriam progreditur. Et ad insulam castra ponens, oppidum cum arce expugnatum recepit. Dum hæc à Philippo gerũtur, Carolus Aquitania præfectis relicta, Arthesium reuersus est. Atque à sancto Audomaro copias in Flandrenses mouet. Cui occurrẽs apud Furnas Guido comes, sexcentis equitibus & sexdecim peditum millibus instructus: prẹlium nõ detraxit. In quo Guillermus Iuliaci, & Henricus Bellomontensis, cum plurimis capti, per diuersas custodias asseruari iussi sunt, & Furnæ cum omni valle Cassetensi à Carolo occupatæ, Guido vero Brugis se recepit. Ad quem Edouardus Anglus, ex Anglia concedens, cùm audiuisset Philippum ad se infesto agmine proficisci, relictis Brugis, ipse & comes Gandauũ petunt. Philippo quidem (abeunte Guidone) Brugenses deditionem fecere. Nec multi dies intercesserunt, cũ Edouardus inducias à rege postulat: quibus ad bienniũ cõcessis, & iureiurando roboratis, Philippus Flandria egressus est. Eodem tempore Bonifacius VIII. pontifex Romanus, Ludouicum regem, claris operibus & miraculis illustrem, in numerum cœlestium incolarum retulit. Concessit præterea Philippo atque eius successori filio, priuilegium: vacantium ecclesiarum prouẽtum anni vnius exigendi, præterquã earum, quas cathedrales & monasticas vocant. Id autem ius *regaliæ* appellatum est, quod regibus ita peculiare esse, Franci contendunt: vt nihil magis ad ius regium pertinere possit. Conuenere per id tempus apud Vallicolorem Aubertus, Alemannus rex, & Philippus, qui veteris amicitiæ atque societatis iura innouarunt. Firmata inter reges beniuolentia, cum induciarũ finis adesset, Philippus Carolum Valesium, cum valida militum manu, in Flandriam mittit, qui Duaco atque Bethunia capta: Brugas cõtendit, aduersus Robertũ, Guidonis filiũ, qui illic castra fixisse dicebatur. Prælii potestate facta, cum victoria ad Francos inclinaret, fugientes Flamingi, Gandauum se recipiũt. Quos cum Carolus insequitur, Guido, intercedẽtibus amicis, cum filio Roberto ad Carolũ supplices accedũt. Ad Philippum deducti, diuersis custodiis mancipantur. Tunc Flandriã ingressus Phillippus, fide illi à proceribus præstita, Iacobum de sancto Paulo Flandriæ præfecit. Nec satis fortunæ fuit, tot secularibus bellis regem implicare, nisi Romanum etiam põtificem aduersus eum prouocaret. Bonifacius enim VIII. bellũ Hierosolymitanũ animo agitans, cum speraret Philippũ ad id bellũ inducere, Appamensem episcopũ ad regem mittit. Qui in cassum se mitti cum intellexit, minis agere tentans, quasi Philippum regno priuandũ dictaret, si pontifici non suffragaretur, in carcerẽ Philippi iussu cõiectus est. Quo facto, quia ius gentiũ violasse Philippum, Bonifacius diceret, vt erat supra modũ arrogans, vltionẽ parat. Itaq; misso in Franciam Archidiacono Narbonẽsi Philippũ, vetat, quicquã de ecclesiẹ prouẽtibus percipere: qui tametsi ecclesiarũ defensor sit, se tamẽ, regnumq; Franciæ per eius contumaciã ad Romanam ecclesiã esse deuolutũ. Si secus faceret, ipsum cũ fautoribus in hæreticorũ numerũ habiturũ. Episcopis quoq;, & aliquot abbatibus, Theologis insuper, & pontificii iuris Doctoribus, diẽ dicere iubet, Romæ ad Cal. Nouẽb. se sistendi. Simulq; indulgentias & cõcessiones, à Romanis põtificibus, Frãcis elargitas, nullas esse declarat

Bellum Flandrense.

Sancti Ludouici, in sanctos relatio.

Bonifacii in Philippum odium.

clarat. His mandatis ab Archidiacono superbe expositis, Philippus episcopum Appamensem, qui ob maledicta in regem in carcere tenebatur, Archidiacono restituit. Simulque imperat, regno, sine cunctatione, illum excedere. Insequenti postea vere, conuentu Parisii habito, pontifices primum Philippus, commemoratis, quas à Bonifacio acceperat, iniuriis, rogat, à quo suarum ecclesiarum præda prouentusque accepissent, deinde ad proceres conuersus. Et vos, inquit, viri nobiles, quem vobis regem dominumque habere arbitramini? Respondentibus, sine controuersia, regio se iure illa omnia tenere, atque tueri: At, inquit rex, Bonifacius ita agit, quasi vos regnumque omne Francorum sedi apostolicæ subiectum sit. Imperium enim Alemannorum (quod ipse Alberto ter petenti, negauerat) illud cum Francorum regno simul Alberto contulit. Nos autem, ô viri, fidei vestræ atque beniuolentiæ gratias agentes pollicemur, libertatem publicam, vestra ope freti, protegere. Conuentu dissoluto, rex publico edicto prohibet, è regno quicquam auri, argentiue aliarumque mercium exportari: constituta in præuaricatores edicti pœna. Iubet præterea ad regni extremos fines atque exitus custodes assignari, qui ingredientes egredientesque asseruent. Interim dum hæc à Philippo sollicite curantur, seditio à Flandrensibus in Iacobum, comitem sancti Pauli, quem genti præfecerat rex, orta est, ob vectigalia, quibus comes incolas aggrauabat. Ad Curtracum hæc primo pestis exundauit. Fitque à plebe Brugensi in Francos perniciosus insultus, cadentibus vtrinque quamplurimis. Quod vt resciuit Philippus, delectos bono numero milites, Brugas mittit. Quos simulata parendi humilitate receptos, nocte insequente Brugenses trucidant. Fama extitit, comitem sancti Pauli Brugis admissum, comminatum fuisse oppidanis quibusdam necem, atque ob idipsum Brugenses animos ad tantum facinus desumpsisse. Noctis atque hospitis sui beneficio defensus comes, aufugit: suis relictis, quos noctu Brugenses, ad magnum numerum, furentes trucidauere. Et sceleris immanitate tumultuosiores effecti: contracta omnis generis hominum manu: spem capiunt, Guidonem comitem suum, quem in custodia Philippus habebat, liberandi. Atque ita mouentes, Guidonem Namurcum comitis Flandrensis filium, obuium excipiunt, qui Alemannorum Theutonicorumque raptim copiis instructus: eorum expectationem auxit. Parantibus bellum Brugensibus, rex nouas copias Roberto Arthesiensi attribuens, iubet in Flandriam proficiscatur. Robertus negocium recipiens, eductis copiis, inter Brugas Curtracumque castra ponit, ad fluentum quod medium inter se atque hostes erat. Quod tametsi ponte Flamingi iunxissent, aduenientibus tamen Francis pontem dissoluerant. Quo & à Francis magna contentione hostium instaurato, dies prælio dicta est. Erant in exercitu Brugensium plebei fere omnes, verubus partim, partim clauis & præacutis sudibus instructi. Quamobrem, parui illos habentes equites Franci, peditem qui in prima acie erat, & bene rem gerebat, ad se reuocant, atque ita equites ex equis præliantes, in aciem progressi occiduntur. Quibus dum auxiliari Robertus magna vi contendit: multis vulneribus acceptis, occubuit, fugæ se committentibus duobus hominum millibus, inter quos comes ille sancti Pauli & Boloniensis comes, Robertusque Claromontensis comitis filius, principes extiterunt, perpetua ignominia notati. Periisseque in hoc prælio referuntur, præter ipsum Robertum, genere insignes viri, Godefridus Brabantinus, cum eius filio, egregio adolescente. Comes Dammallus, Iohannes, Hannoniæ comitis, filius. Reginaldus de Nella, Francus Conestabilis, Guido Castrensis Marescallus, Iacobus de sancto Paulo, Iohannes Bruliacus, balistariorum præfectus, & alii numero ducenti, quorum nuda cadauera inhumata triduo feris auibusq; patuere, donec ex ordine minorum, quidam fraterculus, Roberti Arthesiensis corpus, triginta vulneribus confossum, in proximo virginum monasteriolo terræ condidit. Occisorum millia duodecim fuisse referuntur. Brugenses autem, tam insigni victoria adepta feroces, direptis Francorum castris Curtracum cum arce capiunt. Et Guido Namurcus superbus iuuenis, rebus maioribus studens, insulam obsidet, Tornacumque atque Duacum cum Gandauo & Ipris in sua parte vel metu, vel pollicitis allicit, & mox Attreba-

Ecce Pontificē, vanitatis, indulgentiarum suarum interpretem.

Causa cædis in Francos apud Curtracum à Flamingis facta.

Francorum temeritas.

tes incursionibus & populationibus infestat. Præsignasse hanc tam dirã cladem cometa ferebatur, qui superiore proximo anno visus fuisset. Hãc à plebeis ignominiã Franca nobilitas accepit, quæ suis viribus & generis claritate freta, atq; superbiens, popularem turbam, & ministeriis vilioribus operam nauantem, contempsit. *Sumit enim animos quisquis libertatem tuetur. Nec inermis æstimari debet qui pro patria vitaque decertat.* Eodem tempore, pontifices Franci, quibus ab Archidiacono Narbonensi dies dictus erat (tribus ad Bonifacium deputatis episcopis) purgatos se à contumacia faciunt, propterea quòd & bello Flandrensi distinerentur, nec liceret, legibus positis, regno egredi. Clade suorum accepta, Philippus copiosissimum, supra quàm credi potest, exercitum cogit. Progressusq;, cùm in agro Attrebatium castra posuisset, hostemque Flamingum pene in conspectu haberet (nam Vitriacum hostis obsidebat) neque hostem prælio lacessiuit, neque locum vllum oppugnare sustinuit: territus, vt vulgatum postea est, nuncio, quòd soror eius, Edouardi vxor, ad illũ dimiserat, cuius commenti auctor fuerat Edouardus. Nam, cum ad Flamingos inclinaret, omni studio laborabat, bellicum Philippi apparatum dissoluere. Igitur beniuolentiam simulans, Edouardus vxorem de fratris futuro periculo certam facit: dicens, se certo scire, si Philippus prælio aduersus Flamingos congrederetur, eum à suis in manus hostium prodendum fore.

Commentum ab Edouardo inuentum.

Soror, accepto fratris periculo, Philippum sibi cauere literis admonet. Huius rei causa rex Othelinum, Burgundionum ducem, comitatu Arthesii donat. Moxque præsidiis, per loca munitiora, relictis, reliquum exercitum domum dimisit. Paucis verò pòst diebus, Flamingos commissi sceleris pœna excepit.

Clades Flamingorum.

Nam apud Ariam occurrentes Brugensibus Franci, supra DCCC. interemerunt. Hæc cum in Francia geruntur, Carolus Valesius in Appulia agens, postquam de Brugensi victoria certum nuncium accepit, composita cum Frederico, de rebus Siciliæ, pace, ad Philippum se recepit. Burdegalenses, cùm incommodum à Francis per Flamingos acceptum cognouissent, Philippi detrectantes imperium, regios ministros, qui apud eos erant, ciuitate extrudunt, sibique ditionem vsurpant.

Burdegalẽses Philippi detrectant imperium.

Verebantur enim, si quando icto inter Francos Anglosque fœdere, in Edouardi potestatem venirent, pœna non dissimili plecti, quàm qua Londonienses Edouardus paulo ante affecerat, quos, ob rebellionem, ad suarum ædium portas strangulatos fuisse, fama vulgabat. Pugnatum est rursus, eodem anno, aduersus Flandrenses.

Bellũ rursus in Flandria.

Qui non procul à sancto Audomaro victi, millia XV. ex suis, vno prælio, amisere. Præterea apud insulam grassantes, quingentos Flamingos Tornacenses, duce Fucaudo Melleo omnes vel necauerunt, vel captos abduxerunt. Per eos dies Philippus Aquitaniam Edouardo restituit, paxque inter reges conuenit. Habitumque est, non multis post diebus, Parisii episcoporum atque magnatum, consilium: vbi de Bonifacii pontificis in Francos concepto imperio actum est, deferentibus proceribus Bonifacium pontificatu indignum esse, qui & homicida & hæreticus esset, quorum scelerum testes in promptu habere facile erat. Fuit igitur omnium vna sententia, Bonifacii iussis parere non deberi, nisi prius sese ab obiectis illi criminibus expurgasset. Cui sententiæ vnus tantum Cisterciensis abbas non est assensus, sed consilio relicto, Cistercium se contulit.

Abbas Cisterciensis.

Iohannes quoq; monachus, Romanus legatus (qui per eos dies legationis munere apud Francos fungebatur) cognito, quid in Bonifacium consultaretur, ad pontificem reuersus est. Qui autem à pontifice venerant, Constantiensis Archidiaconus, & Nicolaus Besarus, missi vt regno sacris interdicerent, apud Trecas depræhensi, carceri deduntur. Erat Guidoni Flandriæ comiti Philippus filius, qui Bonifacii partes secutus, non contemnendas ex Theutonicis Alemannisque copias, in Flandriam deduxit.

Bellum à Flãdris.

Quibus aucti Flandrenses, sæuiore, quàm prius, animo bellum in Francos parant. Et ad sanctum Audomarum, expugnandi loci spe, procurrentes, quatuor millibus ex suis interemptis, Morinum, proximam vrbem, sine præsidio relictam, inuadentes, incenderunt. Et cùm aduersus illos grandem admodum exercitum, Peronam vsq;, Philippus promouisset, consilio comitis Sabaudiæ, inducias dedit Flandrensibus, & accepit, nulla re gloriose gesta.

Philippus in Bonifacium.

Post hæc Bonifacii arrogantiam iniquo animo ferens Philippus,

lippus, Anagniam, quò se pontifex receperat, Sarram ex Columnensium familia, cum Nogareto equite Franco in Italiam mittit, ob causam insinuandæ prouocanis, qua aduersus Bonifacii iniurias Philippus sese tuebatur. Nam pontifex plus æquo elatus, Philippum regno priuauerat, & Alberto Austriæ duci, simul cum Germanorum imperio, regnum Franciæ donauerat, quamuis illum ab initio sui pontificatus reiecisset. Erat Sarra Philippo obnoxius. Quippe quem ex Italia fugientem, & à piratis captum, rex redemerat. Itaq; Sarra mutata veste, ne ab Italis agnosceretur, quot potest, amicos colligit, & conductis ducentis ex iis, qui sub Carolo Valesio in Appulia militauerant, Nogaretum cum bona manu Ferentinum præmittit, vt inde vrgente negocio, Sarræ auxiliaris adueniret, ipse Agnaniam nocte Gibellinarum ope ingressus, Bonifacium in patris domo capit, inde Romam deductum, superbum pontificem atque animi ægritudine laborantem, mors abstulit. Ferunt Nogaretum Sarramq; in mandatis habuisse, pontificem ad Philippum perducendi, sed pontificiæ sanctitatis reuerentia partim deterritos, partim Agnaniensium occursu prohibitos, cœpto destitisse. Talem vitæ exitum habuit contemptor omnium hominum Bonifacius, qui Christi præceptorum minime recordatus, adimere & conferre regna pro suo arbitrio conabatur, cum non ignoraret, eius se loco versari in terris, cuius regnum non de hoc mundo & terrenis rebus, sed de cœlestibus esset, quiq; dolo & malis artibus episcopatum Romanum sibi quæsiuerat, & Cœlestinum, à quo dignitatem receperat, in carcere dum vixit habuerat. Non prætermittam hoc loco scribere, quod constanti fide per hos dies in Parisiensi agro accidisse, ab historicis accepi. Erat Adam de monasterio vallis Sarnarii conuersus, cui villa Creches ad ipsum monasterium pertinens, commissa à loci abbate fuerat. Hic paucos ante Christi natalem dies, ad villam sibi creditam, ex cœnobio, ante diei exortum, proficiscens, vno seruo tantum comitatus, videt in via proceram arborem pruina geluq; albescentem, ad se ocyssime concedere, qua re equus, cui insidebat Adam, terrefactus, è via prosiliens, vix potuit à conuerso ad viam reflecti. Eodemq; metu affectus seruus, nutare cœpit, ita vt in pedes stare & ambulare difficile posset. Propior conuerso facta arbor, cùm homini nihil nocuisset, euanuit, aerem & sulphureum odorem relinquens. Suspicatus propterea conuersus, aliquid à dæmonio illusionis fuisse sibi obiectum, ad superos animam vertens: diuæ Mariæ laudes recitat. Moxq; pone se hominis nigri equitantis effigiem conspicit: aduersum quem Adam indignabundus: Cur, inquit, infœlix mihi audes insultare? cum mihi habeam in monasterio comprecatores fratres, quibus cura sedula est, me & reliquos à cœnobio absentes, Deo & diuæ Mariæ commendare? Abi, quandoquidem nulla tibi pars mecum est. Discedens inde ad pauculum tempus dæmon: protenus conuerso astitit, forma hominis quàm maxima: cui prolixum & gacile collum erat. Quem se infestantem Adam frustra pugione repellere conatus: videt confestim illum, mutata effigie, mediocri statura esse, & monachi instar cuculla faciem velare. Cuius oculi, sicuti æs candens, rutilabant. In quos dum conuersus, gladiolum incassum vibrat, pecudis similitudine visus dæmon, nõ minor, quàm asinus auritus, apparuit. Vnde magis timens seruus: domine, inquit, describe in solo orbem: atq; in medio crucem Christi insculpe, in circo enim stantibus nobis, nihil aduersabitur inimicus. Fecit igitur conuersus, sicut à seruo fuerat admonitus. Nec sic destitit impius aduersator. Nã asininas aures in cornua commutauit: atque ad circulum concedens, opprobriis est à conuerso reprobatus, & sputis contaminatus. Cumque à seruo doctus, conuersus crucẽ se signasset: dæmon in dolii speciem figuratus, se Molerias vicum versus in rotæ speciem circumegit: conuerso illæso relicto. Huius tam mirandi euentus indicia extiterunt. Abbas in primis vallis Sarnarii, à conuerso fidem rei quæsiuit. Scriptor præterea historiæ: loci, vbi hæc gesta sunt, inspector: qui equum prius mansuetum: calcitrantem postea atque ferocientem se vidisse profitetur. Languor item serui diuturnus: & vestium conuersi intolerabilis fœtor: & vocis, donec zinziber desumpsit, difficilis emissio.

Tacet autem Germanicus auctor. [margin: *Tacet aut heraticus auis.*]

Conuersi monachi apparitio nocturna.

Discipulus magistro sapientior.

Angolisma, mortuo comite Marchiensi, Philippi fuit.

Per eosdem dies, Marchiensi comite mortuo, Angolisma ciuitas Philippo ob-

uenit. Quam ipse adiens, Aquitaniam quoq; & Tholozatium prouinciam visitauit, pacatis quorundam animis, qui ad rebellionem procliui esse ferebantur. Reuersus in Franciam Philippus, ratus, Flamingos ferociam deponere, si Guido, eorũ comes, carcere liberatus, ad eos mitteretur: comitem cum filio Guillermo dimittit. Illi, postquam seditiosam gentem ad sanitatem ducere non potuerunt, ad Philippum, vt promiserant, conuertuntur. Cognita Flandrensium pertinacia, Philippus tertio in eos mouens, apud montem populorum (ab arboribus populis, quarum in eo loco copia est, sic vocatum) positis castris: cum speraret Flandrenses in prælium descensuros, cognouit hostem vallo se continere: & castra carris quadrigisq; circumuallasse. Igitur, cum aduesperasceret: rege exarmato, & militibus paulo negligentius agentibus: ecce irrumpit in regem ferox hostis: atq;, in conspectu Philippi, occisis Petro Gentiano, & Iacobo, fratre eius, aliis quoq; non paucis, rex, conscenso equo, cùm ipse sibi galeam imposuisset, in hostem animosissime fertur: obuios quosq; interimens. Quem reliqui insecuti, viginti millium Flamingorum stragem fecere: ita, vt nisi superueniens nox tenebris hostem protexisset, actum prorsus de Flandrensibus extitisset. Rediit ex prælio rex facibus accensis, quę noctis caliginem superabant. Huius victoriæ tempore, Flandrensis comes, qui Compendii asseruabatur, defunctus est. Moritur item Iohanna Philippi vxor. Fuitq; his diebus tanta annonæ, per Franciam, caritas, vt frumenti mensura (quæ sextarius appellatur) solidis veniret centum. Pistores propterea publici, ne plebs expositos à se venales panes desumeret, viq; auferret, officinas clauserunt, donec recensitis diuitũ & religiosorum horreis, frumentũ venale iussu Philippi promeretur. Mortuo deinde Edouardo Angliæ rege, successor eius, filius Edouardus Isabellam, Philippi filiam, vxorem duxit. Per eosdem dies, mortuo Benedicto XI. qui Philippum ab excommunicatione Bonifacii absoluerat: conuenientibus Perusii cardinalibus, curante maxime Philippo, Bertrandus Gothus, Vasco, Burdegalensis archiepiscopus, pontifex absens eligitur: quem Clementem V. appellauerunt. Hic tempore electionis, cum in Gallia ageret, cardinales Lugdunum ad se venire iubet. Vbi tyara pontificali fuit coronatus: assistente Philippo & principibus compluribus Francis. Ex eo tempore, anno salutis M. CCC. quintò cœpit Clemens Auinionem vrbẽ incolere, vbi per annos IIII. & LXX. sedes pontificum mansit. Publicæ lætitiæ, quæ propter noui pontificis assumptionem agebatur, calamitas non defuit. Erat iuxta viam, quà pontifex ducebatur, murus, veteri materia male concinnatus. In hunc, cum turba, visendi pontificis desiderio, conscendisset, vetustate exesus, & pondere superextantis populi pressus murus, in Britonum ducem collapsus est. Consecrato Clemente, cardinales ex Columnensium familia, suis dignitatibus prædiisq;, à Bonifacio destituti, restituuntur. A quo etiam Clemente, dum ex Lugduno Burdegalam petit, tam magnis impensis ecclesiæ grauatæ feruntur: vt inde ad Philippum graues admodum querelæ delatæ sint. Philippo autem, qui ad bellum Flandrense grandes sumptus fecisset, pontifex decimæ ius donauit. Concessitq;, vt ecclesias sacerdote vel ministro destitutas, sibi seruientibus clericis, atq; benemerenti familiæ conferre posset. Et quoniã per id tempus iusti ponderis moneta non esset, Philippus pontifici pollicetur, illam ad legitimam æstimationem se reducturum. Atq; ita Clementem Philippus dimittens: cum in Franciam rediisset, Margaretam Burgundiæ ducis maiorem natu filiam, Ludouico vxorem accipere permittit. Sedauit prętereà ortam, à Bellouacis in Simonem episcopum, seditionẽ, quæ eò processerat, vt ciuitate extorris pontifex, nobilium quorundam manu collecta, ciues quosdam ex insidiis cœperit, suburbiis igne consumptis. Tumultuatum etiam eodem anno à Parisiis, ob monetæ vsum. Diuites enim qui suas inquilinis & variorum ministeriorum opificibus domos locauerant, minoris precii monetã accipere, annuæ pensionis loco, recusabant: alteram quæ iustioris ponderis erat, exigentes. Cuius inuenti autor Stephanus quidam Barbetus habebatur. Hic Stephanus in delitiis habebat hortos, à suo nomine Barbetos appellatos, cum præclaris ædibus: in eo loco (cui Barbeti porta nomen postea mansit.) Furens ergo populus in Stephani possessiones delatus: quicquid in ædibus & hortis preciosum fuit, vastat

Flandrensium cædes.

Caritas annonæ.

Edouardus tertius Anglus rex.

Clemens V.

Moneta reformatio.

Seditio Bellouacorũ in suũ episcopum.

Stephanus Barbetus, seditionis Parisiensis auctor.

vastat atq; incendit: mox inde mouentes, ad viam sancti Martini, vbi ipse Barbetus incolebat, se conferunt, fustibus clauisq; & verubus, vt cuiq; arma furor ministrabat, instructi. Effractis Stephani portis, domum supellectilemq; omnem diripiunt. Erat per hos dies Philippus apud Templarios: quem, nihil periculi expectantem, seditiosi in templo confestim obsident. Nec quicquam ad eum inferri sustinebant, quod non vel rapetent, vel cœno inficerent. Tam repentino populi motu attonitus rex: misso ad seditiosos Parisianos, cum quibusdam aulicis, præposito, dicere illis imperat: si quid in illos à quopiam commissum esset: aut iniuria illata, se regem esse, qui eos tueri possit: petant modo, si quid à rege optent: & domum abeant, se protenus curaturum, vt populo melius consultum sit. His, pro tempore, simulatis: leuis populus à furore temperans, cum domum quisq; petiisset, nihil cunctatus Philippus, seditionis autores, ad octo & viginti correptos, furcis, ad quatuor vrbis celebriores portas, erectis illaqueari & strangulari mandat.

Pœna in seditiosos.

Nec multo pòst monetam ad legitimum æris valorem cudit. Et per hos dies Ludouicus Hutinus, Philippi filius, Pampilonæ à Nauarris rex coronatus, atq; appellatus est, anno domini M. CCCVII.

Ludouicus Hutinus Nauarræ rex.

Tum etiam proditus est Templariorum error: qui apud Hierosolymam fidei defensionem professi: cùm primum religionis consideratione opulentissimos se effecissent: præclarissimis, per orbem Christianum, ædibus comparatis: Christo reiecto, falsis se religionibus dediderunt.

Error Templariorũ proditus.

Erat enim illis simulachrum, cui pellem humanam superinduxerant: appositis ad oculos statuæ duobus fulgentissimis carbunculis, qui vice oculorum micarent. Ei statuę, dum quispiam ad illos ingrederetur, ordinẽ vitamq; Templariorum professurus, abnegato, ante omnia, Christo, & cruce eius calcata: sacrificium faciebat. Morientis autem corpus, in puluerem adactum, cæteris in potum conferebant: quo poculo constantiores suos fieri arbitrabantur. Præterea, si ex Templarii coitu, infans, ex puella virgine, nasceretur, hunc igni torrebant: exq; eliquata inde pinguedine, suum simulachrum, decoris gratia, vngebant. In confesso quoq; habitum est, eorum dolo, diuum Ludouicum, dum in Syria peregrinaretur, in vincula à Soldano Ægyptio coniectum fuisse. His atq; huiusmodi criminibus: & quòd item masculorũ fœdissimi amatores essent: Templariorum ordo, in concilio Viennensi, anno dominicæ pietatis MCCCXII. per Clementem v. finem excepit: compræhensis vbilibet terrarum, qui eius impietatis fuerant, atq; crematis. Administrabat eadem tempestate ecclesiam Lugdunensem quidam, non satis prudens episcopus: qui ob blasphemias, regiæ sublimitati, irrogatas, obsidione à Ludouico Hutino cinctus: & inde ad Philippum deductus, post longam custodiam, satisfactione exhibita: tandem suæ libertati permissus est.

Lugdunensis antistes suæ temeritatis pœnas luit.

Non intercedentibus post hæc, multis diebus, Lugdunenses coniuratiõe facta, à rege deficiunt: mouentesq;, sancti Iusti castellum diripiunt. Sed per Ludouicum Hutinum edomiti, se imperata facturos iurant. Et motus iterum belli à Flamingis insurgit, cuius autor extitit Ludouicus, filius Guidonis Flandrensis, Niuernensis comes. Qui ob id decreto Parlamentei senatus sua hæreditate priuatus est, & bona eius publicata. Fuerunt quoq; insignibus fœminis sua fata. Nam vxores filiorum Philippi tres, adulterii insimulatæ sunt. Quamobrem Margareta, Ludouici Hutini, Nauarri regis coniunx: & Blancha, Caroli comitis Marchiani vxor, regis edicto, in castellum Galliardi, relegatæ sunt, quarum libido satis in aperto erat.

Fœminæ insignes punitæ.

Iohanna verò, Philippo Pictauensi nupta, postquam apud Dordanum in custodia aliquot diebus fuit, innocens, liberata est, & viro restituta. Ostiarius Margaretæ, adulterii conscius, furca appensus est. Stupratores autem, Philippus & Galterus Dannoi fratres (mentulis exsectis) pelle nudati, apud Pontisaram, vltimi supplicii, pœnas subierunt. Ob hanc impudicitiam insignium mulierum, natam fabulam reor, quæ de Iohanna, Philippi Pulchri vxore, à rerum imperitis memorari solet. Eam videlicet aliquot scholasticorum concubitu vsam, eosq;, ne pateret scelus, protenus extinxisse & in Sequanam amnem de cubiculi sui fenestra abiecisse: sed vnum tantum, Iohannem Buridanum eo periculo forte liberatum, & propterea sophisma ab eo editum esse. *Reginam interficere nolite, timere, bonum est.* Fuit siquidem Buridanus Iohanna posterior. Quippe qui Philippo Valesio regnum mode-

Iohanna reginæ casta.

rante, cum liberalium artium nominatissimus professor esset, multa & in rationabili & morali Philosophia scripsit, tum Parisianæ ecclesiæ fulcro præsidebat, anno Christianæ resurrectionis M.CCCXLVIII. Nec commeruit præclara mulier, huiusmodi vicio taxari, cuius liberalitatis atque misericordiæ in pauperes, testimonium exhibet Nauarræ apud Parisios collegium: vbi scholasticos incolere perpetuo instituit, designatis triplici ordine præceptoribus, qui Grammaticam, Dialecticamque adolescentes docerent: qui item philosophiam interpretarentur. Addidit & Theologos, qui omnes anniuersariis prouentibus prædití, litterarum studio se perpetuo accommodarent. Hisque commune sacellum extruxit, præpositis ad rem diuinam sacerdotibus. Itaque in eo tam grandi tamque spacioso collegio, tam multi continenter scholastici diuersantur, quòd ad constituendam vniuersalem scholam satis esse putari possit. Interim rebellantibus Flamingis, Enguerrannus Marignianus, qui vnà cum Philippo regnum administrabat: conuocato, ad regem, ex regni ciuitatibus, populo: cùm multa præsente Philippo de Flamingorum crebra rebellione disseruissent, rogauit postremò auditores, si ad bellum, quod rex aduersus illos parabat, pecuniam suppeditarent. Quibus respondentibus, se regiis negociis opem non substracturos: Enguerrannus, gratiis populo persolutis, grande pensum ad militum stipendia exegit. Sed tribus ad id bellum regiis filiis, atque ipso Enguerranno, cum ingentibus copiis à rege missis: cum ad insulam castra posuissent, re infecta: de Enguerranni consilio exercitum domum dimiserunt.

Rebellant Flamingi.

Philippum interea morbus inuasit: mortuusque est, apud fontem Bleaudi, qui vicus in Vastinio est, postquam annos VIII. & XX. regnasset. Eius cor ex præcordiis exsectum, in Poissiaco cœnobio, quod ad diui Ludouici, aui sui, memoriam Philippus condiderat, virginibusque, sub custodia fratrum Dominici ordinis attribuerat, sepultum est: reliquo corpore, in Dionysiano monasterio, terræ commendato. Eius mortis conscios fuisse Petrum, Cathalaunensem episcopũ, & Radulphum Praerium, in regio senatu aduocatum, creditum est. Sed Radulphus innocens inuentus est. At Philippus, priusquam mortem obiret, filios tres (quos superstites sibi relinquebat) ad se aduocans, ad maiorem natu conuersus: Ludouice, inquit, regnaui hactenus, plurimis vectigalibus & tributis meum populum vexans, nec mihi satis curæ fuit, monetam cudere, quæ legitimi ponderis esset. Eam ob rem, multorum in me odia concitaui. Ecce, post me regnaturus es, miserere patris animæ, & quæ perperam à me gesta sunt, ipse emendes. Deo satis meo nomine fac, de iis quæ tibi relinquo, & Hierosolymitano me voto absoluas. Vos quoque filii, seruate synceram inter vos charitatem. His à Philippo Pulchro, pro temporis angustia, breuissime dictis, cum Dauidis versiculum: *In manus tuas domine commendo spiritum meum:* religiose pronunciat, animam efflauit, mense Nouembri, pridie diui Andreæ, anno Christiani natalis MCCCXIII. Huic Philippo quinque liberos Iohanna vxor peperit, Ludouicum Hutinum, Philippum Pictauorum comitem, Carolum Marchiæ principem: filiam, quam infantem mors abstulit, & alteram Isabellam, quam Edouardo Anglorum regi, pater Philippus matrimonio iunxit.

Moritur Philippus.

Philippi morientis ad filios pia oratio.

CAP. 6.

POST Philippi mortem, filii eius, de patris thesauris solliciti, cum nihil æris inuenissent (Ferrico Pinguigniaco maxime hortante) Enguerrannum in arcem Luparæ Parisii coniectum, rationem administrati à se regni ponere compellunt. At, cum bonam thesauri partem Carolum Valesium, Philippi fratrem, habuisse Enguerrannus diceret, Carolus ægre id ferens, omnes, quibus Enguerranni nomen odio habebatur, excitat, querimoniam aduersus eum proferre. Et ne quid gratiæ à beniuolis Enguerrannus reciperet, ex Lupara (cuius ipse præfectus erat) ad Templariorum munitissimam arcem traducitur. Ipse paucis post diebus, cùm perductus ad Ludouicum Hutinum esset, Iohannes Hannerius, ad hoc à Carolo Valesio edoctus, in præsentem Enguerrannum, hæc, quæ subscripsi, crimina cumulauit. Eum quidem Philippo fuisse suspectum, eam ob rem recusasse illum, ne testamenti sui procurationem gereret. Extremam in Flamingos expeditio-

Enguerrãnus rationẽ regni administrati ponere cogitur.

Capita accusationis Enguerranni.

peditionem, suo dolo fuisse irritam, quòd communicato clam cum Niuernensi comite consilio, atque ab eo receptis muneribus consilium dederit exercitum reducendi: cuius tamen causa grandem ex regno pecuniam exegerat. Ea præterea nocte, qua Philippus obiisset mortem, regis thesauros ex Lupara aliò transtulisse, retinuisse quoque sibi XXX. librarum Parisiensium millia, quæ Clementi Romano pontifici dono danda, à rege accepisset. Neque rationem fecisse LX. & CCC. pannorum, quos ex naufragio quodam, regis nomine detinebat. Cælasse quoque VIII. & XL. librarum millia, quæ regi Attrebates impendissent. Nec in re pecuniaria fraudem modo fecisse, sed cum ad Arthesii dominam rex quædam, quæ ad regiam dignitatem pertinebant, scripsisset, Enguerrannum suis adiectis litteris repugnantia scripsisse, pollicitum, eam omni incommodo eximere, atque ab ea XV. librarum mulctam dono habuisse, quam à Cameracensibus si rex decreuisset, acceptura erat: eam nihilominus pecuniam sua auctoritate Enguerrannum à Cameracensibus exegisse. Et cum regium apud Parisios palatium exædificandum recepisset, præter decem millia librarum, quæ illi Philippus tribuerat, domos, quæ proxime palatium, ciuium erant, vsurpasse, constituta possessoribus annua pensione, quæ ad illum quotannis perueniret. Commisisse insuper in priuatos quosdam inexplebilis auariciæ flagitia, atque ita regios, qui fisco præerant, ministros & quæstores sibi deuinxisse, vt sine eius syngrapho regiis iussionibus non obtemperent. His aliisque ab Hannerio palam expositis, nulla Enguerranno se purgandi potestas fuit. Erat autem illi vxor, quæ liberandi eius causa, postquam multa frustra tentasset, ad magiam & diuinationes se conuertit, Pauioto quodam malefico, & Clauda muliere, ad id facinus opem ferentibus. *Enguerranni vxor.* Itaque cærea quædam simulachra ad regis & Caroli Valesiensis formam dæmonia arte conficiunt, quæ languentium speciem præ se ferrent, ad quorum similitudinem (nisi male sors prodita fuisset) rex, & ipse Carolus conficiendi macie sensim erant, & definita ad tempus morte consumendi. Cognito maleficio, rex totius negocii censuram Carolo committit. Qui mox accitis quibusdam magnæ auctoritatis proceribus, Enguerrannum in supremo patibuli Parisiensis tigno stangulari imperat. *Enguerrannus suspenditur.* Pauiotum par supplicium excepit: præterquam quod infra Enguerrannum, ad infetiorem trabem illaqueatus est. Claudam flamma consumpsit. Vxor autem Enguerranni, atque eius soror, de Canteleu in carcerem coniectæ sunt.

Eodem tempore Ludouicus Niuernensis, & Iohannes Namurcus, regis beniuolentiam meruerunt, rebus, ad Flandrenses spectantibus, compositis. Quarum gratia Robertus, comes Flandrensium, cum ad regem, die constituto, non venisset, reiectis excusationibus, quas per Cistercii abbatem, & quosdam ad id missos procuratores prætendebat, contumax dictus est, & in rebellium numero habitus. Per id tempus quatuor veneficæ mulieres cum parato veneno deprehensæ, igne cremantur, quarum opera Cathalaunensis antistes, prædecessor eius Petri Litigniaci, quem in custodia habitum, suprà memoraui, fuerat interemptus. Quem insequente tempore Ludouicus sede pontificia amotum, relegauit: instituto eidem successore Stephano, Caroli Valesiani cubiculario. Reduxit & Iudæos, quos pater Francia expulerat. *Iudæi in Franciam reducti.* Tentauit Ludouicus annua tributa, quæ Ludouicus Pulcher ampliora fecerat, colligere. Sed conuenientes Campani, Burgundi, Veromandi, Arthesii, Ambiani, Bellouaci, Pontiuiaci, Forestani, Altissiodorenses, & aliquot alii populi, Campaniæ comite autore coniurant, se id non permissuros. Propterea Ludouicus Carolum Valesium mittit, qui futuræ seditioni bonis promissis occurrat, & placet diffidentes. Fecerat idem Philippus Pulcher aureas coronas tres, gemmis multi precii ornatas. Eas Ludouicus Hutinus in cœnobium diui Dionysii transtulit, vt ad coronandos deinceps reges reginasque reponerentur. Quas Matthæus abbas, & eius monasterii cœnobitæ receptas seruare, chirographis datis, compromiserunt. In rebellione persistentibus Flamingis, bellum indixit. Sed ad

Lisam fluuium cum admouisset, tantis imbribus terra, quæ palustris est, emollita est, vt equi genuum tenus in luto continentes essent, nec commeatus importari ad castra, nisi magno labore poterat, ita, vt singulis vini doliis vehendis, triginta vix equi sufficerent. Quæ res, cum quotidianas difficultates militi afferret, regem adduxit bello abstinere, & cum tentoria & belli impedimenta, propter luti iniquitatem educi potestas non fuit, cuncta magno suo damno miles cremauit. Secuta est hanc aduersitatem annonæ incredibilis caritas. Deinde fames & mox pestilentia. Visusque est cometes crinitus. Ipse insuper Ludouicus apud Vicennas defunctus est, relicta grauida Clementia vxore, Roberti Siciliensis nepte. Hic Ludouicus instituit, Parlamenti curiam Parisii stabilem esse, & loco non moueri, ne litigatores crebris circuitionibus grauarentur. Per hoc interregnum Philippus, Ludouici frater, Pictauorum comes, omnium procerum consensu, regni administratione suscepta, Francorum & Nauarræ se rectorem appellauit. Ad quem venientibus Flamingorum legatis, pax inter eum & Robertum, Flandrensem comitem conuenit, quæ literis mandata, Flamingorum sigillis firmata est. Per id tempus Clementia, quam moriens Philippus grauidam reliquerat, filium Iohannem parit, paucorum dierum regem. Quo defuncto, Philippus ex rectore rex appellatus est: reclamante Burgundorum duce, quòd diceret, non ad Philippum, sed ad Ludouici defuncti regis filiā regna patris pertinere. Quæ res difficiles postea controuersias Francorum quieti inuexit, dicentibus plurimis, regni hæredes, filias esse non posse. Burgundum tamen Philippus in suas partes allicit, data ei grandiore natu filia vxore. Et cum alias tres filias rex haberet, vnam Niuernensis comitis filio, secundam Dalphino Viennensi collocat. Interim, cum pacis conditiones Flamingi non reciperent, nec pontificis Romani decreto assentirentur, inducias Philippus prorogauit. Misso deinde à pontifice Iohanne XXII. in Franciam Ioseranno cardinali, qui Flamingos Philippo conciliaret: cum Tornacum peruenisset, gentis peruicaciam inconstantiamque veritus, per loci episcopum nunciare illis iubet, se pacis causa Tornaci esse, ad eum se conferant dum de concordia agere licet. Missis, qui hæc Flamingis exponerent, duobus, ex minorum ordine, fratribus, inter quos Petrus de palude fuit, Robertus comes, eos in vinculis haberi iubet. Qui ex eo tempore, ex Gaudauensibus plebe excitata, insulam oppugnare constituerant. At vbi ad Lisam flumen ventum est, conuersus in comitem populus: Nos, inquiunt, illustris comes, inducias, quæ tibi cum rege iuratæ sunt, seruare promisimus. Ideo te non sequi ad bellum in animo est. Destitutus igitur comes exercitu, legato audientior fuit. Nam Tornacum se contulit, vbi regii oratores se continebant. Promisit comes, primo vere Parisium ad regem concedere, fidemque præstare & cætera confirmare, quæ in conditionibus pacis conuenerant. Sed cùm dies conuentionis successisset, per nuncios excusatum se facere, falsis argumentis conatus est. Instante tamen legato, anno salutis M. CCCXX. Robertus & Flamingorum procuratores, in Philippi verba iurauerunt. Sed de pacis conditionibus cùm ad constitutum diem ageretur, firmare conuenta comes recusauit, nisi tria sibi oppida, Insulam, Bethuniam, & Duacum, quæ rex occupabat, redderentur: quæ & ipse Enguerrannus Marigniagnus, Philippi Pulchri olim negociorum gestor, regio nomine facere promisisset. Nam inter pacis leges, quæ illo tempore dictæ erant, adiectum extitit, Flandriæ comitem debere regi duodecim millia librarum annui prouentus, intra Franciæ regnum constituere, quod quandoquidem comes non compleret, ea quæ supra dixi, oppida Philippus Pulcher, memorati prouentus loco, possederat. Quæ cùm relinquere rex nollet, comes festinanter re infecta digreditur. Sed à procuratoribus Flamingæ gentis reuocatus, propositam prius pacem admisit, roborauitque.

Ludouicus Hutinus moritur. *Clementia, Ludouici Hutini uxor.* *Philippus Longus rex.* *Comes Flandriæ rebellis.*

Pastores.

Dum hæc difficili negocio aguntur, ouium quidam pastores, admoniti cœlesti (vt ipsi asseuerabant) oraculo, in Syriam, religionis Christianæ causa, profecturos se iactabant. Qui postquam magno numero aucti sunt, latrunculis non dissimiles, cum prædas agerent, Carcassonam vsque progressi, ab

ti, ab incolis grege facto, dissipati aufugerunt, compluribus interfectis & patibulo strangulatis. Afflicti quoq; leprosi, qui Iudæorum hortatu, susceptum ab eis venenum, puteis per omnem Franciam infundere coniurassent, vt qui inde in potum haurirent, aut interirent, aut elephantiæ virus inciderent. Itaq; pharmacon sanguine & lotio humano herbisq; quibusdam lethiferis confectum, panno inuoluentes, in puteos demittebant, lapide adhibito, vt ad aquæ fundū cito deferretur. Id cum in prouincia Narbonensi à leprosis factum Philippus accepit, veneficosq; omnes flammis fuisse punitos, inquiri per reliquū regnum leprosos iubet, quos de crimine confessos, vnà cum plærisq; Iudæis vindex flamma corripuit. Fuisse per id tempus, constat, Iudæos XL. Vitriaci, ob idipsum, in custodia habitos, mirabile in sese facinus perpetrasse. Nam cum se morti addictos iam minime dubitarent, duos ex eorum numero delegerunt, qui eos occiderunt, ne Christianorum manibus sumerent supplicium. Vetustissimus illorum atq; iunior execrabile ministerium exequuntur. Omnibus interemptis, cum duo tantum homicidii autores superessent, senior orat iuniorem, se necet. Ille, seniore occiso, cum se solum videt, direpto auro, quod apud interemptos erat, fune ex defectis lintheis facto, per fenestram se dimisit, sed & corporis atq; auri grauitate, fune qua se deorsum mittebat, dissoluta, in fossam delapsus, crus fregit, atq; ita in fossa procumbens, depræhensus est, & vltimo supplicio affectus. Iudæorum autem cadauera cremata sunt. Cógitauit etiam Philippus mensurarum genera, quæ per Franciam plurima erant: vlnam quoq; & monetam, ad vnam speciem formamq; perducere. Sed valitudinarius factus, institutum non expleuit. Nam & quartana febre diutissime vexatus, alui profluuio apud fontem Blandi interiit. Corporis eius partes tres factæ sunt. Cor minores, intestina prædicatores apud se Parisii terræ condiderunt. Corpus ad sanctum Dionysium elatum est, anno dominicæ pietatis MCCCXXI. Post enim diui Ludouici mortem, qui ab ipsis mendicantium fratrum ordinibus literas didicerat, consuetudinem fecerant prædicatores atq; minores, cum integrum regum cadauer habere non possent, intestinorum sibi partes ad sepulturam vendicare. Insurrexit per idem tempus Iohannes de Polliaco, natione Picardus, asseuerans, eos qui mendicantibus religiosis peccata confitentur, oportere eadem suis plebanis presbyteris rursus enarrare. Qui Iohannes, Iohannis XXII. Papæ iudicio aliter sentire & docere damnatus est.

Leprosi.

Iudæorum infœlix pertinacia.

Iohannes de Polliaco.

ROBERTI GAGVINI
HISTORIÆ FRANCORVM
LIBER OCTAVVS.



PHILIPPO sine liberis defuncto, Carolus eius frater, Marchiæ comes, successit. Hic, cum Blancham, Mahildis filiam, desponsasset, eam à se dimittere cogitauit. Mahildis enim: Blanchę mater, Carolum ex Baptismi lauacro susceperat, quamobrem, ecclesiastica lege, filiam habere vxorem prohibebatur. Consultus ad eam rem pontifex Romanus, diffinit nuptias (nisi aliqua dispensatio præcessisset) esse incestas. Mortuo per hos dies Roberto Flandrensi, quæstio de legitimo successore, apud Parlamenti iudices versabatur, contendente maxime Ludouico Niuernensi, proximum se hæredem esse. Qua spe fretus, cum Parisium se contulisset, proceres, qui cum eo ex Flandria erant, contra regias constitutiones, ad fidei sacramentum admisit. Ob quam causam in arcem Luparam mittitur asseruandus. Sed non multo post, cum hæres à iudicibus esset declaratus, absoluitur, regiq; fidelitatis iusiurandum exhibet, atq; in Flandriam se recepit. Erat eodem tempore in Aquitania Iordanus insulanus, nobilis quidam & imprimis potens, cui, ob insignem eius potentiam, Iohannes XXII.

CAP. I.

Quæstio de comitatu Flandrensi.

Iordanus, Iohannis Papæ XXII. matre ducta, propter flagitia suspenditur.

pontifex Romanus, matrem matrimonio iunxerat. Sed moribus cum esset ferox, rapinisq; atq; homicidiis dehonestabatur: ob quę flagitia, primò ad regem delatus, cùm amicorum præsidio veniam impetrasset, criminibus non abstinuit: sed ministrum quendam regium (quem seruientem vulgus vocat) virga, qua ad officium seruiens de more vtebatur, trucidauit. Vocatus ergo ad Carolum, multis armatis stipatus veniens: post legitimas accusationes, & commissorum à Iordano argumenta, iudicio Parlamentei senatus, ad patibulum tractus, ab altiore furcarum tigno pependit. Exactis, post hæc, paucis mensibus, mortua, apud Argi montem, Maria Caroli vxore, Bohemorum regis sorore, Iohannam, Ebroicensis comitis filiam, ex dispensatione pontificis, quòd eius consobrina esset, sibi copulauit. Et mox apud Aquitanos ab Hugone Mompesaco, ex huiusmodi causa bellum insurgit. Mompesacus, in loco, qui regis erat, propugnaculum munitissimum extruxit, idq; ad Anglũ regem pertinere contendebat. Lite ab arbitris discussa, rex præsidium propugnaculo imponit. Quod postea Mompesacus, auxiliante Aquitaniæ Marescallo, occisis, qui in eo erant, custodibus, recuperat. Quam iniuriam non æquo animo ferens Carolus, ne in re sua iudex esset, Anglum regem per nuncios monet, Mompesacũ castiget, & de iniuriis satisfaciat. Deputat Anglus fratrem suum Aimerum, data potestate, controuersiam componendi. Qui ad Carolum proficiscens, omnia pro regis voluntate diffinit. Igitur rex, misso, cum Anglis iudicibus, in Aquitaniam Iohanne Darblao, qui eius nomine satis de iniuriis factionem exciperet, postquam ad primos Aquitanię fines ventum est, Et tu Iohannes, inquiunt Angli, si capiti tuo parcis, in Franciã reuertere. Quo verbo Iohannes dolum intelligens, regi nunciat iudicum perfidiam. Qua cognita, rex non ignarus, quia per Anglorum contumaciam ad sibi editam diem rex Anglus non venisset, Aquitaniam ad fiscum rediisse: Carolum Valesium cum exercitu qui regionem vendicet, mittit. Is Agenum vrbẽ petens, eam, dedentibus sese sponte ciuibus, capit. Infensi enim Aimero erant, propter pecuniam, quam ab eis supra paucos dies exegerat, & propter speciosissimæ cuiusdam puellæ stuprum, quam ille abduxisset. Profectus deinde Riolam Carolus, vbi Aimerus se receperat, cum militem propius admouisset, eruptione ab oppidanis facta, Francos cedere coegerũt, occiso sancti Florentini domino. Cuius mortem vendicaturus Carolus, extructis machinis atq; ligneis tabulatis ad muros admotis, oppugnare locum mandat. Pugnabat enim Francus ex ipsis tabulatis, conserta manu aduersus hostem, ita, vt desperata prope salute, de pace ad Carolũ nuncios hostis miserit. Contentus se atq; locum Carolo permittere, modò liceat iis sedes non mutare, qui & manere, & regi Franco fidem iurare velint, reliquis Angli partes sequi volentibus, saluis suis fortunis abire. His conditionibus propositis, Aimerus relictis apud Carolum Valesium obsidibus viris proceribus, in Angliam ad regem ire permittitur, qui regis sententiã de legibus pacis exquirat. At cum nõ reuerteretur Aimerus, Riolla Carolo deditur, & Mompesacus diruitur, restituiturq; propugnaculum, quod hostis deiecerat. Riolla recepta, reliqua Aquitania, præter Burdegalam, Baionem, & sanctum Seuerum, Carolo obtemperat. Non intercedentibus, post hæc, multis diebus, regina Angliæ Isabella, Caroli regis soror, in Franciam veniens, inducias à fratre obtinet, spe (vt ipsa dicebat) componendæ firmioris pacis, atq; interim ad virum suum regem mittit. Qui pollicitus, post paucos dies Bellouacum conuenire, ibiq; Franco regi debitam, ob Aquitaniæ principatum, fidem præstare, per nuncios filio Edouardo, qui cum regina venerat, omnem Aquitaniam attribuit. Qua ex patris dono recepta, Edouardus in verba regis Franci iurat, &, vt est in verbo Gallico, homagium exhibet. At regina, Edouardi mater, cum aliquot dies in Francia mansisset, timens ne viro suspecta haberetur, in Angliam reuerti instituit. Id postquam resciuit rex Anglus, singulis portubus custodibus appositis mandat, reginam ingredi Angliam prohibeant, atque vt nequitiam dissimulet, Romanum pontificem per legatos orat, Carolum Franciæ regem moneat, Isabellam ad se remittere. Quod vbi Isabella resciuit, illa nihilominus accersito Iohanne Hannonio, Guillermi comitis Hannoniæ fratre, strennuo equite, qui trecentos milites in potestate habebat, in Angliam nauigat.

Belli causa in Aquitania.

Aimerus nequã Anglus.

Regina Angliæ cum filio Edouardo in Franciam venit.

Et

Et quoad maxime potuit, plærosque sibi ex Anglis conciliat, exhibens illis Edouardum filium, vt illum, quasi futurum aliquando regem, vererentur. Nec destitit, quoquouersum rex Anglus iret, eodem se recipere. Quam cum pertinax maritus nullo pacto audiret, proceres indignati, arma in eum mouent. A quibus ægrè se tutatus Anglus, ad Gallias insulā se recepit. Captus est Hugo dispensarius apud Brestum: cuius consilio rex vxorem non admittebat. Captoq; paulo post rege Anglo, conuenientibus Londoniis proceribus, repudiato patre, Edouardum filium regni diademate insigniunt, anno Christianæ salutis MCCCXXVI. Hugonem verò dispensarium, post euulsa illi intestina, & se inspiciente cremata, capite puniunt. Carolum autem Pulchrum, anno insequente, apud Vicennas morbo extenuatū, mors absumpsit: impositusq; est regio sepulchro, in sancti Dionysii æde, anno salutis CCCXXVII. supra M.

Post huius obitum, cùm Iohanna eius vxor grauida esset, disceptatio inter proceres insurrexit, quis interim, dum reginæ partus expectatur, regni administrationem gereret. Duo erant, qui, id sibi iure deberi, prædicabant. Philippus Valesius, & Edouardus III. ex Maria, Philippi Pulchri filia, natus. Philippo maxime suffragabatur, quòd ipse masculino gradu Carolo Pulchro proximus haberetur. Edouardo autem, si quod ad hanc rem ius pertineret, id à fœmina esse, quæ nullo tempore visa est, Francorum imperium moderari. His rationibus Valesius administrando regno præficitur. De Nauarræ regno, contendentibus plurimis, nihil tunc diffiniri potuit. Quæ res, quia ad eam, quam percurrimus, historiam conducere minime videtur, illam prætereo. Per id tempus de Petro Remo supplicium sumptum est, quòd regiam pecuniam male administrasset. Et Iohanna regina, quam grauidam Carolus Pulcher moriens reliquerat, apud Vicennas filiam enixa est. Quamobrem, Philippus Valesius ex regente rex appellatus est, & à Guillermo, Remorum archipræsule, vnà cum vxore regina, coronatus. Inde Parisios repetens, cùm secum reputaret, quàm peruicaces Flamingi & in se, & in Ludouicum, eorum comitem, persisterent, capto à proceribus consilio, grandem exercitum in eos ducit. Ad Casletum autem cum peruenisset, Flamingi flocci Philippum habentes, Gallum ex lineo panno cum his verbis effigiant. *Cum hic Gallus resonabit, rex repertus Casletum occupabit.* Philippum enim *repertum* appellabant, arbitrantes, illum non legibus factum regem. Hanc Galli effigiem in edito loco, Philippo illudentes, constituunt. Quod factum, magnæ calamitatis causa Flamingis fuit. Nam ex eo tempore Philippus cogitationem suam ad eorum internicionem vertit. Itaque accito Roberto Flandrensi: eum cum ducentis instructis militibus, ad sanctum Audomarum, mittit: qui Flamingos, ne dilaberentur, diligenter obseruet. Iubet rursus Ludouicū, Flandriæ comitem, insulam cum copiis proficisci, qui Flamingis, si quippiam molirentur, obstaret. Animaduerso tam instructo apparatu, Flamingi nobilitate destituti: cum nullos idoneos præfectos haberent: trifariā se diuiserunt: Furnenses & Brugenses plebeios cum Pourpringis ad Casletum ire iubent. Brugensibus atq; Franconiis mandatum est, Tornacum versus mouere. Iprenses & Curtracii insulæ partes recipiunt. Philippus vero ad nouā fossam reliquum exercitum continebat. Quam in decem acies distribuit: primæ Marescalli & Balistariorum præfecti prçfuerunt. Secundam duxit Alenconii dux. Tertia magistro hospitalarii ordinis obtigit. Quartam Galterus, de Castilione Conestabilis, accepit. In quinta ipse rex erat: quem Nauarrorum rex cum Lotharingiæ & Barri ducibus comitabatur. Sextæ ductor Burgundiæ dux fuit. Dalphino Vienensi septima attributa est. Octauæ præfuit Hannoniæ princeps. Nonam Britonum dux administrauit. Postremæ imperabat Robertus Arthesiensis. Ad hunc tam instructum exercitum, Borboniorum dux postera die, XIIII. militaribus signis stipatus, accessit. Hæc cum in amplissima valle constituuntur, Flamingi, constitutis ad Casletum edito loco castris, vnde Francorum acies despicere poterant, ita suos instruunt, vt à Francis videri ipsi possent. Postquam nullam pugnandi potestatē fecissent: Philippus paulo propius incedere suos iubet: vt à monte, quo se tuebatur, hostem deduceret. Postquam id parū conducere intelligit: Marescal-

CAP. 2.

Bellum in Flamingos.

Acies à Philippo Valesio ordinata.

Vide Francorum incuriā.

los vltra Casletum cum copiis mittit, qui omnia late & perderent & cremarent. Sed neque hoc accepto damno, Flamingi loco se mouerunt. Reuersis, ab incursionibus, Marescallis: cùm ex labore se curare statuissent, nostri segnius agere cœperunt: neque excubias adhibent. Sed proceres palantes per tentoria, aleam ludebant, aut lusibus animum relaxabant: rege, in tabernaculo suo, cum paucis cubiculariis, & duobus, diui Dominici ordinis, fratribus agente. Quibus ab hoste vigilanter animaduersis: tribus sub vesperam aciebus, relicto monte, in nostros ire festinant. Iamque infesti aderant: cum à nostris sublato clamore, pars sanctum Audomarum versus, fugam parabat. Nec moratur hostis regis tabernaculum appetere: fecissetque, nisi à Mareschallis contrà occurrentibus fuissent impediti. Per hanc moram, reliquus exercitus armis resumptis acrem pugnam instaurat: atque interim rex suis ad se propere venientibus, in hostes fertur: præcedente Milone de Noiers, auriflammæ signifero. Pugnatum est ab alterutris accerrime. Sed cedentibus tandem Flamingis: Francus victor extitit, paucis desideratis. Ex Flamingis autem octingenti supra decem & nouem millia cecidisse referuntur. Qui vero ex prælio fuga dilapsi erant, cum se in agro, sepibus vndiq; vallato, recepissent: à comite Hannoniæ, qui in Casleto monte considebat, aspecti: primo quidem ferocissime restiterunt. Deinde fracti, nostrorum incursu omnes occisi sunt. Post partam victoriam, quarto die, Philippus mouens, receptis in fidem oppidis, quæ ad oram maritimam sunt, Ipras contendit: & sponte deditam recepit, supplicio affectis quibusdam, defectionis auctoribus, atque armis à ciuibus datis. Campana præterea, quæ in edita turre pendebat, ad plebem repente concitandam, deiecta est. Dum hæc à Philippo geruntur, Brugenses, qui Tornaci fines aduersus corũ comitẽ Ludouicum obseruabant, audita suorũ clade, comitis se potestati permisere: quos ad Philippum deductos partim rex morte affici, partim in exilium agi mandat. Atq; ita Flamingis x. Calendas Septembres, anno Christi MCCCXXVIII. subactis, Philippus Ludouicum comitem in Flandriam restituit: His eum verbis admonens. Age, inquit, Ludouice, cautior deinceps esto, ne per iniusticiam principatu exclusus, nostram opem rursus implores. Cuius verbi recordatus comes, postquam in Flandriam venit, ad decem hominum millia, eorum qui rebellionis participes extitissent, interemit. In quem, cùm Guillermus Canus, ex Brugis ad Brabantinum ducem euadens, auxilium petit, ad Philippum perductus, manibus abscissis, in rotam primum, more patrio, surrigitur, deinde patibulo appenditur. Nondum de Aquitania Edouardus debita Philippo iuramenta præstiterat. Ideo misso in Angliam Iohanne Fiscani abbate, Edouardum Philippus monet, secundum feudi leges, fidem exhibeat. At legatos Anglus ad se non admisit: sed à matre eius regina, responso accepto, ad Philippum legati redierunt. Edouardi contumacia cognita, rex Attrebatium episcopum, & Baronem de Craone in Aquitaniam legat, qui regionis prouentus, sub regis potestate, reponant. Atque interim in Angliam secundo mittit, diem Edouardo dicere, ea lege si venire negligeret, dicendum ius nihilominus aduersus eũ esse. Venit tandem Edouardus, atq; apud Ambianos, quò se Philippus contulerat, fidem, ob eas, quas in Aquitania & Pontiuiaco terras possidebat, præstitit. De his autem, quas à Carolo Valesio, Philippi patre, ablatas sibi fuisse dicebat, iudicium Parlamenti senatus exposceret.

Flamingi regem inuadũt.

Philippus Flãdriæ comitem alloquitur.

Guillermus suspenditur.

Edouardus fidem Philippo præstat.

Eadem tempestate, Philippus animo voluens, quàm procliues ad seditionem Flamingi semper extitissent, misso Iohanne, Abrincẽsi antistite, portas Iprensis oppidi, atque Curtraci, & aliarum quarundam arcium munitiones dirui confestim iubet. Per eosdem dies Robertus Arthesiensis aduersus Mathildem, ob Arthesii principatum, in iudicio contendebat: nitebaturque comitatum ipsum, paterno iure, vendicare: quanquam Parlamenti decreto Mathildi fuisset addictus. Sed aduersus decretum, Robertus literas, recenter inuentas, exhibebat: quibus se terræ ipsius hæredem asserebat. Literis penes regem depositis: Mathildis diligenter explorat, vnde syngraphũ emanasset. Compertum est, id à fœmina nobili, ex Bethuniensi agro, quam Robertus in delitiis habebat, fuisse sequenti calliditate inuentum. Erat Attrebati ciuis potens, qui annuum ex comitatu Arthesii pro-

Robertus Arthesiensis.

sui prouentum, emptionis lege, sibi quoad viueret tantū, comparauerat, eiusq; emptionis syngraphum erat patris Roberti sigillo firmatū. Ciue mortuo, fœmina ex hæredibus litteras recuperat, vtpote, quæ nullius momenti hæredibus essent. Literis receptis, sigillum calenti ferro detrahit, atque alteris, quæ ad causam Roberti pertinerent, confectis, vetus sigillum agglutinat: easque ad Robertum deferens se illas domi forte fortuna reperisse ait. Fraude cognita, per eum, qui syngraphum scripserat: Philippus Robertum ad se vocatum hortatur, à lite desistat: sibi sine ambiguitate constare, adulterinū syngraphum esse. At Robertus mali propositi tenax, regem non exaudit. Quamobrē Philippus syngraphū ad iudices mittit, & fœminā apprehendi iubet. Quę, tormētis expressa veritate, igne consumpta est, in eo loco, qui porcorū mercatus à Parisiis appellatur. Eisdem diebus querimonia aduersus clerū exoritur, quem ditione sua abuti, plerīq; palam testabātur. Eius rei causa conuocato cōsilio: cum de ordinandis legibus ageretur: regina visa est conari, ab ecclesiasticis iurisdictionē abrogare. Quod postquā Philippus cognouit: nō, inquit, vt clero quicquā detrahatur, hæc concio habita est. Non enim modo non auferre ecclesiis sua iura: sed ea ampliare in animo est: satis esto errata emendare. Sed de Roberto Arthesiensi reliquum persequamur. Prohibitus Robertus captam ob Arthesiū litem producere: quia fœminæ suppliciū grauius iusto ferebat, regi detrectare veritus non est. Et cū obloquenti dies ad iudiciū dictus esset: venire contemnens: me, inquit, autore Philippus rex institutus est, & me quoq; autore regno depelletur: atq; ita irritatus, equos, quos formosissimos habebat, cum omni thesauro Burdegalā misit: Moxque in Angliā omnia traduci iubet. Ipse ad Guillermum Hannoniæ comitem primum, inde ad Brabantinum ducem, consobrinum eius, festinanter contendit. Hic autē Brabantinus, Guillermi Hannoniensis filiam, vxorē filio suo accipere instituerat. Quod Philippus sagacissime intelligens, cum maxime sciret, Guillermum ipsum, alias suas filias, magnis principibus collocasse: & inde sibi & potentiam & auctoritatē comparasse: veritus, ne accessione ducis Brabantini incrementum acciperet, pręsertim in eo tempore, cum Edouardus bellū in Francos parare nūciabatur: Brabantinū ad se venire Cōpendium orat, quò Bohemus rex, & Iohannes Hannoniensis, & Iuliaci comes, atque Leodiensis antistes, conuenerunt. Quibus cum amicitia iuncta, Philippus Brabantino seorsum assumpto: monstrat eas nuptias, quas de Guillermi filia instituerat, inferiores dignitatē sui generis esse: habere se filiam, quam filio dare, si non abnuat, velit. His Philippi verbis persuasus Brabantinus: discedentibus à rege aliis principibus, apud Philippum mansit. Ea re cognita, Robertus Brabantiā deserēs, Namurcum profectus est. Qui postea ob contumaciam regno interdictus est, & bona eius publicata. Et his item diebus, Ludouico, Claromontano comiti, rex concessit, vt, qui dominus Borbonii appellabatur, ducatus dignitatem assumeret. Ad hunc modum Borboniorū ducatus initium accepit. Per idem tempus Iohannes Normannorum dux, Philippi primogenitus, apud Meldunum Bohemorum regis filiam, vxorem duxit. Quo item die Brabantini ducis filio, Maria, Philippi filia, nupsit. Nuptiis celebratis: conuentu multorum sacerdotum atque procerum Parisii congregato: Philippus expeditionem se ad Hierosolymam ducturum proponit, & Iohāni filio XIIII. annum agenti, regni curā mandaturum: ideo orare eos, qui aderant: filio obtemperarent: &, si in ea expeditione moreretur: fidem erga illū seruarent. Iureiurando, pro Philippi voluntate, recepto: consilium rex dimittit. Interiectis inde paucis admodum diebus: Radulphum Augi, id est, Deu comitem: & Beluacorum pontificem ad Edouardum proficisci mandat: sciscitatum, si ad eam, quam in Syriam expeditionē parat, socium se coniungeret. Quibus Edouardus respondet, mirari se, Philippum longinquam profiteri militiam, qui de Aquitania id quod Ambianis promiserat, non absoluisset: oportere quidem illum, erga se conuentorum, fidem seruare: qua expleta, se ad expeditionem Philippo paratiorem fore. Verum quamuis ad hunc modum oratores à se dimisisset: tamen, postquam aduersus Scotos auctore Edouardo Bailliolo bello decertasset, Cantuariæ archiepiscopum, cum Philippo Montisacuti, & Gaufrido Scorpo ad Philippum legat. Qui initio, cum ad regem acces-

Mulieris astutia.

Regis calliditas.

Roberti Arthesiensis bona publicantur.

Borbonii comitatus.

ſiſſent, parum comiter habiti: ſuæ legationis exordia apud comitem Deu, & Petrum Rogerium Rothomagorum archipręſulem: Mareſcallumque Trecenſem, fecere. Cauſa, quamobrem veniſſent, expoſita, ad regem perducti oratores, pacem cũ Philippo firmant. Sed diſcedentibus à rege, in ſua diuerſoria, Anglis: mox Philippus eos ad ſe reuocare iubet. Venientibus rex ait, eam cum illis pacem iniuiſſe, cuius Scoti participes habeantur, quamquã de illis nulla prius oratio habita ſit. Hanc Angli conditionem cum ſe admittere non poſſe reſpondiſſent: in Angliã abierunt. Eius legationis relatione Edouardo facta: excandens Anglus, iurat ſe prius omnem Scotiam perditurum, quàm ea ſe pacis lege teneri. Anno eodem, nundinis, in agro ſancti Dionyſii, exiſtentibus, repentinus ignis in merces exarſit, quo Lenditum, id eſt, vt ſupra interpretatus ſum, edictũ, conflagrauit. Hugo quoque Eruſſiacus, Pariſienſis prætor, & deinde parlamenteus præſes, ex Burgundia oriundus, ob corruptum à ſe iudicium pœnas luit, patibulo ſuſpenſus, XII. Calendas Auguſti, anno dominicæ paſſionis MCCCXXXVI. Et regina in puerperio, apud Vincennas, decumbẽte: quæ Philippum pepererat: tãto fulgure atque tonitru aer inhorruit, vt pars cubiculi, vbi regina incolebat, deciderit, & cortinę contritæ ſint. Ingentes arbores ſuis ſedibus euulſæ, & plerique homines trucidari, per hanc tempeſtatem.

Punitus iudex, corruptus pecunia.

Edouardus exulceratum animum gerens, ob dirutam apud Xantonas arcem, aliaque ſibi ſurrepta loca per nũcios à Philippo petit, ea omnia reſtitui. De qua re, etſi crebrę vltro citroque legationes interceſſerint: impediente maxime Carolo Valeſio, nulla concordiæ via fuit. Vnde animatis ad bellũ regibus, Edouardus animaduertens, Philippum Scotorum partes ſequi, cum Ludouico Bauaro amicitiam init, atq; armis ſe, quàm maxime poteſt, inſtruit. At contra Philippus, controuerſiam, quæ Burgundo duci aduerſus Iohannẽ Cabilonenſem, ob ſalinarũ fontẽ erat, ſedat. Quo tẽpore cometes apparuit ignitiſſimus, futurorũ, quę ſuperuentura erant, & aſtronomi prognoſticabãtur index.

Cometa.

Nam, & ab Anglis incurſiones plurimæ, atq; incẽdia facta fuere. Nec minus in Anglos, Frãci graſſati ſunt occupatis in Vaſconia plæriſq; locis, incenſis quoq; in Anglia, duce Nicolao Bucheto, nõnullis villis, ad maris orã.

Bellum inter Frãcos & Anglos.

Nec prętermittit Edouardus cũ Flamingis ſocietatẽ iungere, repugnãte magnopere eorũ comite: Philippo inſuper rege diſſuadente. Sed erat Gãdaui Iacobus Arteuella, plebeio genere ortus, & qui ſeruili miniſterio Carolo Valeſio aliquãdo ſeruierat. Hic cũ aſtutus eſſet, & ingenio polleret, Edouardus auctoritatẽ illi apud Gãdenſes cõparat, ita vt nõ parui, intra paucos dies, fuerit æſtimatus. Nactus ergo nomẽ Iacobus Arteuella, Gãdẽſibus, quã neceſſaria illis eſſet, Anglorũ cõmunio, oſtẽdit. Flamingos omnes lanificio deditos eſſe, dicẽs, qui (niſi ex Anglia) lanas nullas haberẽt, ideo operę preciũ illis eſſe, Edouardi partes ſequi. Hac oratione perſuaſis Gandenſibus, ipſe Brugas petit, ſatellite multo ſtipatus. Deinde Ipras, atq; alia maritimę oræ oppida peruadẽs, ab omnibus magna lætitia exceptus eſt. Poſtea autẽ cõuentu Gãdaui facto, coniurãt omnes bellũ cũ Edouardo gerere.

Iacobus Arteuella.

Atq; ita omnes, qui exulabant, ad ſe reuocarũt, coacta nobilitate, obſides dare, ne ſecus ac iuratũ erat quiſpiã moliretur. Ea factione cõperta, comes Gandauũ ſe contulit, ſi forte reducere ad meliorẽ mentẽ Flamingos poſſet. Qui veniẽtẽ comitẽ apud ſe diſtinẽt. Sed dolũ comes eludit. Exactis paucis diebus, facti ſe pœnitere, & eorũ ſententiã ſequi ſimulat, & recepta, qua vtebãtur, veſte cœpit inter illos perfamiliariter cõuerſari. Tandẽ bonã apud illos opinionẽ aſſecutus, inſigniores fœminas ad conuiuiũ accepit. Poſt delicatiſſimas epulas, cùm iocatũ luſumq; eſſet, comes venatum ire ſimulans, Gãdauo egreditur, cum canum rapaciumq; volucrum turba. Atq; hoc pacto, dum quærendis vel ardeis vel feris quiſque ſtudet, ipſe cum paucis ſe ſurripiens, ad Philippum venit. Cuius aduẽtu lætificatus rex, aliquot ex Flamingis, factionis autoribus, ſacris & cõmunione Chriſtianorũ, põtificis Romani auctoritate, interdicere facit: miſſis, qui ſentẽtiam exequerentur, Siluanectenſi epiſcopo, & Guidone Caſtrenſi, Dionyſiano abbate. Hæc quæ de comite ſcribo, Froſſardus geſta eſſe tradit: obſidente Caliſium Edouardo: qui Iſabellam filiam, comiti deſponſare adnitentibus Flamingis curauerat. Sed comes, cum eas nuptias ægre admitteret, quia eius pater fuiſſet ab Anglis interemptus, Gandauo abire

Flamingorũ coniuratio.

abire ad Philippum sollicitè laborauit. Dum hæc à Philippo geruntur, Edouardus in Brabantiam, atque inde in Alemanniam cum vxore sua, Hannoniensis comitis filia se confert: vbi contracta cum Ludouico Bauaro, pseudoimperatore atque ex communicato societate, Ludouici vicarius constituitur, vt, nominis amplitudine, Theutones ad sese alliceret. Quorum magnum numerum, proposito stipēdio, comparauit. Nec Philippo cura defuit, se suosque, aduersus imminētem hostē, instruendi, sed collecto ingenti exercitu, ad Ambianos castra metatus est. Vbi, postquam longo satis tempore consedisset, cognito, quòd Edouardus apud Alemãnos delitiis vacaret, præsidiis per munitiores vrbes depositis, reliquum exercitum dimittit. Visus est, per id tempus, sub minore vrsa, alter cometes, sine vllo splendore, perpallidus. Et Franci, nauali pugna, duas ex Edouardi classe onerarias naues, non sine suorum cæde, capiunt. Quæ, cum multis variisq; opibus cumulatæ essent, magno Francis commodo, extitere. Hautona quoque Angliæ in ora maris oppidum, iniicientibus ignem Frācis, conflagrauit. Et Penna arx, in agro Agenensi, excepta est. Ipsi præterea Gandenses, duce Iacobo Arteuilla, alias Flandriæ regiones, ad defectionem, sollicitant, quæ cum se dicerent in Francos arma non sumpturos, non, inquit, Arteuilla in Francos, sed in comitem, bellum paramus: qui nos & vectigalibus premit, & afficit iniuriis. At Philippus prudenter cōiectans, quę ab Anglis Flamingisque bella in eum mouerentur, vt Normannos in fide contineret, multis eos priuilegiis donat: & Haricuriæ principatum, comitatus appellatione decorauit. Et eisdem diebus in Philippi potestatem venere, Burgus & Blauia, munitissima, in Aquitania, oppida, depræhensis Eudone Caluomontensi, & Iohanne de Alberto. Cōtra verò, ad maris littus, Picardiā versus, Angli Tramportum capiunt. Et Edouardus, quas numerosas, diuersarum gentium, copias, ad quadraginta millia contraxerat, in Franciam mouet. Cui ad sanctum Quintinum, Viromandiæ non cōtemnendum oppidum, cum valido exercitu centum millium armatorum Philippus occurrit. Interim tamen, dum ibi tantisper se continet, dum omnes copiæ conuenissent, Anglus Terrasciam populatus est. Conuenientibus simul copiis, cum rex manu conserere inter Burum fossam, & Flamingariam, instituisset, quidam in exercitu primores, id agere, dehortantur: esse Veneris diem, quæ Christianis venerabilis esse solet. Militem eo die magnum iter cōfecisse, neque equis spacium fuisse, pabuli aliquid capiendi. Intercedere præterea inter se, & hostē locum, transitu difficilem. Igitur vtile fore, si in posteram proximam diem prælium intermittat. Hęc, etsi inuitus audiret Philippus, prælio tamen abstinet. Interim Edouardus intempestæ noctis silentio, Francia relicta, ad Theutones in Brabantiam se recepit. Quare fraudatum se rex arbitratus, exercitum in Franciam reduxit. At Flamingi, comite suo deserto, ad Edouardum proficiscentes, eum, vt Francorum regem, cōsalutant, in verba eius iurantes. Ea Flamingorum veneratione lętus Edouardus, quod eorū auxiliis rem praeclatam gesturus esset, in Angliam pergit, pecuniam ad belli vsum coacturus. Interea Terracenses, qui Hannoniis finitimi sunt, duce Iohanne Veruino, Hannoniam vastant, Aspra oppido, nonnullisque locis incensis. Hac calamitate offensus Iohānes, Hannoniæ comes, Veruinum in prælium prouocat, die ad dimicādum dicto: quod cum non detrectaret Veruinus comes, Aubertū, quę Francorum erat, suo pręsidio destitutā (nam ad Veruinū, laturus opem, miles profectus erat) populatur atq; incendit. Grassabatur aliūde & ipse Anglus, & Boloniæ suburbana, cum aliquot nauibus cremat. Diu quidem, per annos tres, cum omnia incursionibus perderentur, & milites inter se leuibus tantū præliis contenderent, multis populus incommodis grauabatur. Nam, Tornacenses, Philippi iussu ad Curtracum excurrentes, numerosam pecudum & boum prædā, ex Flandria abegerant. At Edouardus in Angliam traiiciens, comitem Salberiensem, Oxonæ dominū, rebus Flandrensibus præfecerat. Hi, vt aliquo insigni facto nomen, per Edouardi absentiam, compararent, insulam obsidere constituunt. Quare accersito Guillermo Montisacuti, qui reginæ apud sanctū Bauonē, Gandaui cœnobiū, puerperæ custos à rege Anglo, fuerat deputatus, Armentariā, quæ non procul ab insula distabat, & eam Genuēsium cohors tuebatur, incendūt. Inde Marquetæ monasteriū adeūtes,

Haricuria in comitatum erigitur.

Fugit Edouardus.

Edouardus à Flamingis rex Francorum appellatur.

Salberiensis apud insulam fusus.

ibi cõsiliũ capiunt, de insula obsidenda. Mittũtur ducenti equites cum Salberiensi, & Guillermo, qui insulę sitũ explorent. Quorum cognito aduẽtu, Insulenses clã, bona ciuiũ parte emissa, duce Relaio, viro nobili, appropinquantem oppido Salberiensem, à tergo inuadũt, capiuntq;, reliquis fere omnibus interẽptis. Perductum autem, ad regem, hostẽ Anglum, in Castelleto Parisiorũ, carceri Philippus cõmittit. Hoc malo auspicio Flamingi nutãtes, de pace ad Philippũ nuncios mittunt. Verum pacis leges, quas illi proponebant, rex non admisit. Reiectis igitur à se nunciis, copias Attrebatũ ducit, præmisso, in Hannoniã, filio suo Iohanne, qui regionẽ popularetur. Qui collecto, ex finitimis præsidiis, exercitu, post duras excursiones, Valencenas vsq; latissime factas, cũ ad Scãdoueriũ castellũ dies fere x v. in obsidione sedisset, aduenĩete Philippo obsessi paulopost, se & fortunis suis saluis, deditionem fecere. Arce diruta, ad Thuinũ, quæ arx Cameracensis episcopi erat, pergunt, quã, à Richardo Limonsino egregie defensam, & Scalde flumine allutã, Philippus pertinaci oppugnatione vexat: in quem, à Bochaini præsidio, quod prope erat, fiebant quotidianæ incursiones. Nec longa mora interfuit, ecce Brabantinorũ dux: & Geldrensis comes, & Iacobus Arteuella, cum multa Flandrensiũ manu, ad diuersam, quà Philippus militẽ habebat, Scaldis ripã, castra fecere. Ponte ad Scaldẽ extructo, frequens & acris pugna fuit. Sed machinarũ crebro iactu concussis muris, castelli præfectus (opibus in nauem depositis, atque igne in arcẽ iniecto) ad Alemannos nauigat. Quibuscum silenti nocte aufugit. Flagranti autẽ castello, miles Francus succurrit, incendio restincto. Inde Normanniæ dux, Iohannes, assumpto in societatem Burgundionum duce, Hannoniam infestat, qua decursa, paucis post diebus, ad Philippum patrem, reuertitur. Constituerat Philippus Bouchainum obsidere, sed audito Edouardi conatu, qui numerosa classe in Flandriam traiicere nunciabatur, locis hosti finitimis præsidio imposito, Franciam repetiuit, ad comparandam, aduersus Edouardum, classem. Quam ex Normannis Picardisque (ducibus Marescallis) celeriter eductam, armis, milite commeatuque Philippus instruit, institutis ductoribus, Hugone Quiereto, Nicolao Bucheto, & Barbauario, maritimarum rerum peritissimis. Hi c c c c. nauium classe mouentes, ante Sclusam, Flandriæ communem portum, constiterunt, ita, vt nec Anglo ingrediendi, nec Flamingo egrediendi potestas esset. Hæc Francis agentibus, Edouardus Roberto Arthesiensi comitante, conscensis nauibus, prospero vento in conspectum Franciæ classis paulopost adnauigat. Quo adnimaduerso, Barbauarius: ecce, ô commilitones, inquit, regem Anglum. Qui si omnibus nauibus nos in hoc angusto mari intercipiat, nulla nobis erit, classem dilatandi, potestas. Satius esse arbitror, in late patens pelagus nos traducere, quorum in oculos sol irradiat, & maris fluctus nobis aduersatur. Hæc Barbauario loquenti: Nicolaus Buchetus, & tu, inquit Barbauari, pecuniæ rationem melius, quàm naualem pugnam ministrares. A furca pendeat, qui hinc discesserit. Periculi peritus Barbauarius, cum quatuor triremibus portu soluit. Ante omnem Edouardi classem præcedebant onerariæ naues duæ, quibus nobiles quidam Angli vehebantur. In quas inuectus Barbauarius, non magno negocio naues superat, occisis, qui in eis erant, vniuersis. Sed instauranti, tota classe, pugnã Edouardo: cùm portu adhuc Franci se cõtinerent, & loci angustia atq; hostium multitudine ita premerentur, vt sese explicare non possent, nec in continente se recipiendi facultatẽ haberent: littora Flamingo obseruante: postquã horas sex acerrime depugnassent, periere, pridie festi Iohãnis Baptistæ, anno salutis c c c x l. supra mille. Itaque Quieretus in hostium potestatem viuus incidit, qui classis partem sibi attributam, solis piscatoribus, & vilis ministerii hominibus armauerat, quòd eos scilicet modico stipendio conductos acceperat, nobilitate cõtempta, cui maius stipendiũ opus esset. Buchetus autem, qui Barbauario furcas imprecatus fuerat, in malũ sublatus, strangulatus est. Vnus tãtũ cũ paucis minorib⁹ nauigiis Barbauarius euasit, reliqua classe amissa, cũ illis duabus, quas sub ipso pugnę præludio, captas retuli. Cecidisse ex vtroq; exercitu triginta millia traduntur, Edouardo autem femur tragula traiectũ fuit. Qui solidato vulnere, Gãdauum omnes belli duces accersit, vt de reliquo bel

Classis Francorum.

Clades ingens Francorum apud Sclusam.

lo gerendo rationem exquireret. Est in Frossardi historia, Francos omnes in hac nauali pugna occubuisse. Et, cum ipse autor plus Anglis, quàm Francis (suo more) tribuat: contrahit, vt vult, suam narrationem, vel ampliat. Nam cum maxime verum est, Buchetum alterum classis ductorem, fuisse à malo, iubente Edouardo, suspensum, id tamen Frossardus præterit, quia id ad Edouardi gloriam minime pertinere, non ignorabat. Cum Anglus copias in continentem deposuisset, atque Gandauum peruenisset, placuit, omnes copias biuariam diuidere: vnam Alemannorum atque Gandensium, qui Tornacum versus mouerent, reliquam ex Flamingis, qui ad oram maritimam & Casletum incolunt, cui Robertus Arthesiensis præficeretur, sanctum Audomarum petere Edouardus iubet. Ordinatis, ad hunc modum, copiis, ipse ad Sclinium, Tornacensis episcopi prædiũ, tentoria sua ponit, atque ciuitatem vndique circumuallat. Erãt enim in eius exercitu, præter Anglos, Brabantinorum dux, comes Hannoniæ, Iacobus Arteuella, & ex Theutonum proceribus quàm plurimi: ita, vt omnis exercitus centum & viginti millia esse diceretur. Postquam Philippus cognouit, quid ab Edouardo ageretur, Conestabilem, Fuxi comitem, & Bertrandum, alterum ex Marescallis, cum quattuor equitum millibus, Tornacum mittit. Burgũdorum vero ducem, cum magno procerum numero, ad sanctum Audomarum progredi iubet, qui duabus & quadraginta nauibus delati, imperata fecerunt. At rex ipse, delecto sibi exercitu, castra inter Attrebates Lensumque habuit, dubius adhuc, quorsum inclinaret. Robertus vero, Arthesiensis, cui attributi inferiores Flamingi erant, vix eos ducere potuit, cùm omnino instituissent, Nouam fossam non præterire. Sed dolo vsus Robertus, affirmat se ex oppidanis sancti Audomari binas litteras excepisse, quibus maxime sperabat, patere illi in vrbem aditum, si illò copias promoueret. Creduli Roberto Flamingi, Arquas (qui vicus est, Flãdriam euntibus, sancto Audomaro proximus, arcem habens) protenus petunt. Ex quo loco, incursiones atque incendia fecere. Interim mens Philippo fuit, in Robertum Arthesiensem, ducere. Quod postquam Robertus cognouit, vocatis ad se sui exercitus primoribus, ait, tempus esse ad sanctum Audomarum propius concedere, se alteris litteris ab oppidanis admonitum, ne oblatam occasionem prætermittat. Læti hoc nũcio milites, armis captis, in aciẽ à Roberto ordinãtur. Igitur duplici acie instructus, proxime hostem, copias sistit: Pugnatum est diuersis locis acerrime, ita, vt pro portis oppidi Robertus irrumpẽs, equites aliquot Francos occiderit. Sed dum ad hunc modum furit, Arthesienses, & nonnulli ex Flamingis, qui in Francorum exercitu erant, in alam Bergensium atque Furnensium irruentes, & comes Armeniaci, aliorsum pugnam in Iprenses committens, hostem in fugam vertunt. Rediens autem in castra Robertus, cum deserta omnia comperisset, Casletum primò, deinde Ipras, mox ad Edouardum se recepit. Ex quinque & quadraginta millibus, qui cum Roberto militabant, tria tantum millia interempta fuisse, memoriæ proditum est. Fuga Flamingorum cognita, Philippus Ipras copias ducit, & Edouardus de Vindesora, obsidere Tornacum festinat. Literas quoque ad Philippum in hac sententia dat. Non ignorare illum, pro sua virtute & sapientia, Franciæ regnum ad se optimo iure pertinere, quod vi atque armis ipse Philippus vsurparet: se propterea, Flamingorum maxime auxilio, in Franciam traiecisse, quæ sua esset. Ideo scite probeque facturum, si iniurius vltra non fuerit, sibique debitam hæreditatem, liberam dimittat, ne eius culpa, populus calamitate cladeque violetur. Si minus id curet, seligat homines belli peritos centum, quibus cum ipse, secum cum totidem armatis cõgrediatur: alioquin totis copiis ad pugnam descendat. Post præsentes litteras scriptas, decimo die ad prçliandum constituto, ad has Angli litteras, Philippus, ad insequentem modum, respondit: se vnas quidem litteras vidisse, quæ Edouardi nomine ad Philippũ Valesium datæ esse ferebantur. Sed, quia ad se regem scriptas non esse constabat, ad ea, quæ à Philippo peteret, non opus esse responso. Sed quandoquidẽ in Franciam arma intulisset, qui sibi Francorum regi, debitam fidem, supra paucos annos, præstitisset, atq; in eius verba iurasset: se ita regni maiestatem tutaturum, vt oportuno aliquando tempore, illum regno extrudat. Neque se multi æstimare, quòd Fla-

Litteræ Edouardi ad Philippum.

Responsio Philippi.

mingos auxiliares haberet, quos prauis facile consiliis, ad defectionem seduxerit. Sperare propterea, gentis eius oppida atque cōmunitates comitem suum aliquando recepturas. Nunc, quia de Edouardi, in regnum Francorum aduersus Philippum, controuersia, locus incidit, non impertinens est, paucis ostendere, quo iure, Anglus, regnum ad se pertinere, decertarit. Philippo Pulchro, masculinæ prolis, tres liberi, & totidem fœminæ fuerunt. Ludouicus, qui Hutinus dictus est. Philippus Longus, & Carolus Pulcher. Fœminæ diuersa matrimonia sortitæ sunt. Margareta, Ferrando, Castellæ regis filio nupsit, Isabellam Edouardus II. huius Edouardi pater, habuit vxorem. Tertia, cui Catharina nomen fuit, decessit innupta. Singuli fratres, Philippo Pulchro defuncto regnum, legitima successione, tenuere. Hutinus patri, Philippus Longus Hutino: Philippo Longo, Carolus Pulcher successit. Hutinus annum, Longus V. Pulcher annos VII. (nullis liberis relictis) regnum possedit. Nam, Iohannes Hutini filius, dum Remos, vnctionis gratia, petit, moritur. Filiam, Ebroicensis comes, sibi copulauit. Philippo Longo, Hutini successori, vnica filia fuit, comitis Arthesiensis vxor. Quare morienti Longo successit Carolus Pulcher, qui Iohannam Burgundam grauidam cum reliquisset, turbationis, de qua nunc agitur, occasio extitit: Nam cùm Blancham regina peperisset, de legitimo hærede, contentio insurrexit. Erat eodem tempore ex Carolo Valesio, Philippi Pulchri fratre, superstes Philippus filius, qui & Valesius appellabatur, cum fratre Carolo, Alenconii comite. Edouardo igitur, atque Philippo Valesio, de successione, contendentibus: conuentus Francorum habitus est, quem, *trium statuum contentionem*, vulgus vocat. Ibi, de contendentium iure, diu multumque disceptatum est, dicentibus Valesianis, Philippum, Caroli Pulchri, hæredem esse, cuius & duorum præcedentium regum, Hutini & Longi, consobrinus, per genus masculinum esset. Contra asseuerantibus Anglis: Edouardum III. non iniuste regnum vendicare: quem Isabella, Phillippi Pulchri filia, & trium, quos memoraui, regum soror genuisset. Igitur, cum ex regibus nepos & masculus esset Edouardus, successorem Caroli definitum iri se, magnopere deposcebat. Sed Edouardo obstabat lex Saliqua, quæ à Pharamondo, vt supra scripsi, Francis data, in illos vsque dies, obseruantissima habebatur. Ea lege, soli virilis sexus, reges, à maribus regibus orti, regnum administrant, nec ad eam dignitatem fœminæ admittuntur. Cuius legis hæc sententia est. *Nulla hæreditatis portio, de terra Saliqua, ad mulierem venito.* Terram autem Saliquā, Francorum iurisconsulti eam dicunt, quæ solius regis est, & à lege Allodii distat, quæ subditos compræhendit, quibus datur, per hanc legem, rei alicuius liberum dominium, non exclusa principis maiestate. Astipulabatur præterea vetustissimæ legi, diuturna consuetudo, quæ mares, non fœminas, Francis præfici obtinebat. Quare Edouardo, qui ex fœmina ortus erat, nulla successionis ratio poterat suffragari. Quod si iuris quippiam Edouardus ex matris origine sibi præsumeret: videret ipse Nauarrę regem, qui ex Hutini filia, & Ebroicensi comite, cum natus esset, nullam in regno potestatem quæsiuisset, quòd intelligeret, fœminas à regni hæreditate esse semotas. His rationibus edocti ii, qui communi auctoritate consilium habebant, Philippo regnum adiudicant. Cui iudicio nec Edouardus detraxit, fide, post paucos annos, apud Ambianos, Philippo, de Aquitaniæ feudo, præstita. Cuius denique aspernator: sicuti ex pręscriptis paulo supra litteris constat, Tornacum, Flamingorum auxilio fretus, obsedit. Igitur coangustati obsidione Tornacenses, missis ad Philippum nunciis, orant suppetias ferat, commeatum ad eos, propter circumsedentem ciuitati hostem, importari non posse. Tornacensium conditione accepta, Philippus, delectos confestim proceres, cum instructis duobus militum millibus mittit. Ipse, vocatis ad se belli ductoribus, petit, vtrum melius iudicarent, in Flandriam ne penetrare, an Tornacum proficisci. Tornacum petere, satius visum est. Mouit igitur rex, & ad tria milliaria proxime hostem castra ponit. Interim cum neque Tornacum Anglus oppugnaret, neque hostem Philippus lacesseret, sed nunc à Francis, nunc ab Hannoniensibus, atque Brabantinis, Flamingisque fierent excursiones, & diriperentur circunstantia

Cur disceptarit Edouardus de regno Francorum.

Terra Saliqua.

Philippus copias Tornacū ducit.

cunstantia oppida, concordiam inter reges, comitis Hannoniæ mater, & Philippi regis soror, procurauit, atque inducias obtinuit. Compositionis forma hæc fuit. *Edouardo Aquitaniam & Pontiuiacum Philippus restitueret, Flamingis debitum omne remitteret, excommunicatione, qua tenebantur, abolita.* Ad hunc modum, rebus compositis, exercitu dimisso, Philippus Franciam, Edouardus Gandauum petit. Eadem tempestate, Iohannes, Britonum dux, sine liberis, vita defungitur, cuius morte, grauis admodum, contentio de principatu, inter Carolum Blesensem, & Ioannem de Monteforti, excitata est. Itaque Guido, & Iohannes, fratres erant Iohannis, quem mortuum diximus, & Guido Lemouicensis vicecomes, relicta filia, quam Carolus Blesensis duxerat vxorem, cum præ Iohanne fratre mortem incidisset: Iohannes Montefortanus, ducatũ vendicare contendebat: repugnante Carolo, qui Britonum cõsuetudinem Iohanni obiectabat. Britonum enim lege, quamquam multi, eodem matrimonio, fratres in nobili familia nascantur, grandior natu, patri, per omnem hæreditatem, succedit. Et hic quidem nullis relictis liberis, si moritur, secundus hęreditatem omnino assequitur. Mortuo vero, quisquis ex eo generatus est, etiam fœmina, vẽdicat principatum. Et sic deinceps, per fratrum successiones, eadem lex obseruatur. Igitur, quia Caroli vxor ex Guidone genita esset, ad eum, vxoris nomine, ducatum pertinere, Carolus certabat. Atque ita in iudicium parlamentei senatus, re perlata, principatum Blesensi iudices attribuerunt. At Iohannes Montefortensis ne senatus sententiæ accederet: Nãnetum vrbem profectus est: meditatus armis se tutari. Verum inanis eius conatus extitit. Nam missis Nannetũ Iohanne, Philippi regis, filio, Normannię duce, & Carolo, Philippi fratre: Alenconii comite, Montefortensis ad Philippum deducitur: quem apud Luparam rex in carcerem coniecit. Cognito, Montefortensis impedimento: Edouardus (quamquam per id tempus inter Philippum & se induciæ prorogatæ essent) Robertum Arthesiensem ad Britones, aduersus Blesensem, mittit. Qui prima expeditione cum incursiones aliquot prędasq; fecisset, ad Edouardum reuersus, iterum cum Salberiensi comite mouẽs, pugna nauali cõmissa, in femore vulnus accepit, vnde paruo pòst tempore decumbẽs, morte absumitur. Transfretauit quoque ad Britones Edouardus, Vannasq;, vrbem maritimam, circumsedit. Quod postquam Philippo nunciatum est, qui tum apud Turonos agebat: illò exercitum ducit: Cuius aduẽtu cognito, Edouardus obsidionem soluit. Legati autem Romani, Prenestinus & Hannibal, qui, pacis causa, à pontifice Clemente VI. venerant, postquam vident, reges non procul ab alterutro distare, crebris legationibus de pace agunt. De qua cum non cõuenirent, inducię positæ sunt, intra quas, vtriusque regis, oratores, se coram pontifice, sisterent. Qui controuersiæ causa cognita, meliores pacis cõditiones, non vt iudex, sed vt publicæ pacis curator, proponeret. Hæc legatis agentibus: Philippi oratores, ad pontificẽ, missi: cũ de Ludouici Bauari absolutione nihil impetrãt (nã, vt Bauarum ad se, Anglo rege relicto, Philippus converteret, absolutionis eius procurationẽ, apud pontificẽ, omni cura tractabat.) de Dalphinatu Viennensi hæc composita referuntur. Imberto Dalphino nec liberi, nec liberorũ spes vlla erat. Quamobrẽ ad vicinũ sibi regem prospiciẽs, à quo principatus eius, pace belloq; administrari posset, Philippũ Philippi regis filiũ successorem atq; hæredẽ instituit: nec multo post, pecunia, de qua conuenerat, à Philippo accepta, mundo abrenũcians, prædicatorũ ordinẽ, Lugduni, Imbertus professus est. Et ab eo quidem tempore, Imberto defuncto, Franci Viennã Dalphinatumq; possederũt. Inter tot, quæ supra memoraui, bella cùm Philippo pecunia parum sufficeret: nouã, exigendæ pecuniæ formã excogitat: qua, sine, cuiusq; conditionis, discrimine, omnes regni incolæ tenerẽtur. Sal, quo nemo facile abstinet, cõparari aliũde, quã ex publicis, quę instituerat, prõptuariis, vetat. Quod autẽ à mercatoribus aut emptum hactenus: aut post hac emendum esset, id ab iis, quos ad id negociũ deputaret, granetarios, per vices temporum, precio indicto, distribuendum fore. Id tributi genus, etsi graue multis visum est: ad hanc tamen vsque ætatem penditur: ingeniosum profecto inuentum, quo nemo à tributo liber est: &, vnde ingens regibus pecunia quotannis venit. Monetæ insuper æstimationem

Contentio de ducatu Britanniæ.

Edouardi perfidia.

Robertus Arthesiensis moritur.

Dalphinatus ad Francos pertinet.

Vectigal ex sale.

Moneta valor augetur. *Caritas annonæ.* auxit: ita, vt quæ vnius denarii erat, quinque denariorum paruo post tempore haberetur. Quæ res annonæ caritatem importauit, ita vt tritici sextarius LXXVI. auenæ vero, septuaginta solidis venirent. Eadem frumenti pœnuria, cùm Burgundia laboraret: dux, ex regis assensu, magnam tritici, ex agro Aurelianensi, Vastiniensique atque Blesia, nauibus copiam impónit: quæ per Ligerim ad Burgundos veheretur. Id moleste ferentes Aurelianenses, concursu facto, naues expilant, & omne frumentum venale extrudũt, cuius rei certior factus rex, missis Aureliam duobus ex aulicis, auratis equitibus, negocium dat, autores supplicio afficere. *Oliuerius de Clissone capite punitur, & alii.* Oliuerius præterea de Clissone, qui à rege defecerat, compræhensus, Parisii capite punitur. Puniuntur eadem causa Gaufridus Malestretus, Iohannes Talkatus, Guillermus Ebroicẽsis & alii quidam, ex Britonum nobilitate, qui Edouardi partes sequebantur. Par quoque pœna secuta est Guillermum Baconem, Richardum Perceiũ, & Rochetessonem: qui Gaufrido Haricurto, Normanniæ principatum affectanti, fauebant. Per eos dies, anno, qui fuit à salute XLIIII. supra M.CCC. Philippi iussu, Ioannes, Normannorum dux, Auinionem profectus est: vt, sicuti conuenerat, de regum controuersia, apud pontificem, ageretur. Sed Edouardo, per nuncios, omnia agente: quibus non satis sufficiens, experiendi in iudicio, potestas erat: re infecta, Iohannes ad patrem reuersus est. Tunc Blancha, Caroli Pulchri filia, Philippo, regis filio, nupsit. Et eodem prope tempore, cùm Edouardus Slusam se contulisset, *Edouardus iterum nocens.* spem gerens, Flamingos in fidẽ recipiendi: cognito, quòd Arteuella à Gandensibus fuisset trucidatus, retro in Angliam abiit, atq; ad Aquitanos copias mittit, qui inducias, sua sponte, violauerant. Arteuella autem proditionis suspectus, Gandauum à magistratu vocatus, mox, à plebeia turba, occiditur. Neque passa est, cadauer, sepulchro conditum, consumi, sed inde effossum, feris & volucribus exedendum abiecit. Nuncio de Anglorum, in Vascones, aduentu accepto, Philippus Iohannem filium cum delectis militibus ire iubet. Sed postquam cognouit, Anglos duce Herbi comite, multas, per eam regionem, arces occupasse: de rebus bene gerendis desperans: exercitum reduxit. Qua re, vbi patrem indignari accepit: Aquitaniam repetens Aguillonem obsedit. Sed renouato, inter reges, bello, vt patri auxilium ferret: soluta obsidione, in Frãciam venit. Per id tẽpus, anno salutis MCCCXLV. Iohannes de Monteforti, impos mentis, vita excessit, apparentibus illi in ipso excessu dæmonibus. *Coruorum grex.* Tanta siquidem coruorũ turba ædibus morientis insedit, quantam esse in Gallia nemo iudicasset. Erat per id tempus Cõpendii ciuis, Simõ Poillettus, qui verbi prodigus, dicere non veritus est, Edouardo, quàm Philippo, plus *Stultus locutor punitur.* iuris ad Franciæ regnum pertinere. Quamobrem mox comprę̄hensus, atque in tabulatum elatus, brachiis primũ, deinde cruribus atque postremo capite exsectis: diras, pro sua temeritate, pœnas luit. Constituerat Philippus magnam classem cogere, vt in Angliã traiiceret, atque eius rei caussa, missis ad Genuam nunciis, onerarias naues expectabat, & fabricare præterea insolitæ magnitudinis nauem, apud Harfleum, Normanniæ portum iusserat. Sed cunctantibus, qui missi erant, atque appellente, in Normanniam, cum centum supra mille nauibus, Edouardo, instituto Philippus abstinuit: cõpulsus, aduersus hostem, militem instruere. Interim dum cunctatur, festinabat Anglus, cum Gaufrido Haricurto, omnia populari. Itaque Montemburgum, Carentum, sanctum Londum, Thorinum, Cadomumque occupat: prædis inde abactis, & in Angliam traductis. Cadomi autem, cùm plerique non parua nobilitate, proceres & Guillermus Bertrandus, Baiocensis præsul, præsidii causa essent (quamquam oppidani, obstinatis viribus, hosti resisterent) retro tandem (nescio quo reuocante) cedentes, Anglum mox in oppidũ irrumperẽ conspiciunt. *Conestabilis & Iohannes, de Tancaruilla, in Angliã ducuntur.* Atque ipse Conestabilis, cum Iohanne, de Tanqueruilla, arce egressus capitur, & in Angliam dimittitur. Ex Cadomo Lexouios Edouardus petit, inde Fallesiam. Mox Rothomagum ducens, postquam Philippum exercitum ibi habere cognouit: ad pontem Archæ se conuertens, à Philippo pręuentus est, qui idoneũ bello locum occuparat. Quo potitus, rex Edouardo per nũcios mandat, si in prẹlium totis copiis veniat, se pugnandi potestatem facturum. Nunciis Anglus respondet, non detrectaturum se prælium, dum in agrum Parisiensem venisset. Conserendi

spe

spe accepta, Philippus ad diui Germani monasterium se recepit. Anglus vero, per agrum Veronēsium iter faciens, suburbanis succensis, Mantam (aliàs Medōtem) accessit. Deinde Meulanū oppugnare conatus, cæde suorum damnificatus est. Eà propter ira excandēs, Murilū, proximum Meulano, locum totum prorsus incēdio consumpsit. Nec cunctatus, Possiacum accessit, omnia, sancto Clodoaldo tenus, diruens cremansq;. Cui ne retro abeundi potestas foret: ponte, qui est Possiaci, à Frācis refracto: interceptus Anglus videbatur. Sed cum se per Mōtemfortem iter habere simulasset: & Philippus, vt illi occurreret, ad Antonium vicum castra posuisset, restituto Possiaci ponte, Anglus Bellouacum abscessit. Quod postquā resciuit Philippus, se proditum esse, palam magna voce querebatur. Vnde hostem persequi omnino constituens: cùm audisset Anglum per Picardiam iter ad mare conficere: Abbatis villam, Pōtiuiaci primarium oppidum, petit. Habebat Arenis castra eo die Anglus, & se ibi militemq; reficere, cōstituerat, donec ex iis, quos ad vadū, quo exercitum traiiceret, miserat, nuncium accepit. Sed, de Philippi aduentu, certior effectus, flumine celeriter, duce Gobino Agaceo, qui inter captiuos locorum peritus erat, traiecto: ad vicum, quem Blancham aquam incolæ dicunt, iuxta Creciaci siluam, castra fecit. Nec transitum impedire potuit Godemarus Faiacus: quē vt Anglum traiici prohiberet, cum duodecim millibus pugnatorū, Philippus præmiserat. Eò cùm proxime se Philippus contulisset, sciscitatus quàm procul hostis abesset, cùm mētientibus sibi quibusdam crederet, hostem duodecim miliaribus distare, ipse, vt erat ardens congredi: Anglos prospicit tribus tantum passuum millibus abesse. Protenus ergo signo suis dato, quamquam ordinē miles non seruaret, in hostem vadit. Erant balistarii Genuenses ad numerū quindecim millium in prima fronte constituti. Qui ad primū sagittarū strepitum (quibus Anglus statim ineunte pugna vsus est) exterriti, in fugam se conuertunt. Quos cùm persequi Philippus, atque interfici iubet: magna nihilominus, reliqui exercitus, pars, deserto rege, fugę se dedit: magna pars fusa occisaque est, cùm ex acie hostium sagittarii tantum depugnassent. In interemptorum numero primi fuere, Bohemus rex: Alēconii comes Philippi frater. Lotharingorum dux, Ludouicus Flamingorum comes, Comes Haricurtus & Sancerrensis: aliàs castri Cæsaris (quod oppidum olim Agenditum dicebatur.) Philippus verò, ad Ambianos, nocte, cum paucis, se recepit. Postridie pugnæ, qui dies erat dominicus, permulti pedites, atque equites ex fuga recepti cùm ad castra sua redirent: visis procul Francorū signis, quæ erecta Angli tenebant: rati illic aciem Francorum esse: in manus hostium incidētes, multo plures ex eis, quam pridie, occisi sunt. Strages fuit occisorum millium triginta. Hanc plerique stragem, vindice deo factam dixerunt: aliis in Philippum culpam referentibus, qui spreto procerum prefectorumq; consilio, cùm militē diuturno itinere defessum haberet, nulla quiete data, in hostē incurrit. Fuisse per id tempus, per Franciam vestimentorū nimiam deformitatē, scriptores tradunt: ita vt ioculatoriā vitā agere Francos à vestibus iudicares. Crediderim non defuisse illis & lasciuiam atq; superbiam, quotidiana gentis mala. Itaq; continuo vix decennio, vnius modi indumentum seruat, nouitatis semper studiosa. Itaq; vel angustia, vel laxitate: item breuitate, seu longitudine vestimentorum, Galli peccant semper. Philippus autem multa secum repetens, Godomarū Faiacum suspectum habuit, quod hostē apud Blancam aquam à vado non propulisset: voluit propterea Godomarum supplicio afficere. Cōsilio tamen Iohānis Hannoniensis ab ira tēperauit. Victor Edouardus, re prospere gesta, per Monstroliū Boloniāq;, viā faciens, in planicie Calisii castra fixit. Indignatusq;, quòd oppidani illi obsisterēt, iurat se inde non moturū, donec oppidū expugnet. Atq; ita viculo quodā, leui materia, non procul à Calisio, extructo (quem villam nouam audacē appellauit) ibi diuersari per obsidionis tēpus, animo firmat. Cui ab initio Flamingi commeatū affatim ministrabant. Sed postquā defuncti comitis Ludouici filiū, in dominū admiserunt, alius illis animus fuit. Interea, cū hæc in Picardia geruntur: comes Darbus, qui Burdegalam tenebat, postquam Iohannem Normānorum ducem, Aquitaniā reliquisse cognoscit: Xantonas: sanctū Iohānē Angeliacū: Pictauūq; occupat: & prædis inde factis, Burdegalā reuertitur.

Pugna apud Creciacum.

Gallorum indumenta.

Calisium ab Edouardo obsessum.

Nota Haricurti comitis pœnitentiam.

Gaufridus autem Haricurtus, quem à Philippo defecisse, & Normanniam affectasse, supra scripsi, commissorum à se pœnitens, collum mantili, quasi fune circũligat, atq; ita ad Philippum veniẽs, & vociferãs: Prodidi, inquit, regem & regnum: misericordiam tuam, rex, expeto. Cui veniam Philippus impartiuit. Paullo post reparato exercitu, Hisdinum Arthesii oppidum, rex petit, vt Anglum pugna adoriretur, qui tam arcta obsidione, mari terraque Calisianos premebat, vt nihil victus ad eos inuehi posset. Dum sedet ad Calisium Edouardus Gawinus Bellomontanus, Laudunensis: qui Lauduno relicto, se ad Mediomatricos receperat, per Colinum Tomelum, miserę conditionis hominem, litteras ad Anglum dat: quibus spondet, illi Laudunum tradere. Est autem Laudunum, non procul à Viromandis, in colle edito, ciuitas, bello, in omnes finitimos, gerendo accommodatissima. Colinus, acceptis à Gawino litteris, cum Francus esset, diu dubius fuit, Anglóne an Frãco regi eas reddat. Stat tandem animo sententia, ad Philippum proditionẽ deferre. Cognitis litteris, rex Colinũ docet, Remos repetat: vbi Gawinus illum prę stolabatur. Vtebatur autẽ proditor religioso habitu, & se specie pietatis occultabat. Colinus, postquam ad Remos se contulit, prætore, certiore ab eo facto, Gawinũ prodit, qui Laudunum à prætore perductus, post acceptas à plebe multas contumelias, postremo lapidibus obrutus est, & eius vnicus filius, paterni criminis consors, perpetuo carcere afflictus.

Gauinus proditor.

Callisiũ Edouardo deditur.

Interim Callisiani cõmeatu defecti, postquam Philippus, desperato subsidio, auxilium ferre non potest, Anglo se dedunt, vita atq; vna tantũ veste illis cõcessa, mense XI. obsidionis, anno Christiani natalis. M.CCCXLVII. Relicto igitur Callio, omnes, cum ad regem Frãcum venissent, plurima ab eo humanitate, accepti sunt: instituitq; Philippus, vt nulli potestas, magistratus, aut officium committeretur, donec, qui Callisiũ tam ingenue defendissent, singuli singula officia recepissent. Inter quos, primarius erat, Iohãnes Viennensis, Burgundus eques. Cuius opera Callisiũ in Philippi fide, quoad fieri per eum potuit, permãserat, Callisio recepto, Edouardus Aimerum Pauiensem oppido præfecit. A quo cum Gaufridus Charnus, qui sancto Audomaro prę erat, Callisium pecunia redimere voluisset, re cõperta in emptoris perniciem fraus recidit. Captus enim, & grauiter vulneratus, in Angliã missus est. Qui autem cum eo tam gloriosum facinus aggrediebatur, dominus de monte Moretiano, fuga se saluauit.

Comes Blesensis capitur.

Per idem tempus Carolus Blesensis, Britonum dux, apud rupem Lerianam, victus, captusq; ab Anglis est. Tot incommodis affectus Philippus, consilium Parisium contrahit. Ibi agit de expeditione, in Angliam ducenda: cui sine controuersia omnes assentiuntur, promittuntq; singuli auxilium ferre. Atq; vt stipendio militi soluẽdo, pecunia quæreretur, itur in aduenas Italos, qui fœnus exercebant. Illi enim, prę ter regias leges, fœnus augebant, ita, vt supra millia librarum decem primæ sortis, ad quattuor & viginti millia librarũ Parisianarum vsura increuisset. Eam ob rem eorum bona fisco deputata sunt. Grauis eodem tempore pestilentia Francos affecit, absumptis, per annum & semis, triginta hominum millibus. Eadem tempestate, ex Theutonibus exiuere in Franciã complures, qui se flagellis & acutis stimulis percutientes, pœnitentiã, de suis peccatis, agere se dicebãt. Sed à Philippo prohibiti, vix abstinuerunt. Mortuis vero vxoribus, Philippus Blanchã, regis Nauarrę filiam, Iohannes eius filius, Iohannam Boloniensem, vxorem accepit. Edouardo adhuc apud Calisium agente, intercedentibus Romanis legatis, induciæ anni vnius à regibus cõcessę sunt. Hęc cum anno salutis MCCCL. mense Iunio aguntur, Philippus, mense Augusto, apud Nogentũ regis, moritur, annum agens LVII. qui bene fortunatus primum, deinde fœlix, postremò optimus Christicola appellatus est, & apud diuum Dionysium humatus, postquam annos tres & viginti regnasset.


Iohannes. XXII.

Eius regis diebus Iohannes. XXII. pontifex Romanus, de diuina contemplatione atque visione, temere sentire atque prę dicare ausus est, aduersantibus illi catholicis viris, quibus in primis Philippus adiutor fuit. Huius regis opus est, monasterium virginum, ordinis sanctæ Claræ, apud pontem sancti Maxentii, quod de Moncello appellatur. Qui locus, ob bonorum publicationem, cuiusdam, lę sæ maiestatis, damnati, Philippi fisco fuerat adiectus.

ROBERTI

ROBERTI GAGVINI
HISTORIÆ FRANCORVM
LIBER NONVS.

Cap. I.



ERRÆ commendato Philippo Valesio, Ioannes, eius filius, regnum adeptus est, &, de more Francorum regum, Remis vnctus. Qui inde Parisium repetens, incredibili omnium lætitia exceptus est. Venerat tum ex Anglia, solutus carcere, Rodulphus, Augi comes & conestabilis, quem Cadomi ab Anglis captum, supra enarraui. Hic quòd in Iohannem (vt ipse sponte confessus est) crimen læsæ maiestatis commiserat, apud Neellam Parisii capite truncatus est: substituto in Connestabilatu Iohanne Hispaniensi, quem rex Angolismensi comitatu paulo ante donauerat. Tunc dira annonæ caritas Francos vexauit. Tritici namque sextarius libris octo Parisiorum veniebat. Per hos dies in Xantonibus infœliciter, aduersus Anglos, à Francis, duce Guidone Neellensi pugnatum est, eodem cum plurimis Francis occiso. Sed, ne prosus inimica fortuna esse videretur, sancti Iohannis Angeliaci oppidum, à Francis, receptum est. Sed accessit ab Anglis aliud detrimentum. Agente enim Iohanne, apud sanctũ Audoenũ, in agro Parisiensi, diem festum, ordinis stellæ: quam pro insigni suo portare instituerat, aderat illic, inter aulicos, Matheus de Bouguinghem, quem arci Guinarum præfectum Iohannes posuerat. Qui per inducias, quę cum Anglis conuenerant, nihil doli metuens, Guillermum Bellicorum sui loco statuerat. Hic Guinas Anglis prodidit, & paulo post perfidiæ pœnas luit. Facta etiam cædes est, à Carolo, Nauarro rege, apud Aquilam, Normanniæ vicum. Nec eius cædis causam scriptam inuenio. Quiescentem noctu Iohãnem Hispaniensem Franciæ Connestabilem, missis satellitibus, necari Nauarrus iubet. Nec homicidium dissimulat. Sed datis ad complures ciuitates, atque ad regios consiliarios, litteris, Iohannem legitimis causis interemptum fuisse, diuulgat. Nec secus, necis autorem se prædicare verebatur, quàm si aperto bello crimen defensurus, aduersus regem esset cuius filiam desponsauerat. *Apud magnates raro affinitas valet.* Nauarrum homicidam sequebantur Philippus, eius frater, Gaufridus, Haricurtus, dominus Hambius, Iohannes Maletus, dominus item de Gerardi Villa, quam Grauillam vocamus: Amalricus de Melanno, & alii non pauci. Iohannes autem rex, qui regni conditionem, & diram fortunam, asperiorem reddere nolebat, ad Carolum Nauarrum, qui Mantæ agebat, viros, & dignitate, & genere illustres, Guidonem, Bononiensem cardinalem: Robertum Gallum, Laudunensem antistitem: Borbonii ducem, & comitem Vindocinensem mittit. Qui tametsi criminis impunitatem Carolo offerrent, veteres tamen, iustæ indignationis, causas adduxit. Deberi sibi ex composito & nuptiarum fœdere pecuniam. Quam dissolui imprimis oportere contendebat. Ea persoluta est, terræque plurimum attributum, quod perpetuo teneret. Liberum item illi esset, prætorium inter suos cõmune instituere: qua re Normannorum duci fuerat indultum, quod *scacarium* vocant. Super hæc homicidis impunitas concessa. Et quamquam hæc accepisset, non tamen ad regẽ prius venit, quàm Andegauũ comitem, Iohannis filiũ, obsidem haberet. Venit tandẽ, & apud senatum parlamenti (sedente rege) Carolus commissæ cædis veniã postulauit, obtinuitq; interuenientibus reginis, Iohãna eius sorore, & Blãcha. Non quieuit tamẽ Nauarrus. Quamobrẽ Iohãnes Rothomagũ se cõtulit, & cõplures, quæ ad Carolũ spectabãt, arces ad se recepit. Verũ reuersus ex Nauarra Carolus, hortatu Dalphini Vienẽsis, se omni suspicione liberauit. Mouit per eos dies, ex Anglia Galliæ princeps, Edouardi filius, & per Aquitaniam ad Tholosates irrumpens, Carcassonę Burgum, & omnia, quæ Narbonam vsque erant, igne cõsumpsit, non occurrẽtibus illi Arminiaco comite, & aliis permultis copiis, quas ad prouinciæ custodiã Iohannes statuerat. Edouardus præterea, induciarũ impatiẽs, iureiurando violato, Arthesiũ rursus ingreditur, & Hisdinum vsque, prædas facit.

Ordo stellæ.

Cædes à Nauarro rege homine malo.

Qui

Qui, Ioannem in eum ex Ambianis ducentem, cum audisset, intacto Hisdino, Calisium regressus est. Iohannes vero hostem cedentem persecutus, apud sanctum Audomarum castris positis, Marescallum Dodreham ad Anglum, cum his mãdatis, legat: aut cum eo singulari certamine, aut toto exercitu cõgrediatur. Neutrum Edouardus acceptũ habuit. Sed cõfestim trãsfretauit ad suos. Ioanni, cum in Franciam remeasset, cura fuit, bellicis rebus animũ intendere, & pecuniam, ad belli vsum, cogere.

Cura cogendæ pecuniæ.

Conuocatis ad se regni primoribus, omnium assensu promittuntur illi triginta millia armatorum, in annos singulos, quæ populi impensa militi stipendia faceret. Nec fuit quispiam, in omni Franciæ regno, annuum, vel ex suis operis vel ex prouentibus, censum percipiens, qui cogendo stipendio non cõtribueret.

Seditio Attrebatium.

Quæ res (vt ipse arbitror) causa fuit, seditionis plebeiorum Attrebatium, aduersus primores ciuitatis. Plebs enim in opulentos insurgens, aliquot interfectis, reipublicæ gubernacula vsurpauit. Ad quos missus, à rege, Arnulphus Daudregus Franciæ Senescallus, centum supplicio affecit.

Rex Nauarrus seditiosus cum Normannis.

Rex præterea Nauarrus, Ioanni cõtinenter infensus, detrectare id, quod de stipendio agebatur, cœpit. Cui Haricurtus comes, & pleriq; Normanni proceres astipulabantur. His Rothomagi, cum Carolo, Normanniæ duce, qui Iohannis primogenitus erat, in arce epulãtibus, Iohannes, centum delectis: equitibus secum assumptis, per posticum ad eos clam ingressus, omnes in vincula coniecit.

Nota vltionē.

Nec moratus, quatuor ex illis, comitem Haricurtum, Grauillam, Mabuum, & Colinetum Doubletum, in proximum agrum, eductos, capite plecti iubet.

Nauarrus rex capitur.

Reliquos præter Nauarrum regem, Friquetum & Iohannẽ Vaubatum abire permittit. Caroli regis captiuitate cognita, Philippus Nauarrus arces cõplures, quæ in agro Constantiensi erant, præsidio firmat, Caroli ignominiam vlturus. Ad quem mox concessit Gaufridus, comitis Haricurti patruelis, qui coactis vndique Iohannis inimicis, comitis necem vlcisci studebant.

Excursiones per Normanniam.

Hi omnes, duce principe Clocestriæ, quattuor armatorum millibus stipati, per Lexouios ad Becumheloinum, inde ad pontem Audomari, prædas agentes, perueniunt. Obsidebat tamen arcem Robertus Holecotus, qui eorum cognito aduentu, relictis impedimentis, abscessit. A ponte Audomari, hostis Bretolium contendit, omnia populatus. Inde Ebroicam prætereuntes vrbem (quam Iohannis præsidium tenebat, & fuerat, paucis ante diebus, igne fere consumpta) Vernolium, cum arce, expugnant. Quæ postquam Iohannes cognouit, copias, quas coactas habebat, educit. Sed abeuntẽ, Aquilam hostem, propter interextantes siluas, persequi destitit. Tulleriã tamen, & Bretolium, fortissima castella, cœpit, præsidioque muniuit. Deinceps Carnotũ profectus est, vbi recensito auctoque exercitu, cum accepisset Richardum, Edouardi filium maiorem natu, in Bituriges & Pictauos grassari, atque in Turonos venturum, Turonum magnis itineribus petit, animo cum Richardo conferendi. Id animaduertens Richardus, Pictauiã regressus, castra impeditissimis locis fecit, quæ densissimis sepibus, velut palis, munita erant. Contra quem Iohannes, nõ procul à Channo castello, acies suas triuariam instruit, ita, vt vix mille passus, inter vtraque castra, intercederent. Priusquam acies concurrerent, cardinalis Petragoricus, qui pacis causam, ab Innocentio VI. missus, procurabat, magnopere pacis rationes vtrique principi proponens, postquam irritatos principum animos flectere posse desperat, castris excessit. Richardus enim, etsi omnia, quæ Iohanni abstulerat, reddere non recusaret, fato tamen malo, non est à Francis exauditus. Sed irritatus, & furens rex, procurrit in hostem. Aciem primam ducebat Athenarum dux, Franciæ tunc Conestabilis. Quem magnis copiis instructi, sequebantur Arnulphus, & Iohannes, Claromontensis Marescallus. Prȩerat secundȩ Carolus, dux Normannus, Iohannis filius maior natu. Tertiam moderabatur Aurelianorum dux, regis frater. Hi tribus locis XIII. Calẽd. Octobris anno salutis MCCCLVI. in vallum hostium irrumpere conati, crebris sagittariorum iactibus tardati sunt, atque ita, qui imbellis animi erant, equites peditesque magno numero ignominiosam fugam fecere.

Iohannes rex apud Pictauos à Richardo Anglo capitur.

Anglo tandẽ victoria cessit, occisis, in prima acie, tribus, quos supra memoraui, & Gaufrido de Charni signifero, cui auriflamma credita erat, cũ quibus cecidere MDCC. Iohannes vero, egregie præ cæteris pugnans, à Dionysio Morbequo, equite Arthesiensi

siensi cum Philippo, eius filio, & MDCC. captus, Burdegalam perductus est. Carolo, re male gesta, consilium fuit, Parisium se recipere. Quò aduocatis, ex regno, primoribus, patris miseram fortunam, in senatu Parlamenti, magno omnium mœrore, enarrat, loco eius, verba agente, Petro Forestano, Rothomagorum archipręsule, Franciæ Cancellario, atq; pecuniam, ad belli subsidium, in tot aduersis postulante. Conditione captiui regis cognita, fuit vna omnium sententia: miseris rebus opitulari, moderatione habita: id quod in omnium conspectu, neq; ab incondita multitudine, fieri rite poterat. Deliguntur propterea, ex omnibus, L. viri, quorum arbitratu, tanta res ageretur. Illi hominum turbam tumultumq; vitantes, ad minorum ædes secesserunt, vbi quindecim dies sententiis dictis: tandem Carolum, per nuncios, oratum faciunt, ad eos accedat: habere multa, quæ ad illum referant. Nec segniter agens Carolus, cum sex tantum aulicis, ad illos pergit. Sedenti Carolo, vnus, cui commissum dicendi munus erat: Nos, inquit, illustrissime princeps, pro nostro officio, per superiores proximos dies, de patris tui, atq; regni Francorum miseranda fortuna, consilium cepimus: quod tibi, reiq; publicæ, salutare esse possit. Tantum te oramus, arcanum teneas, quod impræsentiarum dicturi sumus. Carolus, verbis loquentis interceptis, se quidem acceptũ habere ait, quod ab illis definitum foret. Verum, dignitati suæ non conuenire, iureiurando ad silentium astringi, de iis potissimum rebus, quæ ad vniuersitatem regni spectarent. Hæc tametsi diceret Carolus, pergit nihilominus dicere, qui loqui ceperat. Præsentem rerum statum idcirco obtigisse, quòd malis consultoribus vsus rex esset. Apud eos regni opes & diuitias esse, qui & fisco & publicæ administrationi præfuissent. Ab eis pecuniam exigendam, mouendosq; eos officio esse, & bona eorum publicanda. Complures quidem ex clero, reliquoq; populo, esse male administratæ rei conscios, atq; imprimis Petrum Forestanum Cancellarium. Simonem Bussium, Parlamenti primum pręsidentem. Robertum Lorrium, equitem auratum. Nicolaum Brachum, Enguerrannum Peticellarium, Parisiensem ciuem, & Iohannem Pilliuillanum, qui monetæ præfectus erat, & Iohannem Chaueum, bellicarum rerum thesaurarium. Congruere præterea custodia liberare Carolum Nauarrum. Adhuc pernecessarium esse, ipsi optimos viros assistere: ecclesiasticos IIII. proceres XII. & populares totidem, quorum sapientia & decreto respublica administretur. Fine dicendi facto, Carolus, de his omnibus ad consilium se relaturum, respondit. Sed interim cupere se intelligere, quid de ferendo tributo ipsi decreuissent. Hæc nobis, inquiunt, optima factu visa sunt, si à clero atq; nobilitate decima & semis omnium prouentuum, anni vnius, exigatur. *Decima & semis vnius anni.* Ciuitates vero, & reliqua, per regnum, oppida singula, ex singulis hominum centenis, vnum militem si instruant, & ad bellum mittant, id millia triginta constituere posse. His à delegatis acceptis, Carolus domum se recepit. Paucis deinde seorsum accersitis, quibus rem auditam Carolus communicaret, cognoscit plæraq; ex illorum postulatis admittenda non esse. Quare postridie conuenientibus delegatis, admonet ea non petere, quæ præsenti tempori non conuenirent. Persistentibus in sententia legatis, dies dictus est, cum apud regem in Parlamenti senatu sua palam decreta postulataq; promerent. Constituto die, conueniente in curia vix numerabili populo, Carolus, ne in vulgum efferretur, quod alioquin celatum esse deberet, à delegatis impetrat, suam petitionẽ in alteram diem transferant. Expectanti populo, vt delegatorum consilia vulgarentur, Philippus, Aurelianus dux, à Carolo iussus, venisse, ait, à patre rege, atq; ab imperatore Romano, Caroli auunculo, nuncium, cuius causa legati referre, quæ ipsi gessissent, impedirentur, simulq; palã enunciat, quæ fuerat à Carolo edoctus. *Tam paruo negocio, popularis conatus, & ad rem publicam pertinax feruor, languescit.* Itaq; ad Philippi verba, magna consilii pars, conuentu relicto, ad sua demigrauit. Quarto deinceps die, Carolus, ex amicis consilio capto, vocatis seorsum quibusdam delegatis, reliquæ multitudini, per eos, mandat, domum proficiscantur, donec commodiore tempore eos accerseret. Hoc Caroli inuento, consilium dimissum est. Non enim commode se aptat principum voluntati populus frequens, existimantibus plurimis, inter res aduersas, suam conditionem vel meliorem effici posse, vel prin-

cipis liberam administrationem plurimorũ sententiis cohiberi. Nam per eos dies, quibus conuentus Parisii habitus est, licet Carolus apud primores Parisiensiũ crebro egisset, vt præsenti fortunæ pecuniariũ auxilium ferrent, ipsi, ad publicũ consilium, id negociũ reiiciebant.

Narbonensis prouinciæ in suum regem pietas.

At linguæ Occitanæ, & prouinciæ Narbonensis incolis, misericordior animus fuit. Nam, autore Armigniaco comite, conuenientes, ante omnia prohibent, regionis incolas auro argẽtoq; & vnionibus in publico vti, neue insigni colore vestes induerent, donec Iohannes, eorũ rex, apud Anglos captus, teneretur. Octo prętereа hominũ millia ad belli societatẽ, cum diurno stipendio, decernũt. Cuduntq; ad stipendiũ armatorũ, assentiente Carolo, monetã nouã. Dum hæc geruntur, Robertus Claromontensis, aduersus Philippũ Nauarrensem, & Gaufridum Harircurtũ, in territorio Constantiensi fœliciter pugnat, occiso ipso Gaufrido, cũ aliis nõ paucis. Receptũ insuper est castellũ, pontis Audomari, quod Nauarri dedidere sex millibus nummûm à Francis acceptis. Inuenio Carolum per hos dies, ad Carolũ, Bohemum, imperatorem Romanũ, qui Mettis agebat, profectum, & inde, post paucos dies, reuertisse. Quid autẽ ab eo, cum imperatore auunculo, factum sit, nõ inuenio. Interea, dum imperatorẽ Carolus adit, mercatorum præpositus, Stephanus Marcellus, & Parisienses Scabini (id enim nomen est eorũ, qui ciuitatis Parisiorum moderationẽ gerunt) mutatã à Carolo monetã esse, nõ bono animo ferentes, Andegauorum comitẽ vicarium à Carolo relictũ, plurimo populo comitante, conueniunt, vt monetæ vsum inhibeat.

Seditio propter monetã.

Id quod comes (dum Carolus ab imperatore rediret) concedit, veritus, credo, tumultuantẽ populũ irritare. Carolo, ab imperatore, reuerso: mercatorũ præpositum, ad sanctũ Germanũ Altissiodorensem, per archiepiscopũ Senonensem, vocat. Quem, cum ingenti armatæ plebis multitudine, venientẽ archiepiscopus monet, non aduersari legi, quam de moneta Carolus tulerat. Sed plebis frequentia fretus præpositus, pernegat id se facturũ, neq; permissurũ, eã monetã in vsum venire: atq; ita locutus domũ discessit: moxq; quosq; opifices, ab opere cessare, & in armis esse paratos, iubet. Trepidatum est, ne quod à plebe insigne flagitiũ patraretur. Exacta nocte, Carolus, sub initiũ lucis, palatiũ petit, quò item mercatorũ præpositus se confert. Quem Carolus alloquens: Ego, inquit, præposite, bono animo fero, quod à conciuibus tuis cõmissum est, & si quid culpæ est, illam tibi remitto, neq; impedio conuentũ procerũ habere, eosq; ab officiis semouere placet, qui sub patre potestatem gessere. Monetæ vero considerationem, atq; vsum, ad arbitrium eorum deferre placet, qui à publico conuentu delegabuntur. Caroli verba præpositus libens excepit, petit, de ipsis, syngraphũ, à rege conscribi.

Consilium Parisii.

Quod Carolus facile admisit. *Nam, pro rerũ temporũq; conditione, vir consultus sese accommodat.* Conuentũ igitur Carolus iterũ Parisii cogit. In æde minorũ, diui Francisci contio habita est. Vbi constitutis, quæ ad rem præsentẽ expedire videbantur, ad Parlamenti senatũ Carolus contionẽ vocat. Ibi post habitã, à Roberto Gallo, Laudunensi episcopo, orationem: II. & XX. regii ministri, nõ auditi, à suis officiis, Caroli edicto amoti sunt, præter nõnullos ex Caroli ministris. Ex senatu quoq; Parlamenti, & rationũ prætorio, id est, (ne ab vsitato vocabulo discedã) camera computorũ, complures seclusi. De subsidio quidẽ pecuniario, atq; militum copiis, ita: vt supra memoraui, sancitum est. Monetæ vero precium inditum. De pace autẽ, nuncii Burdegalam à Carolo missi, cum per absentiã Edouardi, qui in Anglia erat, nihil transigi posset, duorũ annorũ, inducias firmauerunt.

Iohannes in Angliam ducitur.

Iohannẽ autem regẽ, Richardus, Walliæ princeps, in Angliã victor traduxit, remissis domũ reliquis captiuis, quorũ vice, Iohannes se constituerat debitorẽ. Redeuntibus Burdegala nunciis, literæ Carolo à patre redduntur, quibus legẽ de bellico subsidio latã, seruari prohibebat. Quas per compita vrbis, præconis voce, promulgatas, cùm seditiosus populus accepit, strepitu & clamore Carolũ impellit, non patris, sed delegatorũ consilii statuta obseruare.

Populi furor.

Carolus igitur, populi furiam animaduertens, statim, altera præconis voce, consilii decretũ probat. Sed non multo post, contionis huius seueritas elanguit, in suas quibusq; domos remeantibus. Consilio dissoluto,

Carolus rempublicam regendam accepit.

Carolus mercatorũ præpositum, Carolũ Consacũ: & Iohannem insulanũ, regni primores rectores, ad se vocat: administrationem illis vltra vsurpare prohibens, se idonea

idonea ętate,ad rei publicæ moderationem,esse. Atq; ita Parisio egressus: per alias ciuitates vadens,quasq; ad ferendum,rebus afflictis,subsidium hortabatur. At Parisiani Caroli absentiã non ęquo animo ferentes,cùm futurum fore coniectarent, vt pertinaciæ illorum Carolus facto aliquo obsisteret: placare illum elaborant,opẽ pecuniãq; pollicentes. Quos Carolus,vt erat inopia pressus, libens in suã beniuolẽtiã recepit. Concessitq; vt conuentus alter Parisii haberetur: non omnium quidẽ, sed paucarum ciuitatum. Cum Parisium Carolus reuertisset: conuenientibus, qui ad consiliũ designati erant:nihil vtile actũ est,propterea,quòd paucis nõ licebat,de vniuersa republica,decretum statuere. Interim,dũ hęc aguntur,Iohannes Pinquigniacus,quẽ rex Arthesio pręfecerat,Nauarrum regẽ carcere,vi armisq;,surreptũ, Ambianum eduxit,amicorum precibus,securitate à Carolo impetrata.

Iohannes Pinquigniacus Nauarrum regem liberat.

Nauarrus, multa satellitum manu,stipatus:ad sancti Germani,de Pratis,cœnobium venit: fauentibus imprimis Laudunensi episcopo,& aliquot,cum mercatorum præposito, ciuibus Parisianis. Nauarri aduentum nõ bene ferentibus,seu timẽtibus quibusdã Campanis Burgundisq;,qui ad consilium venissent, clã domum abierunt. At Nauarrus missis,ad amicos, quos Parisii cõplures habebat, nunciis: significat,se habere quædã, quæ palam disserere populo velit.

Rex Nauarrus ad populũ Parisiensem.

Nauarri voluntate cognita,protenus affuit cum ingenti multitudine mercatorum præpositus. Ad quos Nauarrus ex tabulato,quod ad muros cœnobii,clericorum Pratum versus,extructum erat,concionatus,cum multa in ministros regios aperte,quędã vero in regẽ Carolumq; occulte disseruisset,omnis reliqua eius oratio ad sui purgationem pertinuit:se innocentẽ:se iniuste captum,se nouem & decem menses in custodia habitum,demonstrans. His à Nauarro dictis:mercatorum prępositus,assumptis secum nõnullis con ciuibus, Carolum adit,petitq; Nauarro innocenti ius æquumq; dicat. Cuius verba mox excipiens præsul Laudunensis, cuius consilio fiebant omnia,respondet: non modo ęquum iustumq; Nauarro regi,sed gratiã quoq; dominum ducẽ Nauarro facturum. Nec multi post intercesserunt dies:cum Carolus ad locum,quò Nauarrus intra ciuitatẽ venturus erat, prior se contulit. Venientẽ armatis instructum Nauarrum, Carolus (cõposito ad gratiã,vt potuit,vultu) excepit. Nauarrus vero, cui nihil satis tutũ erat,exturbatis,qui ad fores erant,Caroli custodibus,suos asseruare portas iubet.

Vis à Nauarro facta in custodes ducis.

Breui ibi habito colloquio,quisq; discessit. Postridie cõuenientibus,apud Carolũ,iis,qui de Nauarri postulatis decernerent, venit & ipse mercatorũ præpositus,simulãs se alia causa à delegatis cõsilii trium statuũ missum. Erat enim, vt hæc ageret,à Laudunensi episcopo edoctus. Causa,propter quã venerat, exposita, Carolus eos tantisper manere,iubet,donec suã,de iis,quæ in consilio versabantur,sententiã dixisset. Prolatis Nauarri postulatis:præpositus rogatus sententiã: Æquum, inquit,omnino rex Nauarrus postulat,cui te,Carole,nõ decet refragari. Præpositi dictum omnes(quia inter eos cõsultore Laudunensi pontifice,ita cõuenerat)probant. Itaq; supellex tota,& quicquid,antequã caperetur,habebat: Nauarro restituta,ei quoq;,& suis cõmissorum impunitas cõcessa. Cadauera etiã eorum, quos Rothomagi capite punitos,& patibulo appensos retuli,sacræ humo cõmendata,& eorum hæredibus,bona,quæ fisco applicata fuerant,cõdonata: misso,in Normanniã, Iohanne Amalrico,qui hæc reuera compleret. Præter hæc, spẽ ceperat Nauarrus, Normanniæ ducatum,vel comitatum Campaniæ à Carolo obtinere: compensandæ impensæ causa,quã ipse,à depræhensione sua, hactenus fecisset. Composita vtrinq;,vel,vt ipse sentio,simulata amicitia, postquã alternis congressibus atq; conuiuiis,Carolus dux, Nauarrusq; sese coluissent: Mantam Nauarrus petit. Inde Rothomagum, vbi eos,de quibus supplicium sumptum fuerat, magna pompa sepulturæ commendauit:habita,ad Rothomagenses, oratione,de iniqua damnatorum nece. Eodem tempore,non pauci ex Constantiensi atq; Ebroicensi territorio prædones agrum Parisiorum incursantes: cuncta populabantur.

Prædones in Parisios.

Et, licet in eos cũ copiis missus esset,Petrus Villarius,præfectus vigilum: nullo grassatores damno affecit. Ea propter,occasione sumpta,Carolus copias contrahit, siue, vt prædatoribus (vt ipse dicebat)occurreret,siue(vt pleriq; sentiebãt) Parisio,& vicinis oppidis præsidium collocaret. Idq; metuentes Parisiaci,Carolum admonent,ne id faciat:Non

enim se, in vrbem, milites admissuros. Quibus, tametsi Carolus, se nihil tale cogitare, respondisset, custodibus tamen ad vrbis portas attributis, nemini, nisi apprime noto, ingressum patere patiuntur. Nauarrus, postquã parari à Carolo copias intelligit, ipse quoq; se pluribus armatis instruit, palã professus, quandoquidem conuentorum fides nõ seruaretur (nondum enim arces, quæ suæ in Normannia erant, receperat) se eas vendicaturum. Ob id veriti Parisienses, ne aperto bello arma circumferrentur, signum sibi ciuilis concordiæ accommodant. Capuciola rubri blauiiq; coloris consuunt, quæ quiq; ferant. Hæc ad dissensionẽ spectare animaduertens Carolus: ad forum, quas Halas vocant, quò Parisienses conuenire frequentes soliti essent, prodire constituit. Et, quanquam id illi non conuenire Laudunensis præsul, atq; ipse mercatorum præpositus identidẽ dicerent: propterea, quòd à furibunda plebe periculum impenderet: prodiit tamen, paucis comitatus, atq; his populum, qui in foro erat, paucis affatus: Vos, inquit, amici, saluos esse cupio omnes. Hortor itaq;, sic de mea, in vos, beniuolentia sperare: vt persuasum mihi esse confidatis: me & viuere vna vobiscum, & si sors tulerit, mori. Neq; enim armatos in vestrã perniciem contraho. Perspectum vobis esse potest, hostẽ per agrum vestrum populationes facere, quorum ego conatibus, atq; incursionibus, militem opponere institui. Quod nummorum pœnuria impeditus, quia facere non celeriter possum: animus est, gubernacula reipublicæ recipiendi: atq; è magistratuũ faucibus, collectam pecuniã recuperandi, cuius ipse ne minimã partem hactenus sum consecutus. Fuit plebi non ingrata Caroli oratio. Id postquã mercatorum præpositus cognoscit, concione, apud sancti Iacobi hospitalis ędem cõtracta, quæ pridie eius diei à Carolo dicta essent, nunciat. Sed superueniens mox Carolus, dictorũ à se rationẽ exposuit, causam memorãs, quamobrẽ restitui, quæ Nauarro promissa erãt, non possent. Teneri quidẽ arces quasdã à præsidiis, quæ pater illis imposuisset, qui eas deserere, pro fide præstita, non deberent. Idcirco nõ per se stare, quin arces restituerentur. Hæc dixisse contentus Carolus, concionem dimisit. At Carolus Consacus, abeunte Carolo, multa in regios magistratus euomens: à duce quoq; nõ abstinuit. Laudauit magnopere præpositum: eum bonum fidumq; ciuẽ esse commemorans. Rationabile propterea fore, vt illum, in his, quæ à se gesta fuissent, cæteri ciues tuerentur. Tunc à plerisq; conclamatum est, præpositũ recte omnia administrasse, præsidiumq; ferendum illi esse. Per hos dies monetæ precium mutatũ est. Nam Mutonus (id enim monetæ aureæ nomen erat: quod arietis effigiem, quem Mutonem Franci dicunt, sculptã haberet) solidis triginta æstimatus est. Interim Carolo Parisii agente: hi, qui circum vrbẽ prædas fecerant, Stampas diripiunt: abductis multis captiuis. Et, cùm duo fere armatorum millia, Carolus in armis penes se haberet: Stampensibus tamen nullam opem tulit. Hoc tempore Perrinus Marcus, campsoris cuiusdã seruus, Iohannem Bailletum, Caroli thesaurarium, incautum à tergo occidit, quẽ in æde diui Mederici latentẽ, Carolus inde euelli iubet, & manu, qua Bailletum peremerat, abscissa: homicidã patibulo strangulari. Sed procurante Parisiorum episcopo, inde ablatus, & apud sanctum Medericum humatus est. Redeuntibus per id tempus ex Anglia Morinensi antistite, Franciæ cancellario: & Vindocinensi comite: Carolus de pace inter reges habito conuentu procerũ, cognouit: exultantibus vniuersis, qui res meliores factum iri sperarent. Venit præterea à Nauarro rege, qui Mantę agebat, Iohannes Pinquigniacus, à Carolo petens, ea expleri, quæ in conuentis habebantur. Ad hoc ipsum venerunt Petrus Corbinus, mercatorũ præpositus, & scholæ Parisiensis, cum plerisq; Doctoribus, rector. Tantum erat omnium fere illis diebus in Nauarrum regem studium atq; beniuolẽtia. Nec satis erat, præter æquum & bonum postulare: nisi precibus minas adiicerent. Ad hanc rem vsi sunt Simone Lingonensi, qui ordinis sancti Dominici minister erat: homo eloquens, & peritus dicendi, à pontifice Romano, pacis gratia, missus. His à Carolo responsum est: conuentis, quatenus posset, satis esse factũ, eosq; mentiri, qui secus loquerentur. Habere se ingenuos equites, qui eius rei detractorem, singulari certamine, ob eam causam exciperent. Postridie contracto in ædę diui Eligii magno populi cœtu, cæso prius Reginaldo Dauci dum à palatio domũ petit. Merca-

Nauarrus copias cogit.

Capuciola Parisiorum.

Caroli ad plebem oratio.

Præpositi mercatorum consilium.

Monetæ mutatio.

Homicidiū à præposito mercatorū in Caroli cubiculo factum.

Mercatorum præpositus Stephanus Marcellus, cubiculum Caroli ingressus: Nihil, inquit, serene princeps, inter ea, quæ gesturi sumus, contristeris. Et simul hæc dicens, Conflauum Campanum Marescallum, Carolo conspiciēte, necant: Robertumq; Claromontensem, inde fugientem in penetrali interimunt. Quibus cædib. perterritus Carolus, atq; à suis desertus: Et tu, inquit, præposite, libera Carolum & serua. Securus esto, præpositus respōdit: & hoc tuo capiti capuciolum impone. Id enim vestimenti genus erat, quod sibi populus ad diuersæ partis discrimen desum pserat. Carolus igitur commutato cum prępositο capucio: per omnem diem illam populari insigni vsus: suum præposito capucium ferre permisit. Cæsorum cadauera trahi à satellitibus, & ad mensam marmoream, quæ in atrio ad gradus palatii est, proiici inspiciente Carolo, præpositus iubet: Vbi ad populi spectaculum, ad vesperam vsq; relicta iacuere. Itaq; eò superbiæ processit populi furor: vt præpositus tyranno persimilis, abuteretur magistratu. Enimuero, laneos Carolo pannos bicolores misit: ex quibus capuciola suis aulicis conficeret: futura munimenta aduersus seditiosos. Id quod Carolus nō recusauit. Conuocatis, præterea in Augustinensium cœnobio, permultis, qui per eos dies, in cōmuni Franciæ conuentu, agebant, cædem à se factam, præpositus (adnitente maxime Roberto Corbio) laudari probariq; impetrat. Carolum deinde in senatu Parlamenti ius dicentem, cum plerisq; armatis, conueniens: petit ea omnia illibata seruari, quæ à trium statuum delegatis, instituta decretaq; essent, neq; impediret aliquot ex suis magistratu amoueri: sed fineret eos rempublicam moderari, à quibus regendam esse, populus decreuerat: reciperetq; in suum consilium tres, aut, ad summum, quatuor Parisianos ciues, quos populus designaret. Postulata Carolus admisit.

Mira præpositi mercatorū sæuitia.

Rex Nauarrus Parisium venit.

Dum hæc à Parisianis, furore tumultuq; populari, aguntur: Nauarrus Parisium accessit, atq; apud Neellam diuersatus est: quam regiam domum, dono Caroli, postea accepit: cum Bigoræ & Matisconis comitatu aliisq; quibusdam locis: ex quibus annui census, decem librarum millia, ad eum peruenire poterant. Eius donationis causa fuit, impensa, quam suæ captiuitatis tempore se fecisse querebatur. Pacato, vt videbatur, Nauarro, Parisiani, considerantes, ne per principum beniuolentiam, male cum eis ageretur: & pessimorum facinorum pœnas luerent: ad alias ciuitates & regni primores literas dant, suadentes suam societatem profiteri: & capuciolum Parisiensis fœderis, atq; communis amicitiæ, præ se ferre: quod iam Carolus dux: & Nauarrus rex, Philippus præterea Aurelianus, Franciæ regis frater: & comes Stampensis assumpsissent. Literis acceptis, pauci assumpsere. Reliqui nullo responso Parisienses dignati sunt.

Parisiorum temeritas atque arrogantia.

Inter tot rei publicæ damna, Carolus consilium cepit: non se regis vicarium & locum tenentem (vt solitus erat) sed regentem appellare: plus auctoritatis, in ea appellatione, esse ratus. Vsus est autem consultoribus Iohanne Darmanno cancellario: mercatorum præposito: Roberto Corbio, Carolo Consaco, & Iohanne Insulano. Qui post Laudunensem episcopum, primas consilii partes gerebant. Egressus inde Siluanectum Carolus, quò Beluacensium nobilitatem venire iusserat: habito cum proceribus, de præsentium rerum statu, consilio: mox Pruinum profectus, Campanos ad fidem concordiamq; hortatus est, sine quibus, inter tam multas calamitates, regnum Franciæ pessum ibat. Atq; ita recepto Monsteriolo, quod ad Ionam amnem situm est, Meldem vrbem (vbi eius vxor incolebat) petit, præmisso comite Iogniano, cum LX. delectis equitibus, qui mercatum Meldensem occuparent. A Meldensibus Compendium se confert, vt Viromandos in fide contineret. Ibi per nuncios accepit, Parisianos arcem Luparam occupasse, & præsidio imposito, machinas inde belli, ad ædes publicas vrbis, traduxisse. Itaq; parum abfuit, quin ad priorem aduersitatem nouæ factiones accederent. Nam abeunte Parisio Carolo, nemo nobilium Parisios inuisebat, Carolum sequentes. Et aliquot ciuitates cum Parisiis sentiebant, sed longe plures Caroli partes tuebantur. Per eos dies, cùm alter, apud Parisios, trium statuū conuentus haberi speraretur: Carolus Compendium concionem contraxit. Vbi & de militibus legendis, deq; belli & reipublicæ subsidio forma, quam Campani inter se statuerant, seruata est. Hoc est, vt per ciuitates & regni oppida, ex LXX. domesticis capitibus, eques vnus: ex vicis atq;

Parisiani Luparam arcem occupant.

Modus pensionis Carolo soluenda.

agris, ex C. liberis hominibus, vnus: ex CC. seruis totidem legerentur. Clerus decimam, nobilitas ex C. librarum annuo prouentu, solidos centum penderet. Cuius pensionis quæstores à populo commissi essent, præterquã decimæ, quam ad quotidianos sumptus Carolus suo arbitratu moderaretur. Cõuenere, paucis post diebus, Carolus Nauarrusq;, apud Claromontem, agri Beluacensis, frustra adnitente Nauarro, vt in Caroli gratiam Parisianos reduceret. Qui postquam Nauarri interuentu nihil sibi bene procedere vident, duos ex Caroli ministris, Henricum Metretum, fabrum lignarium: & Poretum Pontium, Parisiensium præfectum, proditionis insimulatos capitis supplicio afficiunt.

Iaquæ Beluacenses.

Insurrexit per idem tempus in Beluacensium territorio agricolarum insolens turba, quæ ex vicis in nobilitatem, duce Guillermo Calleto, irrumpens: cædem multã facit, Compendiumq; vsq;, atq; Siluanectum & Suessionem grassata, arces complures spoliauit, deiecitq;. Erat huic hominum pesti, in nobilitatem præcipuã conspiratio, & execrabilis sæuitia. Cuius, ne per eius singula flagitia circunferar, duo tantum, præcipuæ immanitatis, crimina memorabo. Inter plurimas cædes, hæc debacchantium furia, castellum quoddam irrumpens, loci dominum cum palo alligassent, eius vxorem filiamq; in conspectu mariti stuprauerunt, stupratas necauerũt, viro mox crudeliter interempto. Alterum præterea auratum equitem à se trucidatum, & veru transfixum, igni assauerunt, spectante equitis vxore, quam à duodecim stupratoribus violatam, impulerunt de mariti carne vesci, miseram paulo post mulierem morte afficientes. Sunt, qui memoriæ prodiderunt, hos grassatores regem sibi instituisse, Iaqueum quendam, Bellouacum, à quo ipsi se *Iacas* volunt appellari. Egressi quoq; Parisio CCC. ex numero perditorum, homines, duce Petro Gillo, Tillium profecti, cum ibi Iohannem Vaillant cum D. eiusdem factionis, armatis comperissent, inita societate, Meldem ducunt, rati prima incursione mercatum expugnare. Quos Meldenses, positis, per vias, mensis: vino atq; dapibus, magna omnium lætitia, reficiunt. Erant in Mercato cum vxore Caroli, Fuxensis comes, atq; alii, bono numero, nobiles quidam. Qui postquam oppugnationem aduersum se parari vident, irruptione facta, totam illam plebeiam vim, furoremq; dissipãt.

Furor plebis reprimitur.

Ingressiq; ciuitatem, eam partim incendunt atq; diripiunt, capto Solanno, ciuitatis prætore, quẽ abductum necauerunt. Depræhensus præterea à Nauarro rege Guillermus Calletus, Iaquarũ Beluacensium primarius carnifex (*Iaquas* enim hæc se factio vocabat) vltimum supplicium apud Claromontem tulit.

Nauarrus Parisiensis præfectus.

Veniens deinde Parisium rex Nauarrus, à Parisiis dux &, vt est in vulgari vocabulo, capitaneus vrbis, constituitur: iurantibus, se ad reliquas ciuitates litteras dare, quæ illum totius regni præfectum constituant. Hæc agentibus Parisianis, Carolus numero militum fiebat in dies auctior, qui vbilibet depræhensos Parisianos spoliabant, ita, vt eius ciuitatis ciuem, nemo se profiteri auderet. Sæuiebant tamen maxime in Beluacensium Iaquas, quos ad numerum viginti millium, intra paucos dies, trucidatos fuisse traditum est. Postquam iustum exercitũ se habere Carolus intelligit, Callam mouet, deinde apud pontẽ Chalenthonium, atq; Conflanum castra ponit, in Parisianos incursiones faciens. Nec erat, qui aut ingredi vrbẽ, aut inde egredi, sine eminenti sui incõmodo, tentaret. Quod si, turba facta, populus interdum eruptionem faceret, vrbem, magno suo damno, repetere cogebatur, insequentibus eos Carolinis militibus. Interim aũt Nauarrus apud sanctum Dionysium se continebat. Et Iohanna regina, cum concordiæ formulam principibus proposuisset, obtinuit, vt ambo in colloquium venirent.

Conuentio Caroli & Nauarri.

Pone sanctum Anthonium Campestrem, tentorium Carolo fixum est, quò se Nauarrus contulit. Carolo stabant in armis triginta bellatorum millia. Nauarro vero, octo apud Charronam vicum erant. Tandem conuenit, vt ad omne debitum, quo Carolus Nauarro obnoxius erat, dissoluendum, millia librarum decem, annui prouentus, Nauarro assignaret, solueretq; definitis temporibus quater centum millia florenorum. Re ad hunc modum confecta, iureq; iurando interposito, principes discessere. Abiens à Carolo Nauarrus, promiserat de Parisiensibus ad Carolum postera die referre. Sed verbi iuramentiq; neglector, Anglos, qui sub eo militabant, Parisii ad præsidium locat. Nec morati Parisienses, aliquot ex suis armatis, ad Caroli

toli castra mittunt: quos acerrime repulsos, ad muros vsque Carolus persequitur. Fuisse alios belli motus constat, qui cum parum momenti habuerint, eos prætermitto. Illud memorabile magis, aduersus Anglos gestum est. Erat apud sanctũ Dionysium Anglorum manus, præter eam, quam Parisii Nauarrus habebat, quæ prædas faciens, agros infestabat. Quamobrem arbitrati Parisienses, vnius criminis Anglos esse conscios, impetu facto, quatuor & viginti ex iis, qui Parisii erant, occidũt: Compluribus, qui apud Neellã, cum Nauarro epulabantur, captis, quos apud Luparam in vincula coniecerunt. Ob cuius facti atrocitatem, cùm Nauarrus illos (assistente sibi mercatorum præposito) increparet, non prius tumultuari destiterunt, quam ipsum Nauarrum præpositumq; coegerint, cum eis in reliquos prædatores Anglos arma mouere. Cuius cœpti eos tandem pœnituit. Nam diu negligenterq; sese Nauarrus instruens, dat Anglis spacium sibi prospiciendi. Nec dubium fuit, dimisisse, ad eos, nuncios de Parisiensium aduentu. Quare insidiis, ad saltum diuæ Mariæ Boloniensis, positis, pauci extra saltum conspiciebantur, vt paruæ multitudinis speciem ostenderent. Mouentibus autem Parisianis, Nauarrus præpositusq; Dionysiana porta, cùm parte copiarum egressi sunt. Reliqua peditum turba, sancti Honorati portam petit, qua ad hostem iter erat. Qui dum in conspectum hostis veniunt, mox, qui in nemore latebant, se palam ostendentibus: tota illa incondita plebs, fugæ se committit. Quarum maximam partem insequentes Angli, spectante Nauarro trucidant: & nihilominus præpositus ad suos reuersus, Anglos nõ multo post è Lupara & vinculis soluit. Deinde rixante eo aduersus Iohannem Maillardum, ob clauem propugnaculi Dionysianæ portæ, quam Ioseranno Matisconensi committi illa die præpositus iubebat, Maillardus ad Falas: præpositus, ad diui Anthonii propugnaculum se recepit, gestans, nescio quas, in manu literas à Nauarro, vt ipse dicebat, acceptas. Quas, quia propugnaculi custodibus communicare recusauit, insurgentibus, qui præsidio erant, Philippum Guissardum primum, mox præpositum interficiunt, commeritã tot à se commissis flagitiis pœnam excipientes. Occisi quoq; sunt, Iohannes Insulanus iunior, & Iohannes Poretus, qui omnes vestibus nudati, in viam publicã, furente plebe, abiecti sunt. Comprænensi præterea Carolus Consacus, Parisiensis Scabinus, & Ioserannus Matisconensis, regis Nauarri thesaurarius, in carcerem coniecti sunt, & postea capitali supplicio affecti, & in profluentum Sequanę proiecti. Per eam cædium tempestatem Carolus Parisiũ accessit, conciliandi sibi populi causa. Itaq; egregia oratione patefecit, quæ mala ab iis, qui paulo supra pœnas luissent, facta iam erant, & postea futura timebantur. Nauarro quidem regi, Francorum regimen commissuros, introducturos ob eam causam in ciuitatem, Anglos, Nauarrosq;, eo die, quo de illis fuerat suppliciũ sumptum, mactaturos. Præterea eos, qui regis patris, atq; suas partes sequebantur, occidendorum ædibus posita signa esse destinatæ cædis. Confirmatus Caroli oratione populus, crudelissima perditorum facinora execratus est. *Mutatur enim semper cum fortuna populi instabilitas.* Hinc ergo indignabundus Nauarrus, apertum Carolo bellum indixit: & Meldunum occupat, multasq;, per Anglos, incursiones faciens, omnia populabatur, sollicitabatq; vrbes ad se deficere, iuuantibus eum Anglis. Propterea Robinus Canolus, Anglus, ex Britonibus in Aurelianos mouens, Castrum nouum & Castilionem capit, deinde Malicornum. Eodem tempore, Angli, qui in agro Altissiodorensi populationes faciebant, ciuitatem sub lucem intercipiunt: diripiuntq; paucis interfectis. Et ne singula persequar, omnia flumina, quibus aliquid commeatus ad Parisios importari poterat, sursum deorsum hostis occupabat. Et Iohannes Pinquigniacus, in territorio Nouiomensi c. & xx. insigni nobilitate viros, cum Nouiomensi antistite, captos: in vincula, apud Creolium, coniecit. Moxq; Ambianos petens, ciuitatis suburbia cremat. Sperabat enim, adiutore Iacobo Fusciano, Ambianos in potestatem Nauarri recipere. Sed proditione cognita, Iacobus capite punitus est. Interim, cum ex Anglia à Iohanne rege reuertissent oratores, propositæ pacis conditionem ferentes: Carolus accersitis, in atrio palatii, multis, variæ dignitatis, hominibus: pacis formulam, per Guillermum Dormanum, regium in senatu Parlamenti aduocatum, ad

Præpositi complicumq; cædes.

Nauarrus apertum bellũ Carolo indicit.

Forma concordia quã legati Caroli ab Anglia retulerunt.

tabulā marmoreā, recitare iubet. Petebat Edouardus, pro Iohannis redemptione, ſibi perpetuo Normanniā Xantonaſq; dimitti, cum adiacentibus ciuitatibus: Agenenſi, Tarba, Petragora, Lemouice, Cadurco, Turonenſi, Bolonienſi, Pontiuiaco, & Guinarū comitatibus, Caliſio, & Monſteriolo: quos principatus libero iure & ſuo imperio poſſideret, ita vt Britonicus ducatus, Normannorū ducem, non ſecus ac primarium dominum, eſſe profiteretur, atq; in eius verba iuraret. Si iuris prætereaquippiam in terris ipſis, vſu vel lege, aliquis vendicaret (id reſtitutis poſſeſſoribus) redimeretur à Iohanne. Adhuc quadragies centum millia nummûm Philipporum aureorum Edouardo perſolueret, duodecim datis obſidibus, cum aliquot ciuitatibus, inter quas Rothomagus, Cadomumq; deſignabātur, & ſuper centum millia librarum Sterlingorum (id genus eſt pecuniæ æſtimationis apud Anglos.) Et hæc quidem Edouardus petebat. Sed iniquæ viſæ ſunt concordiæ leges: Ideo communi decreto bellum Anglis indictum eſt. Simulq; inſtitutum, quem numerum militum, quamue pecuniam ad id bellum quiq; ſuppeditaret. Exactis inde paucis diebus, de reducendis, ad mutuam beniuolentiam, principibus, cum ſolliciti eſſent, ita egerunt, vt ad Carolum Nauarrus veniret. Venit autem Pontiſaram obſidibus à Carolo datis. Vbi poſt multa, hincinde, de concordia, habitis ſermonibus, cum Nauarrus oblata reſpueret, Carolus miſſo ad illum comite Stampenſi, hæc dicere iubet. Quandoquidem iuſto & æquo aduerſaretur, ſciret Carolū neq; amicitiam cum eo, neq; pacem habiturum, ſed eum in vincula reducturum, vnde fuiſſet ſublatus. Inſequenti nocte, Nauarrus, ſiue numine aliquo inſtinctus, ſiue dolo malo iram diſſimulans, ad Caroli conſiliarios miſſo nuncio, orat, ad ſe veniant. Vbi illi aduenerunt, hæc locutum Nauarrum accepi. Haud, inquit, viri ſapientes, dubius ſum, eam regni huius miſeram conditionem eſſe, vt ſi diſcordiis agere pergamus: facile reſpublica dilabatur. Eapropter, quoniam à Francis regibus genus ſumpſi, ponenda eſſe odia, operæprecium iudico, & regni calamitatibus ſuccurrendum. Itaq; conſtitui regis & Caroli amicitiam inire, eamq; ſincere obſeruare. Neq; mihi pecuniam, neq; alias poſſeſſiones vendico, præter eas, quæ ante diſcordiarum tempus, meæ ditionis extiterunt. Quare ite, & hæc aliis collegis veſtris, & Carolo nunciate. Hæc cum Carolo relata fuiſſent, magnopere laudauit. Accerſitoq;, in cænaculum arcis, procerum & prudentum conuentu, Nauarrum introduci iubet. Qui aduenens, eā quæ apud conſiliarios dixerat, coram eſt locutus. Reconciliatis principibus, beniuolentiæ initium hoc Nauarrus dedit. Anglos partium ſuarum omnes, qui in præſidio Poſſiaci, & in Caluomonte erant, emiſit. Non defuere tamen, qui Nauarri in Carolum fidem ſuſpectam haberent. Idcirco Carolus, nō prius Nauarrum Pariſium admiſit, quàm populi animum exploraſſet. At vbi comperit, pacem gratam Pariſienſibus eſſe, Nauarrumq; tuto introducere poſſe, proditoribus excluſis, regem amicum liberaliter accepit. Proditorum hæc nomina ſunt. Robertus Gallus, Laudunenſis antiſtes: Michael Taſſus, Nouiomenſis eccleſiæ cancellarius: Iohannes Sandacus, Petrus Delacurtus: Vincentius Mauricerius: Petrus Debarrus, & Gaufridus Flamingus: quos Iohannes Mareſianus in ſenatu Parlamenti (autore mercatorum præpoſito) palā deſignauerat. Paucos inde dies Pariſii diuerſatus Nauarrus, Meldunum proficiſcitur. Et ſperabatur ex Creolio Anglos dimiſſurus, propterea, quòd inauditū vectigal ab iis, qui Sequana merces Pariſium inueherent, exegiſſet, non alia cauſa (vt iactabat) quàm vt ſtipendiū militi ſolueret. Sed neq; Meldunum Nauarris, neq; Creoliū Anglis liberauit, quāuis ſex regalium millia à Pariſianis, vt Anglos amoueret, receperat. Per id tempus menſe Nouembri, Edouardus, poſtquā comperit, Francos pacis cōditiones, quas Iohannes poſuiſſet, reſpuere, præmiſſo Caliſium, duce Leucaſtriæ, cum CCCC. equitibus, & duobus ſagittariorum millibus, ipſe in Galliam traiiciens, cum Caliſium appuliſſet, recenſito, diligenti cura, exercitu, tres acies inſtruxit. Primam, quæ D. equitibus auratis, & M. ſagittariis conſtabat, ſequebatur altera, in qua rex ipſe erat, tribus equitum, & ſagittariorum millibus quinq; ſeptus. Ingens pòſt carrorum numerus ſuccedebat, quibus omnis generis commeatus vehebatur. Nam cum inaudita prius annonæ caritas Franciā vexaret, non tantū frumenti copiā, ſed molen-

Nauarrus Pōtiſarā ad Carolum venit.

Nauarrus Caroli cōſiliarios alloquitur.

Edouardus in Remos mouet.

molendinorum machinas Edouardus condiderat, cum breuibus scaphis, quibus è stagnis pisces exciperet, vel flumina transmitteret. Quæ omnia sex carrorum millibus imposita tuebatur. Tertia acies duorum millium equitum, præter pedites & sagittarios, qui ex Germanis & Belgis ad Edouardum conuenerant, vt in tanto belli apparatu Edouardo obsequerentur, vel re vera prędas facerent, & suas fortunas rapinis ampliarent. Comitabantur quoq; fossores D. & fabri lignarii, qui aspera viarum, & impedientes profectionem siluas, æquarent. Hanc tanti belli molem Edouardus ideo susceperat, vt Franciæ regnum vendicaret, aut pacis leges, quas animo conceperat, Franci reciperent. Igitur per Arthesium ducens, postquam apud Remos in obsidione dies XL. sedisset, relictis Remis Campaniam ingressus, Senones tandem atq; Niuernenses petit, acceptis à Burgundis, ne in eos moueret florenorũ aureorum millibus ducentis. Inde Moretum, per Vastinium, profectus, ad reginæ Burgum consedit. Is viculus est, quatuor à Parisiis milliaribus distans. Vnde missis ad Carolum, Normanniæ ducem, caduceatoribus, per eos à Carolo petit, pugnandi faciat potestatem. Quo non impetrato, aliquot Angli ad Parisiorum portas incurrentes, satis acerrime repulsi sunt, moxq; Edouardus per Blesiam iter faciens, in Britanniam copias ducit. Vbi per æstatem, recreato exercitu, ad autumni initium, Parisium reuertitur, quam circumuallare nisus est. Inter has calamitates, Carolus multa prospiciens, cancellarium Guillermum de monte acuto: abbatem præterea Cluniacensem, & Simonem Lingonensem, ordinis prædicatorum primarium rectorem, ex aulicorum consilio, ad Edouardum legat. Sed nec sic pacis conditio processit. Castris igitur sublatis, partem copiarum hostis ad diui Marcelli suburbiũ locat, ratus Parisienses prælii potestatẽ facturos. Quietis Francis, & in vrbe se continentibus, spe frustratus Edouardus: Carnutum versus, iter fecit. Casteldunũ autem cùm venisset, orta tempestate (quę solito horridior fuit) territus hostis, per Aubericum, Cluniaci abbatem clam explorat, si pacis aliqua conditio inueniri possit. Quod postquam, referente abbate, cognitum est, Carolus animum ad pacem intendit. Missis ab vtroq; principe nunciis, viris & nobilitate & doctrina illustribus, apud Bretigniacum, qui vicus est, non procul à Chatris sub Montelerico conuentio habita, pacẽ ad insequentem modum constituit, anno Christianæ gratiæ CCCLX. supra M. Anglo omnis Pictauia, Toardus, Bellauilla, Xantones, Agena, Petragorium, Lemouicenses, Cadurci, Tarbienses, Bigorii, Angolismi, Ruteni, Pontiuiaci, Calisii & Guinarũ comitatus, cum aliis adiacentibus vicis, obuenirent, & ad ipsius perpetuã ditionem, absq; vlla iuris aut maiestatis diminutione, cederent. Ei quoq; tredecies centena millia aureorum, statutis diebus, soluerentur. His, ad hunc modum, Caroli nomine, firmatis, Edouardus Iohannem regem Calisium deducere promisit, vnde liber, & nullius rei obnoxius, abire posset: datis, ante omnia obsidibus permissisq; in Angli potestate, Rupella & Guinatum pertinentiis: Qui Iohannes Calisio aliquando digressus, nec bellum Anglo indicere, nec in eum arma sumere tentaret, donec, quæ decreta ad pacẽ erant, plenissime complerentur. Huius concordiæ, postquã syngrapha, principũ iuramento & sigillis roborata sunt, induciæq; positæ, Iohannes rex post IIII. suæ captiuitatis annũ Calisium perducitur. Quò (videndi patris causa) Carolus se contulit. Rebus, post aliquot mẽses, plane ordinatis, Iohannes Boloniã, mox ad sanctũ Audomarũ profectus est. Edouardus verò, Ludouicũ Andegauiæ ducẽ, & Iohannem Aluerniæ atq; Biturigum principẽ, regis filios: Ludouicum Borboniensem, Petrum Alenconium, Iohannem comitis Stampensis fratrẽ, Guidonem Blesensem, alios præterea obsides, non infimæ nobilitatis secum ducens, Angliam repetiuit. Iohannis autẽ aduentus, mirabili omniũ lætitia, exceptus est. Ad quem veniens paulo post Nauarrus, iurat in fide se mansurũ. Conciliatione principũ habita, cum milites suis præsidiis, sicut cõuenerat, egredi oporteret, nec stipendio vllo iuuarentur, desperatis rebus, magna pars pręfectos capitaneosq; sibi constituunt, atq; ita per Campaniã populationes facientes, Burgundiam inuadunt: quibus aliquot nobiles Burgundi sese coniunxere, tanto quidam numero, vt supra quindecim millia paruo tempore hæc turba excreuerit. Moxq; decem & septẽ ductoribus grassantes, per Mantisconẽ, in Forestã, iter fa-

Edouardus in suburbio sancti Marcelli Parisiensis.

Formula liberandi regis Iohannis.

Discessio militum in varias partes.

ciunt. Aduersum quos à rege missus, cum non contemnendis copiis, Iacobus Borbonius infœliciter pugnat. Prædones enim in monticulum, non multum procul à Lugduno, cùm successissent, partem copiarum post montē occultant, reliqua pars, velut in armis, se Iacobo ostendit. Erat mons petrosus atq; confragosus. In quem dum Iohannes, Archipresbyter, primæ cohortis ductor, ascendere pergit, prædones lapidibus deorsum magna vi & numero iactis, subeuntes arcebant, Iohanneq; grauissime contundunt. Cui subsidio adueniens Borbonius, toto exercitu præliatur. Sed confestim prodeuntibus, qui latuerant, fit strages magna Francorum. Cadentibus plurimis, Iacobus cum filio eius Petro saucius, Lugdunum ægre relatus est, cum ageretur annus salutis CCCLXI. supra M. Igitur victores latrunculi partim cum Beguino Batefolo Ansam, oppidum Arari, id est, Sagonę finitimū, se recipiūt, partim cum Nandone Baugerano Auinionem petunt, pontemq; sancti spiritus ad Rhodanum flumē, sub diei crepusculo, capiunt & spoliant, nulli sexui parcentes. Id pontificem Innocentium VI. qui Auinione agebat, vehementer exterruit. Itaq; ex patrum cardinalium sententia Petrum Monasterium cardinalem, ducem constituit, qui collecto exercitu, grassatores compesceret: fitq; ob idipsum, tanquam in hostes religionis Christianę, cruciata. Egresso Petro Carpentracum, vt conuenientes illuc milites exciperet, cum pecunia ad stipendium non sufficit, alii in Lombardiam, alii ad grassatores, plæriq; domum se contulerunt. In hac rerum desperatione, venit in mentem pontificis accersire montisferrati Marchionē, qui per id tempus belli peritissimus habebatur, & aduersus Mediolanēses bellum gerebat. Hunc magnis stipendiis pontifex adducit, hanc perditorum hominum colluuiē, sibi adiungere, ad eam expeditionem, quam in Insubres parabat. Marchio autem, quia ad rem suam id conducere iudicabat, latrunculorum præfectos spe præmiorum allicit, ita, vt sexaginta florenorum millibus acceptis, & pontificis absolutione percepta, pontem sancti spiritus relinquerent. Hinc Marchionem secuti, superatis Alpibus, stipendia apud eum fecerunt. Seguinus autem, qui Ansam (vt diximus) occupabat, Briodam, Aruernię oppidum, relicta Ansa, multis munitionibus firmat, atq; inde post diras excursiones in finitimos factas, in Vasconiam tandem (quia Vasco erat) cum ingenti præda se recepit. Eodem tempore Philippus Burgundorum dux & comes defunctus est, atq; in demortui locum Iohannes rex successit. Quam terram cùm adiisset, Auinionē salutandi pontificis Innocentii VI. causa profectus est. Quo paulo post mortuo, & Vrbano V. post difficilem cardinalium contentionem suffecto, Iohannes pontificem, vt Christianæ legis primarium sacerdotem, honorauit. Sub ipso creationis Vrbani tempore, venit ex Cypro Petrus Lusigniacus, Hierosolymorum rex. Hunc à pontifice, & collegio patrum plurima benignitate susceptum, Iohannes quoq; liberalissime amplexus est. Audiuitq; attente, de bellis aduersus fidei hostes, in pontificis & cardinalium consessu disserentē. De qua re cum præsul Vrbanus contionari, & disertissime suadere cœpisset: Iohannes paterni voti recordatus, quo se huius in Sarracenos expeditionis reum Philippus fecerat: ratus quoq; id oportune contigisse: quò vagas per Franciam militum turmas, ad eam expeditionem educeret, cruce se signauit. Nec multo post à pontifice abiens, cum de filiis obsidibus aliisq; Anglo regi astrictis, curam gessisset, vt eos in libertatem vendicaret, in Angliam nauigauit. Sed ad Idus Martias ægrotans VIII. Aprilis die, anno Christianæ pietatis CCCLXIIII. supra M. Londoniis vita decessit. Cuius corpus inde elatum, sinistrorsum aræ maioris in diui Dionysii cœnobio humatū est. Qua tempestate Bertrandus Guescluinus Brito Gallus, homo belli apprime sciens, Mātam quæ Nauarri regis erat, hoc astu in Caroli ditionem accepit. Est Rolebassa castellum ad ripā Sequanæ, tertio à Manta miliari distans, quod Ventarus Astarus, patria Bruxellensis, coactis, vndecunq; poterat, desperatis militibus, occupabat, cuiq; homini inimicus. Quem Bertrandus & Iohannes Bursicaudus petere simulantes, in Ebroicenses ducunt, qui ad Nauarrū pertinebant. Verum cum inde repulsi abirent: dolo vsi, Mantam versus proficiscūtur. Præueniens autē, vt conuenerat, Bursicaudus: quasi ipse à Vantaro & Robelessibus fusus fugeret: Mantæ vigiles, qui noctu ad muros excubabant, miserabili voce inclamat. Interrogantibus custodiis,

Iohannes ex Anglia liber factus, ducatū Burgundiæ recepit.

Manta a Bertrando occupatur.

diis, quisnam eos appellaret: Franci,inquit,sumus: quos Rolebessæ præsidium exuperatos,perdere approperat.Suscipite miseros,& portas pandite desperatis.Itaq; his questubus moti custodes: Borsicaudum in oppidum admittunt. Quem in insidiis latitans confestim sequitur Guesclinus,fitq; omnium Nauarrorum,qui Mantæ erant,præda & cędes.Cepere prętera Caroli milites Melannum cum arce:vbi depræhensis aliquot Parisianis ciuibus, qui Nauarri partium erant:cum Parisium fuissent perducti, de ipsis supplicium sumptum. Idem quoq; Bertrandus, cum illi occurrisset Vasco, quidam nobilis, Iohannes Grailus Captaubusus Nauarro inseruiens, cum bona militum manu, conserto prælio, apud Itonem fluuiū,haud procul à Cocherello oppido, Vasconem capit: meliore suorū parte interempta. Quē Carolus rex à Guesclino receptum,in Meldensi mercato asseruari in custodia iubet.Datq; Bertrando in captiui locum Longanuillam, quam Guifardam vocant.

VITA, apud Londonias, Iohanne defuncto, Carolus cum Iohanna Borboniensi,eius vxore Remis, veterū regū more,sacratus est.Inde cū Parisiū reuertisset, Philippo,fratri suo iuniori,Burgundiā donat,recepta ab eo Turonia,quā antea Philippus possidebat. Per id tempus Carolus Blesensis aduersus Iohannem de Monteforti,ob Britanniæ ducatū,aduersante fortuna,pugnans,occubuit: suis partim cæsis partimq; fugatis,labente anno dominicæ salutis MCCCLXIIII. Inter eos, qui cæsi decumbebant,cū Carolus Blesensis inuentus fuisset, Iohannes victor interemptū hostē videre festinauit.Illachrymauitq; consobrini necē:moxq; iussit sepeliri,& apud Guingantā tumulo deponi:vbi miris operibus claruisse perhibetur,in sanctos à pontifice Vrbano v.relatus.Nec fuit qui in Iohannē postea pro Britonū imperio dimicaret. Sed interuenientibus, Caroli regis, legatis: vxori Caroli Blesensis, cui Parlamenti decreto Britonū principatus fuerat attributus, data est Pointiura cum vicecomitatu Lemouico.Intercessore etiā Edouardo, pax inter Carolum Nauarrūq; conuenit, cōmutatione possessionū facta: ita vt Nauarrus Montēpessulanum Baionāq;:Carolus vero Mantā,Meulanum & Longanuillā,quam Guesclino donauerat,possideret,Captaubuso vinculis exempto. Supererant his diebus, diuersis,per Franciam,locis armatorum variæ ex Anglis, Britonibus, atq; Nauarris cohortes:quæ prædas populationesq;,nullo certo duce,faciebant. Has, vt emitteret, Guesclinus magnopere studebat:promouente maxime Carolo rege,qui eū,post Caroli Blesensis interitū, de Anglorum captiuitate centū Francorum millibus exemerat. Et Bertrando quidē se obtulit cogitata faciendi talis occasio. Castellæ regno Petrus potiebatur,fratrē habens Henricū,spurium. Hic,siue quia praua natura esset,siue, quia Petri principatū moleste ferret, siue, quia ab eo esset possessione deiectus,in Aragoniā primū,mox in Franciā cōcesserat: spe cogendi manū aliquā hominū perditorum, quorū plurimus ex præteritorum bellorū reliquiis numerus per Franciā erat. Itaq; Guesclinum bellicosum hominē sollicitat,arma in Castellam conuertere:illic iustā belli causam esse,siue in Sarracenos, siue in Petrū decertet.Guesclinus Henrici frequenti suasu animatus,oportunū tempus adesse ratus, quo turmas armatorū regno summoueret: quosq;, qui plus inter illos auctoritatis habebant,cōuenit.Ait se expeditionē in Hispaniā aduersus Mauros desumpsisse,in qua stipendia facere,& salutare bellū gerere,se duce,possint: habere ad belli societatē Henricum Hispaniensem.In ea militia opes,gloriā, salutemq; propositam illis esse.Apud Francos,quorum res ad pacē quietemq; inclinabant,nihil pręter latrocinia & tandem supplicia prædatoribus imminere. Quibus Guesclini verbis pleriq; persuasi,cum eo se profecturos pollicentur.Itaq; decē millibus, diuersæ nationis hominū belli peritorum coactis, Guesclinus in Hispaniā ducit: promouente maxime Carolo rege.Habuit secū GuesclinusHenricū ipsum:Iacobū Borboniū: Arnulphū Dandrehanū,Franciæ Mareschallū,Iohannē Caurelaū Anglū: & Mauricium Tresinguidum. His per Aragoniā in castellū profectis: Petrus,Castellanorum rex,ea tempestate potens,& diuitiarum abundans,sed alioquin prauus,& religionis minime obseruator,nihil belli intulit. Nam,cum aduentantibus in Castellam copiis, Burgis, primaria eius regionis ciuitate, ageret: vrbe relicta Toletum se recepit:conscius iniquitatis,qua in plerosque sæuierat.Igitur vacuas hoste Bur-

CAP. 2.

Carolus Blesensis moritur.

Carolus Blesensis Sanctus.

Occasio expeditionis in Castellā per Bertrandum.

gas Franci receperũt: aliquot ex Iudæis Sarracenisq; interfectis. Christianis enim nihil damni illatũ est. Recepta ciuitate, Henricum diademate imposito, Franci regem appellant. Restiterat in Francia ex turmis prædatorũ Arnulphus, cognomento archipresbyter, qui Guescluino non audiens, regnum mirum in modum vexabat. Hunc sui ob male distributas prædas occidunt. Nunciatumq; est Carolo, Petrum ex Castella ad Valiæ principem, Edouardi filium in Aquitaniam profugisse, & Henricum toti Castellæ principari. Per eos dies Iohannes de Monteforti, ob Britanniæ ducatum, & eas, quas sub Caroli ditione possidebat, fidem regi præstitit. Angli vero Valiæ principe duce, per Nauarram vadentes, restituendi Petri causa in Castellam ducunt. In quos Henrici milites progressi, quingentos occidunt. Sed fœlici initio dirior fortuna successit.

Hẽricus uincitur, Guescluinus capitur.

Nam conserto totis cõpiis prælio, Henricus apud Nauarretum superatur: capto Guescluino cum aliis ductoribus Francis. Ea siquidem victoria superbior factus Petrus, in penitiorẽ Castellam se recipiens, Anglos in Vallisoleto reliquit, Ispalim petens: vbi cõgesta, vt ipse gloriabatur, pecunia: stipendiũ militi Anglo, sicut constituerat, solueret. Sed eo negligenter improbeq; agente: cum nec stipendia nec commeatus sufficerent, Valliæ princeps copias Burdegalã reduxit. Quæ paucos post dies per Franciã diffusæ, omnia Ligeri transmisso, in agro Matisconensi & Burgundia: deinde in Campania populabantur.

Henricus Castellã repetit.

At Henricus, qui Castella relicta, Carcassonæ agebat, cognito Anglorum discessu, viribus receptis, & multorum Castellanorum Francorumq; auxilio nisus, Castellam recuperat:

Petrus occiditur.

occiso, apud Nantuellum castellum, Petro: qui vxorem, ducis Borbonii filiam, supra aliquot annos, sua crudelitate vsus, necauerat. Valiæ vero princeps in Aquitaniã reuersus: perfidiæ in Francos tenax: & quia expeditio Hispana eum pecunia destituerat: nouũ in Aquitania censum ex singulis, qui rem domesticã gerebant, colligere tentauit. Id exactionis pensum Foagium Franci vocant.

Prouocatio comitis Armigniaci ad Carolum regem.

Igitur cum Aquitanos Vasconesq; vectigalibus vexare cœpisset: & proceres male tractare studeret: Armigniaci comes, adhærentibus ei Albreto & Petragorio comite, ad Carolum regẽ prouocant. Et quędam Anglorũ cohortes, accepta à Carolo grandi pecunia, in Aquitaniã abierunt: relictis locis, quæ pręter cõcordię leges occupauerant. Et aliquot præterea Burgundi equites, contracta nõ magna militũ manu: in turmas prædatorũ, apud Samalatum irruentes: aliquot occisis captisq; in fugã coegerunt, recuperatis captiuis, quos grassatores abducebãt. Quo tempore Caroli vxor filiũ, ingenti omniũ gaudio, peperit, cui Carolo nomẽ inditũ est. Abbatisuilla quoq; & reliquæ Pontiuiaci comitatus arces, & loca, autoribus Guidone de S. Paulo, & Iohanne Castilionensi, relictis Anglis, quorũ duram dominationem ferre non poterant, Caroli se potestati permisere.

Edouardi in oratores iniuria.

Armigniaci verò comitis, cæterorũq; procerũ Aquitaniæ prouocatio ad Parlamenti senatũ relata, decreto publico, rege pręsidẽte recepta, & ad vocandum in iudiciũ Valiæ principem mandatũ expeditum. Cuius exequendi causa, eques auratus ex Belsia, Caponellus vocatus, cũ iureconsulto homine, Burdegalam profectus, cum suæ legationis rationẽ principi prodidissent, iussi à principis conspectu confestim discedere, Tholosam iter facere properarunt: vbi Andegauus dux agebat. Sed abeuntibus oratoribus: mox Edouardus Guillermũ Monachum, equitem Anglũ, persequi eos, mittit. Quod ne principis mandato fieri videretur, Guillermus depręhenso in agro Agenensi Caponello: hospes, inquit, vester ô Caponelle, queritur, quòd vos, equorũ commutatione facta, equũ ad se pertinentẽ abducitis, hospiti satis te facere oportet. Atq; ita Caponellũ, cum eius collega in custodia apud Agenenses posuit. Parui ad hunc modũ prouocatione habita, princeps Armigniacum eiusq; consortes bello persequebatur. Quibus de rebus, tametsi multis legationibus vltro citroq; missis, disceptatũ diu multumq; fuisset, dicentibus Anglis, prouocationem ipsam definitæ cum Iohanne paci repugnare, præsertim, cùm Aquitaniæ primaria ditio in Angliæ regem esset à Iohanne reposita, cõtra asseuerantibus Francis, appellationẽ ab Armigniaco intercessisse, priusquã suprema Aquitaniæ potestate se Iohannes abdicasset: propterea ad Carolũ præsentem regẽ, prouocationis causam, optimo iure pertinere, qui subditorum controuersias à se reiicere non deberet. Hæ argumentationes, multis aliis

ratio-

rationibus adiectis, cum propositæ scriptæque fuissent, eas Edouardum Carolus in Agliã misit. Dum hęc ita geruntur, legatorum iniuriam, quam ab Anglo acceperant Petragoricus comes, &, qui cum eo Parisii apud regem erant, Vascones persequi maturantes, bello se accingunt. Festinantesque cum bona suorum manu, cum rescissent Thomã Viracũ ex Villanoua, Agenensis agri Rutenos petere, vt arci, quæ vrbi eminet, præsidium imponeret, CCC. equitum insidias aduersus Thomam secundo à Montalbano lapide locant. Igitur prætereuntem cum sexaginta equitibus, & ducentis sagittariis Thomam inuadunt. Fit clamor, vt in rebus subitaneis solet. Sed succumbentibus Anglis, Thomas perniciſsimo equo vsus, in Montalbanum se recepit. Interim Philippus Burgundionũ dux & comes, Caroli frater Gandauum profectus, anno Christianæ gratiæ MCCCIX. Margaretam, Ludouici Flamingorum comitis filiam, vxorem accepit, conditionibus, quæ sequuntur, lege iureque iurando roboratis. Tenuerant reges Franci tria secus Flandriam non parui momenti oppida, Insulam, Duacum, Orchias, cum eorum agris atque appendicibus. Et Ludouicus Flandrensis deberi sibi ex pacto, dicebat, librarum millia decem annui census: & centum pręterea scutorum millia, quę Franci reges non exsoluissent. Conuenit igitur, vt illa tria oppida, memorati census nomine, sub regis fide & principatu, comes perpetuo possideret: eique centena, quæ diximus, scutorũ millia imprimis soluerentur. Si vero nullis liberis, virilis sexus, ex legitima vxore susceptis, Ludouicus interiret: ea ad Margaretam, eius filiam, hæreditario iure transiret. Cui si nulla ex Philippo Burgundiæ duce, mascŭlina proles foret, ad reges Francos oppida redirent: assignatis prius Flandriæ comitibus, cuiussis sexus essent, decem librarum Flãdrensium millibus, quę ante Philippi & Margaretæ nuptias, comiti debebant. Nuptiarum quidem Philippi huiusmodi leges fuisse, haud dubiũ est. Celebrato matrimonio: constituerat Carolus expeditionẽ in Angliã, duce Philippo fratre mittere, & ad id venturum prope diem Nauarrę regem sperabat. Quapropter Hareflum profectus, nũcium accepit, Clocestriæ ducem ex Anglia, cum valido exercitu, Calisium traiecisse, atque inde Morinum Ariamque infesto agmine duxisse. Atque ita Anglicæ expeditionis negotio prętermisso: Philippum aduersus Anglum cum copiis mittit. Positis in mutuo conspectu in colle Tornehani castris non procul ab Ardera (leuibus præliis commissis) vtriusque exercitus ducibus placuit, loco designato, totis copiis præliari. Deliguntur à quoque principe sex aurati equites, qui locum pugnæ constituant. Sed abeunte, nescio qua ratione, Philippo nulla dimicandi potestate facta, Anglus per Caletos Rothomagẽsis agri Hareflum, vrendę classis causa, quæ in anchoris erat, contendit. Vbi postquã id se frustra conari videt, retro Calisium iter vertit: capto, in Abbatisuillæ suburbio, Hugone Castilionensi, cum aliquot Pontiuiacis equitibus auratis. Capiendi autem Hugonis hæc occasio incidit. Cum ab Hareflo Angli per Pontiuiacum reuertuntur: Nicolaus Iouanius, qui Pontiuiaci Seneschallus fuerat, & ab Hugone captus, decẽ fuerat millibus Francorum mulctatus. Eius damni non immemor, viginti tantum armatis secum assumptis, in suburbano, quod ad Roueriam portam est, clam delituit, donec ex oppido prodeuntem quempiam captum abduceret. Quo die Hugo Castillionensis, sollicitus explorare, quis ordo esset prętereuntium Anglorũ, accersitis duodecim tantum militibus, ad portam Roueriam, insidiarum nescius, accedit, simulans præsidium eo loco ponere. Egressus porta, cum ad macerias, vbi hostis Iouanius considebat, nihil metuens peruenisset, repente in eum hostis inuolat, incautumque deprænhendit, & duxit in Angliam captiuum. A quo cum ingens redemptionis precium expetitur, post longam tandem custodiam, negociator quidam Flãdrius Hugonem clam liberauit. Per hęc belli incommoda, quia nec fiscus, nec ærarium ad belli vsum Carolo erat, contracto Parisii concilio, communi omnium instituto decretum est, regem ad eius Dalphinique quotidianam impensam denarios duodecim, ex singulis libris, venditi salis, quotannis percipere. Ad belli autem necessitates & stipendia militi tribuenda, vrbium incolas, qui rem familiarem domesticamque haberent, Francos quattuor, agricolas vnum & dimidium annui census singulos pendere. Est præterea venali vino vectigal adiectum, vt de

Thomas Viracus. Anglus fugit.

Philippus Burgundus Margaretam Ludouici Flandrensis duxit vxorem.

Philippus Burgundus cõtra ducem Clocestriæ.

Hugo de Castillione in suburbio Abbatisuillæ capitur.

Consilium Parisii indicitur

Vectigal vino imponitur.

integro vini dolio (quod caudam vocant) dum veniret, solidos tredecim emptor, de eo verò, quod mensuratim quisque venale promeret, quartum regi denarium venditor pendere cogeretur. Cum verò ad Parisios vinum importaretur, si Francum esset, solidos duodecim: si Belnense, duplicatum ex singulis cadis, id est, caudis portitores pensum exigerent. Et licet ea esset regii fisci tenuitas, non desinebat tamen Nauarrus aliquid in Carolum doli pensitare. Cumque de reconciliatione apud regem nuncios frequẽtes haberet, ab Angli tamen societate non abstinebat, partes eius aperte secuturus, si Caroli amicitiam non adipisceretur. Sed acceptis tandem apud Ebroicas obsidibns, Vernonem, vbi Carolus agebat, venit. Iuratq; in Caroli verba.

Dolus Nauarri regis.

Erat his diebus Parisii regius præpositus Hugo Aubriotus, qui propugnaculum, cui Bastilda nomen est, ad diui Antonii portam extruxit, sumptu ex ea pecunia facto quam Parisiorum communitati Carolus donauerat.

Hugo Aubriotus.

Mouere per id tempus ex Anglia & Calisio cum sex armatorum millibus, & sagittariorũ mille quingentis Robinus Carolus, & Thomas Grãconus, atq; à sancto Audomaro per Arthesium atq; Attrebates profecti, Remos (Isara traiecto) omnia populantes inuadunt. Moxq; Albam, Sequanamq; atq; Ionam amnes transmittentes, in agro Parisiano, apud Ablonem castra ponunt. Inde, cum inter villam Iudeam (quam Iuliã, à Iulio Cæsare, dictam esse, plęriq; contendunt) acies ordinassent, nulla tamen in illos à Parisiis eruptio facta est: quamquã mille ducẽtos equites ad pręsidium haberent. Quare non cunctatus postea hostis, quibusdã vicis incensis, Stampas, Belsiãq; incursibus vastantes, in Andegauos ducunt. Quos Bertrandus, qui eodẽ tempore, Conestabilis à Carolo fuerat institutus, sexcentis eorũ primum, deinde trecentis, postremo quadringẽtis occisis, fudit: receptis locis quibusdam, quæ per Andegauiam Anglus occupauerat: capto insuper Thoma Grancono. Et paucis post diebus, variis locis, Angli à Francis superati sunt, ita, vt nemo eorum, qui duce Carolo Calisiio egressi erant, fuerit superstes. Et quamquã venientibus à põtifice Cardinalibus: de pace inter reges diligẽter actũ est, vani tamẽ fuere conatus legatorũ.

Robinus Carolus Anglus.

Superstitionis quoddã genus eodẽ tẽpore à Turlupinis (hoc enim erat hæreticis nomẽ qui se de societate pauperũ vocitari gaudebãt) ortũ, finẽ cœpit: Crematis eorũ vestibus & libris, in foro suillo extra sancti Honorati portã. Iohãna autẽ Dabentona, & cũ ea alter, cuius nomẽ historici nõ tradũt, eiusdẽ sectæ imprimis professores cõburũtur. Hic autẽ, quẽ sine nomine ponimus, cũ ante damnationis eius sententiã, in carcere mortẽ obiisset, dies x v. in aggere calcis, ne putresceret eius cadauer, asseruatus est, & die ad suppliciũ pręscripto crematus.

Superstitio Turlupinorũ.

Porro Carolus omni studio Anglos persequẽs, Bertrandũ in Pictauiã, non parua militũ manu, proficisci iubet. Hẽricus præterea Castellæ rex, Carolo suppetias ferens, eodẽ tẽpore multis nauibus, ex Castella Rochellã delatus, soluentes ex portu xxxv. onerarias Anglorũ naues capit. Et Bertrandus (Biturigũ duce autore) Pictauos in Caroli fidẽ recepit, Captaubuso, paulopost, à Francis apud Subisam in acie, fuso, & in vincula coniecto. Moxq; Rochella, Angolismi, & Xãtones, cũ multis, eius populi, arcibus seditionẽ fecere. Paucis autẽ diebus, quia Iohãnes, Britonũ dux, à Carolo desciuerat, Anglos secutus, nec eidẽ regionis proceres assentirentur, Guescluinus in eũ mouit. Cuius aduentum non sustinens Iohannes, in Angliam se festinato proripuit. Post cuius fugam Britones Guescluinum admiserunt, præter arces tres: Brestũ, Aulorum, & Derualum. Brestum tamen postea Bertrandus: Laualus autem & Clissonus Deruallum obsidione cingunt. Brestenses xii. obsidibus Bertrando datis, cùm vel deditionis vel pugnę diem ad Idus Augusti constituissent, neutrum fecerunt.

Iohannis Britonũ ducis defectio.

Et Iohannes de Monteforti, cum duce Leucestriæ, coacto exercitu, Calisium appellens, decurso Arthesio atq; Virõmandia, per Remos Cãpanosq; prædas facientes, transmisso tandem Ligeri Burdegalam se receperunt, fuga, cæde & multis incõmodis à Francis affecti. Nam Philippus, Burgundorum dux, illos adequitans, multis frequenter interceptis necabat. Et Iohannes Viennensis, eques strenuus, quinquaginta equites, & sagittarios Anglos fudit: ita, vt ex xxx. armatorum millibus, quos ex Anglia eduxerant, sex tantum millia Garonnam traiecerint. Ex Burdegala receptis viribus, Iohannes de Monteforti cum Anglorum manu, Aulorum petit,

vbi

Inanis legatorum conuentio.

vbi eius vxor incolebat. Eò quosdam Britonum episcopos & proceres ad se vocat. Id postquam Carolus cognouit, nouas copias Guescluino, qui reliquam Britanniam tenebat, mittit. Interim conuenientibus apud Brugas, cum Romanis legàtis, oratoribus Francis Anglisque vt pax inter reges tandem firmaretur, nihil diffiniri potuit. Translato deinde Boloniam conuentu, postquam iteratis crebro legationibus, põtificis oratores, Caroli assensu nonnulla Anglo regi plus æquo proponerent: Angli, qui Calisii Edouardi nomine agebant, responderunt, se de his ad suum regem relaturos, & inde ad Calendas Augusti Edouardi sententiam Brugis dimissuros. Sed Edouardi mors interim intercessit, pridie solennitatis diui Iohānnis Baptistæ, dum ageretur annus salutis C C C L X X V I. supra M. His ita gestis, Carolus futura prospiciens, publica contione in parlamenteo senatu habita, de liberis, qui in regnum successuri essent, huiusmodi legem tulit. Quemque primogenitum regis Francorum filium regni administrationem recipere debere, cùm quartumdecimum ageret annum, ne per longiorem tutelam, occasio incideret maliuolis, res nouas excitandi. Anno insequenti, qui fuit Christianæ gratiæ M C C C L X X V I I. Carolus quinque per Franciam distantibus locis, quinque exercitus alebat. Primus, quem Andegauus comes Guescluino comitante ducebat, per Aquitaniam incedens Codacum, Bergeracum, sanctam fidem ad Dordonæ ripam sitam, Castillionem, Sammutram, Canderetum, Macharium cum arce, & Languonem, partim expugnatione, partim voluntaria deditione recepit, superato Thoma Felthone, qui non procul à Riola sexcentos equites habens, cum Iohanne de Buello prælium commiserat. Dedentibus passim se Aquitaniç proceribus, ii qui Durasiæ familiæ erant, ad Anglos perfugerunt. Quare Dulaco prętermisso, quod obsidere instituerat Andegauus, dux ad Durasium se conuertens, oppidanos primò in fidē accepit. Arcem vero, quæ ibi munitissima erat, circumuallans, post primam & vigesimam circumuallationis diem, deditione à castellanis facta, arce potitus est. Deinde, quia hyems aderat, in hyberna militem misit. At Clissonus, qui apud Aulotum obsidionem habebat, paciscentibus cum eo Anglis, vt liberi abirent, locum obtinuit. Omnis ad hunc modum Britannia, præter Brestenses, Caroli facta est. Qui vero regiæ classi præerant, in Angliam delati, Lariam, non paruam ciuitatem, ceperunt atque incenderunt. Philippus præterea, Burgundiæ dux, Calisium profectus, nonnullas, per vicinum Calisio agrum, arces atque Arderam subiugauit: vbi validissimis Balistariorum præsidiis impositis, in hyberna se contulit. Per eos dies Romanorum imperator Carolus, visendi regis desiderio, iter per Hannoniam Cameracumque faciens, in Franciam venit. De cuius aduentu Carolus litteris acceptis, ad singula, quà transiturus imperator erat, loca præmissis, qui illum honorificentissime venerarentur, tandem Biturigum & Burgundorum duces, Senonum archipræsulem, & Haricurtum dominum obuiam Siluanectum proficisci iubet. Qui cum ad vicum Luparam inde perducentes, cùm articulari morbo imperator laboraret, currum & lecticam auro gemmisque artificiosissime elaboratam, ad imperatorem propere Carolus mittit. Lectica postera die impositus, postquam Dionysiani cœnobii sacrosancta religionis monumēta, reliquiasque multa veneratione perlustrasset, in cubiculum reuersus, dum per fenestram in atrium diuersorii aspicit, Burrellus Riuerius, & Nicolaus Detencus, ex domesticis regis aulicis, equos duos ingenuos, atque animosos, insignibus Francorum apparatissime ornatos, imperatori, totidemque filio eius, Romanorū regi, Caroli nomine præsentat. Quod munus imperator liberalissime lætissimeque excipiens, ego, inquit, in altero illorum sedens, Parisium ingrediar. Egredienti sancto Dionysio imperatore, Parisiensis pręses, mercatorum prępositus, & præfectus vigilum, comitante multa ciuium Parisiensium frequentia, composito ordine in equis occurrentes, imperatorē con salutant. Rex vero postquam ex viculo Capella imperatorem digredi accepit, miro apparatu, & pompa ducum quoque & comitum, procerum insuper atque episcoporum ornatu, & numero, vrbe progressus, quibusque distinctis officiis atque vestibus pro sua dignitate & conditione euntibus, dum paulo supra Molendinum,

Edouardus moritur.

Constitutio à Carolo facta de filiis qui ad regnum successuri essent.

Quinque exercitus Francorū eodem tempore.

Duras capitur

Imperator Carolus in Franciam ad Carolum venit.

Pompa in occursu imperatoris.

quod est secus Dionysianam viam,peruenissent, venientibus alter in alterius conspectum principibus,reuelato capite,datisque dextris, sese amicissime venerãtur, mox ad Romanorum regem Carolus accedens,impertita illi salute,imperatorem dextrorsum,regem vero filiũ sinistrorsum habens, ipse medius incessit, donec ad palatium ventum est,vbi grande spaciosumque cœnaculum accipiendo imperatori, tapetibusque & mensis ornatissimum Carolus esse imperauerat. Postquam aliquot diebus feriatum est,& mutuis se colloquiis muneribusq; principes coluissent firmataq; in eos iureiurando amicitia est,discedente imperatorẽ Carolus ad Mousum vsque perducere,sua impensa iubet. Traditũ à Gallis scriptoribus comperio, imperatorem quibusdam castellis terrę Delphinatus donasse Delphinum,eumq; in Arelatensi regno imperii vicarium instituisse. Arelaten enim regni Burgundorum primariam ciuitatem & caput fuisse,imperioq; paruisse,certum est. Quam,vt Geruasius scribit,aram latam prisci appellabant. Nam in eo loco,prope ciuitatem, qui Rocheta dicebatur,duæ columnæ extructæ erãt,& super eas ara imposita:vbi quotannis ad Calendas Maias frequẽs vndique populus,humanas hostias, pro sua sospitate,mactare consueuerat. Itaq; tres iuuenes publica pecunia emptos,anno toto saginabant,quos constituto die ad ipsam aram immolabant, victimarũ sanguine circunstantẽ populum aspergentes. Quem ritum diuus Trophimus ex. LXXII. Christi discipulis,illò ex Iudæa missus,sustulit: docens non cruore mortalium hominum,sed Christi sanguine illos debere aspergi. Digresso imperatore,quorumdam procerũ litteris Carolus cognoscit, Nauarrũ regem in Iohannẽ Caroli patrẽ atque postea in eum multa occultis dolis & cogitasse & perpetrasse. Cuius proditionis maxime cõscius esset Iaquetus Ruus,Nauarri cubicularius, qui per eos dies missus,in Franciã iter facere cõstituerat. Hic,vbi in Franciã venit: deprehensus in vincula coniectus est,penes quem repertus est codicillus,dolis inscriptis aduersus Carolũ conceptis. Et cũ per id tẽpus,Carolus,Nauarri filius,securitate à rege accepta Siluanectũ,vbi rex Francus agebat,accessisset,cõtenderetq; multis precibus Iaquetũ liberare,patefactis illi,quæ ipse cõmiserat flagitiis,non modo,inquit,tã perditũ hominẽ absoluere nõ possumus,sed instituimus possessiones à patre tuo, quæ in regno meo sunt, recipere, & illis præsidiũ ex meis collocare, qui mihi fide integra obsequãtur. Venerãt cũ Nauarri filio Balduinus Beloferrãdus,in cuius potestate cõplures Nauarri arces,atq; oppida perseuerabãt, qui tametsi iureiurãdo fuisset addictus,eas regi dedere,satius tamẽ visum est,illũ sine custodibus non dimittere, donec re perfecta fuisset iuramẽto liberatus. In Normanniã à rege ob id missus Philippus,Burgũdiæ dux,cũ arces frustra repetit,obstinatis ad rebelliõnẽ,qui eas tenebant,militibus,vi atq; armis Philippus,à Bertrando adiutus,recuperat:capto apud Bretoliũ,Petro Nauarro cũ Maria ei⁹ sorore,quos asseruatos, rex honestissime haberi,& cõplura ex locis receptis dirui iussit. Dũ hæc à Philippo in Normãnia gerũtur,Petrus de Tertro,Nauarri scriba,Caroli iussu in Bernaci arci depræhẽditur,cõscius malorũ,quæ Nauarrus in Carolũ cõiurasset. Sumpto igitur de eo deq; Iaqueto duro supplicio,eorũ singula cadauera quadrifariã exsecta,ante quatuor Parisii primarias portas,furcis appẽsa sunt. Moritur per id tẽpus Gregorius XI. qui apostolicã sedẽ Romã reduxerat,Auinione relicta. Cui,dũ patres cardinales successorẽ deligere cõstituunt,Romani,ne Gallus aliquis iterũ sumeretur,tumultuantes, Bartholomeũ de Aquila(aduersante magna cardinaliũ parte)pontificẽ declarãt. Quamobrem dilapsi Roma Cardinales Fundũ petunt,vbi Clementẽ VII. põtificatui prę ficiunt. Quã rem cũ patres Carolo missis nunciis demõstrassent, Carolus Clementis partes secutus est,amicis sibi principibus scribẽs, vt idẽ facere dignarentur. Sed rex Bohemus atq; Flandrenses,nõ statim acquieuerũt, Bartholomæo fauentes. Et Carolo Romanorũ imperatore defuncto, filius eius Romanorũ rex, vt in demortui patris locum veniret,Bartholomæo adhærebat,à quo imperii diadema recipere sperabat. Per eosdẽ fere dies Iohannes de Monteforti, quẽ Anglos secutũ fuisse memoraui,& eis per superiora bella auxilium,aduersus Frãcum regem, tulisse, ad senatus parlamenti iudicium tertiò vocatus,cum non veniret, ducali dignitate priuatus est, & bona eius publicata. Accitis inde aliquot ex Britonum nobilitate proceribus,

Arelatensis ara.

Dolus à Nauarro rege.

Gregorius XI moritur.

Iohannes de Mõteforti, ducatu Britanniæ priuatur.

proceribus,inter quos primores erant Iohannes Rohanus, Iohannes Lauallus, & Cliſſonus,qui arces oppidaque regionis tenebant. Carolus eos docet, quæ de Iohanne Montisfortenſi,ob eius perfidiam decreta fuiſſent, vellent loca quibus præfecti erant,tollendi belli cauſa,poteſtati eius permittere. Carolo ita ſuadenti, proceres ſe obtemperaturos iurant.At poſtquam dimiſſi à rege in Britanniam rediere Rohanus imprimis Ioannem Montisfortenſem ex Anglia reuocare feſtinat, pręſidia locis Franciæ finitimis inſtituens. Ea re cognita, Andegauus dux, imperante Carolo fratre, copiis contractis eò contendit. Venientes Rohanus vanis legationibus differt,concordiam tantiſper ſimulans,vt re ipſa poſtea compertum eſt,donec Iohannes Montisfortenſis ex Anglia aduentaret.Quo tandem cum manu Anglorum ad Britones appulſo,tametſi multis coitionibus pacem quęrere videretur, nihil tamē effectum eſt.Dum apud Britones Andegauus dux fruſtra tempus terit, Flandrenſes ſuo more iterum à comite diſceſſionem faciunt, occiſoque Gandaui præſide,quem illis comes præfecerat, tripartitis copiis Aldenardum, Ipras, atque Aloſtum eodem ſimul tempore inuadunt. At Philippus, Burgundiæ dux,comitis gener,Tornacum profectus,Aldenardum nuncios ad Flandrenſes mittit:petens, vt ad colloquium die inſtituto venire ad ſe non abnuant. Venientibus inter Tornacum Aldenardumque Burgundus communicat.Tandem cognito,quid illis doleret,Philippus conditiones reconciliationis propoſuit.Quibus ſcripto commendatis,& iuramento roboratis,comes diſceſſionis autoribus veniam dat. Fuit præterea apud Montempeſſulanum cædes, à ciuibus truculenter occiſis LXXX. viris ingenuis,atque nobilibus.Inter quos fuere Guillermus Pontellus eques, Andegauorum ducis cancellarius.Guido Deſſerus,& Arnoldus eiuſdem loci prætor.Cędis cauſa hæc fuiſſe memoratur.Erat in prouincia Narbonenſi (cui linguæ occitanæ nunc nomen eſt)Ludouicus Andegauus, Caroli frater,poſitus à rege gubernator.Cuius nomine,cùm ob bellum,quod in ea regione gerebatur, penſum magiſtratus exigerent, ſeditione facta, ſanguinarii ciues eos trucidarūt, deiectis in altos puteos cadaueribus occiſorum.Tam deteſtabile flagitium nō prætererunt impune.Nam armatis inſtructus dux,ad Montempeſſulanum cum aduenifſet, omnis populus fletu,mœrore,lachrymiſque confectus,vrbe egreſſus & loci conſules,funes ex cannabe collo tanquam morti obnoxii,geſtantes,per vias proſtrati,duci obuiam pergunt,miſerabili clamore ignoſci ſibi flagitantes. Aſſiſtebant duci cardinales Aruerniæ,cum pontificis Clementis oratoribus, qui eò placandi ducis cauſa conuenerant.Poſtridie aduentus ducis in vrbem,ipſe in tabulatum,quod ei in foro editum erat,compluribus præcipua dignitate viris comitatus, conſcendit. Ex quo ab omni plebe conſpectus, cum grauem admodum in ciues ſententiam tuliſſet,ſublato rurſus clamore populus veniam frequenter repetebat,quorum flebilibus votis, cardinalis oratoreſque pōtificis accedentes, animum tandem ducis inflexerunt,ſententiæ ſeueritatem rigoremque moderantes. Habuit igitur locū miſeratio. Nam cum ſexcenti necis iudicium excepiſſent,ſolis cædis auctores,& qui operam ſceleri nauaſſent,regis arbitrio reſeruati ſunt.Cumque omnium incolarū bona fiſco deputata foret:dimidium remiſſum eſt, armis omnibus, quæ apud illos extabant,deditis,penſata inſuper ad plenū impenſa,quam dux ob huiuſmodi cædem ſuſtinuiſſet.Erant etiam tum per linguam Occitanam, ex reliquiis ſuperiorū bellorum,aliquot populatores,qui regionem quotidianis prędis vexabant. Aduerſum hos incolæ à Carolo auxilium petunt, duplicatum vectigal ad belli onera pollicentes.Miſſus cum copiis Gueſcluinus,cum ad nouumcaſtrum, non longe à Belcaro, quod ab hoſte tenebatur, obſidione detinetur, morbo occupatus,octauo poſt die defunctus eſt.Nihilominus tamen qui in præſidio erant,caſtellum ſponte dedidere. Non quieuit per hos dies Richardus Edouardi filius, nouellus Angliæ rex,ſed traiecto ex Anglia Caliſium exercitu: Thomas Edouardi filius octo circiter hominum millibus ſtipatus,Artheſium,Viromādos, Sueſſiones,Cathalaunos, Trecenſes,Senones, Vaſtinium, Bleſiam, perque Bonamuallem incurſantes, abductis aliquot claris equitibus,ad Britones contenderunt: quos Iohannes Montifortenſis,alacriter excepit.Fuit à Flandrenſibus in ſuū comitem belli motus,quem

Flandrenſes à ſuo comite deſciunt.

Cædes apud Montempeſſulanum.

Cædis vindicta.

Gueſcluinus moritur.

Excurſiones ab Anglis.

Carolus V. moritur.

non magno negocio comes repressit, captis Ipris, supplicioque affectis, qui rebellionem excitarant. Sed interim Caroli mors, multorum incommodorum causam Francis importauit. Nam, pace, & bello, cum reipublicæ fuisset accommodatissimus, insequens tempus beniuolentiam, vnanimitatem charitatemque, discordiis & grauissimis inimicitiis, commutauit. Enimuero, prouidus rex, vbi se mala valitudine esse, sensit, liberos quos iuniore ætate duos, Carolum & Ludouicũ, relinquebat: Philippi Burgundiæ ducis, fratris sui iunioris, & Ludouici Borboniensis tutelę commisit. Regni vero gubernacula, Ludouicum fratrem seniorem, Andegauorum ducem, moderari constituit, donec Carolus, cui ex primogenitura regnum debebatur, annum XIIII. ageret. At sapiente rege apud Beautam defuncto (sapientis enim appellationem emeruit) aliud atque aliud decretum est. Mortuus autem apud Vincennas, ad diuum Anthonium Campestrem delatus est. Ibi aliquot dies asseruatus, dum fratres eius tres aduenissent: dum ex æde diui Anthonii funus effertur, scholastici studii Parisiensis, qui spectandi causa frequentes aderant: à seruientibus Hugonis Aubrioti Parisiaci prætoris: quia forte procedente pompam impedirent, propulsi: in prætorem atque in seruientes tumuluati sunt. Quorum aliquot, qui depræhendi potuerunt, in vinculis habiti sunt. Sed paulo post regis filiis restituti. Caroli cor Rothomagi: reliquum corpus apud sanctum Dionysium, anno dominicæ pietatis. M.CCCLXXX. sepelitur.

Scholasticorũ tumultus.

CAP. 3.

Consilium capitur de Carolo sacrando.

DE successore tametsi minime dubitaretur: quia tamẽ maiori natu, Carolo (qui VI. appellatus est) ætas nondum idonea erat, & regno rectores: tutoresque liberis pater instituisset, neque de ipsa institutione inter principes bene cõueniret: acciti ex toto regno proceres, Parisii coierunt, de sacrando nouello rege consilium capturi. Dicebant enim principes cõsultore Petro Dorgemonto: neque sacrari ante annum quartumdecimum regem oportere, neque conducere reipublicæ, vt tantillæ ætatis adolescens, rerum curam susciperet. Ita Carolum patrem arbitratum esse & lege firmasse. Fuere cõtra plerique ætate & doctrina spectatissimi homines, voluentes animo cum pręsentium rerum: tum futurarum calamitatem, si multis rectoribus regnum ageretur: breui & cito finituro susceptæ administrationis tempore: quemque sibi potius, quàm rebus communibus consulere: opes cumulare: amplificare principatus æmulari inuicem, & inde factiones gigni. Raro quidem euenire, vt multi sine contentione rem quampiam simul administrent. Quod si vnius regis nomine atque imperio respublica gubernetur, facile esse, vt ad vnum omnes concordibus animis respiciant. Ea propter operæ precium fore, Carolum, natu priorem, sacratum iri, & omnia suis auspiciis atque nomine geri. Neque obstare patris legem: quam si ad perniciem inclinare coniectasset: ipse tollendam imprimis censuisset. Legibus, dum populo conueniunt, vtendum: dum officiunt, abstinendum. Hæc sententia cùm multorum: tum Iohannis de Mareliis fuit, in quam facile venit Ludouicus Andegauus. Reliqui vero fratres (adnitente Petro Dorgemonto) legem, à patre latam, magnopere tuebantur. Nec parum abfuit, quin ad dissensionem bellumque irritati prope animi spectarent. Nam ex eo tempore, quisque sibi armatos parabat, & hostis Anglus nunc ad Aquitaniam: nũc ad Britones: inde in Normanniam Arthesiumque, & per omnes maris oras, copias suas dimittebat. Dum inter tam repugnantes sententias nihil decerni posset: concio dissoluta est. Sed intercedentibus nonnullis optimis & sapientibus viris: arbitri de principum voluntate delecti sunt, qui examinato diligenter negocio, tantam rem componerent. Arbitris conuenientibus, dictum est, Carolum sacrãdum esse, & regem appellandum: suoque nomine gerenda agendaque omnia esse: fidem illi à proceribus & subditis præstandam: bellum non nisi suis auspiciis parandum. Adolescentulos Carolum & eius fratrem Ludouicum, curæ & prouidentiæ Burgundorum & Borbonii ducum, credendos, qui eos, vt regios liberos decet, educarent ad tempus vsque pubertatis, & docerent. Omnem regium fiscum, in ærario regio, deponendum, supellectilem vero omnem, & quicquid Carolus mortis suæ tempore auri argentique possidebat: assignata regi iusta portione, Ludouico Andegauo committendam,

Milites sine stipendiis omnia populantur.

mittendam, qui interim, dum rex adolesceret, regentis tantum nomine vteretur, & rebus communibus gerendis, vocatus, adesset. His ita, ab arbitris, definitis, principes assenserunt, & lex ipsa in vulgus promulgata. Quietis compositisque regni primoribus, cùm stipendia militibus nulla soluerentur, non secus ac hostis, prædis stuprisque populum milites vexabant. Quamobrem rura vicosque agricolæ deserentes: in oppida arcesque fortunas suas contrahebant. Nec aduersus militum crudelitatem valuit regentis auctoritas: quamquam vocatos ad se, præfectos militum sæpenumero minis terrere tētasset. Hinc plerisque locis tumultuatus populus est, & seditiones exortæ. Parisianos tamen benignitate atque modestia sua, regens sedauit. Non erat his diebus ad militiam (mortuo Bertrando) Conestabilis. Hunc magistratum instituendum, à se, regens dictitabat: contra sentientibus Burgundię Borboniique ducibus, cum quidem regentem nomine tenus esse, sed ad regem omnia referri oportere. Erat tunc Melduni Carolus, vbi armamentum patris erat, & magna supellectilis pars. Enimuero adolescentulus rex, armis delectabatur speciosis, & de re ipsa patri aliquando specimen præbuerat. Nam proferente illi patre coronam, & cassidem, rogatus vtrum mallet, cassidem optauit. Cui non dissimile mox factum suis aulicis exhibuit. Itaque propositis coràm preciosissima patris supellectili, atque diuersorum armorū generibus: arma sibi pluris, quam diuitias esse respondit. Futurorum, vt ipse auguror, incommodorum omen. Nam nulla superiorum regum ætate, propius ad excidium respublica Frācorum propendit: quam huius & filii ipsius temporibus. Dedit & aliud magni animi signum. Erat cardinalis quidam Romanus, Ambianensis appellatus, qui autor fuerat augendi census & tributi. Et seuere aliquādo Carolum, dum adhuc viueret pater, tractauerat. Quam rem tūc recordatus Carolus, ad Sauosium, qui prope astabat: Ecce iam, inquit, Sauosi, de hoc sacerdote liberi erimus. Quo verbo territus Ambianensis, confestim per Duacum Auinionem se recepit, exportato ingenti thesauro quem sibi ex publico contraxerat. Illud siquidem nonnunmquam compertum est, inter Francos plus damni in rem publicam inuehi, dum sacerdotis consilio res agitur, quam cū prudens aliquis, ex seculi nobilitate rebus gerēdis præficitur. Ille enim, nescio qua insatiabili ambitione, omnia sibi vēdicat. Hic populi misertus, & communitatis detrimentum suum esse ratus, reipublicæ bene, vt potest consulit. Ille fastum & pompam ex dignitate metiens, eo audacius diuitias congerit, quo minus vltionē timet ecclesiastica libertate protectus. Hic autē opes suas cum republica cōiunctas esse non ignarus, ex publico incommodo, priuatum quoque auguratur. *Nam qui res suas ex reipublicæ statu considerat, illas sine hac nequaquam stare posse intelligit.* Sed ad Conestabilem redeo. Erant omnino duo apud regem strennui & magni ad bellum nominis proceres. Sancerrus comes: & Clissonus Britonicæ nobilitatis clarus eques. Interrogatus Sancerrus, an Conestabilis magistratum gerere vellet: Respondit, in eo magistratu Guescluinum ita se gessisse: vt nemo post illum memoria dignum quicquam exhibiturus esse facile videretur. Igitur ad Oliuerium Clissonum dignitas (rege tribuente) delata est. Cui mox negocium fuit: contractis copiis regē in Remos, quo sacrę vnctionis causa profecturus erat, præcedere. Hunc rex, multorum ducum procerumq; frequētia stipatus, protenus secutus est. Præerat regio ærario Sauosius, raræ probitatis homo. Hunc abeunte Melduno rege, Andegauus regens compręhēsum, reuelare regium thesaurum, mortem comminatus, cogit. Erant in ęrario auri solidi laminę & aliarum preciosarum rerum ingens copia: quæ pariter æstimata, centies octogesies centena millia aureorū nummûm efficiebant, quæ (supputatione Francorum more facta) decem & octo milliones constituunt. Thesauro recepto, Ludouicus Andegauus Remos petit. Rege consecrato, cum ad conuiuii locum ventū est (id enim in ædibus archiepiscopi apparatum erat) principibus incidit de sessionis ordine atq; prælatione controuersia. Nam, Andegauus ætate grandior, Philippo anteire cōtendebat. Philippus parem & parium decanum se esse: atq; propterea, primā sibi, post regem deberi sedem, argumētabatur. Eā litē, cōsultatione procerū habita, rex diremit: & Philippo recubitum primum: quatenus ad pręsens negociū attinebat: decernit. Qua re offensus,

De Conestabili instituendo, contentio.

Magni animi in rege indicium.

Cardinalis Ambianensis fugit.

Oliuerius Clissonus Conestabilis.

Thesaurum regium Ludouicus Andegauus accepit.

Contentio inter principes de ordine sessionis.

Andegauus, regi proximum nihilominus locum vsurpat. At Philippus nihil cunctatus: medius inter regem Andegauumque insilit: recubuitque. Quo vel facto vel audaci temeritate, audacis cognomē adeptus est. Reuerso ex Remis Parisium Carolo: sancti Pauli comes, in perfidiæ suspitionem incidit: quòd rege inconsulto, Richardi Angliæ regis filiam sibi vxorem desponsasset. Sed prætensis excusationibus, vtcunque purgato, rex veniam comiti dedit. Qui mox in Bureum Riuarium liuorem exercens, eum detulit, ad Anglos litteras dedisse, vt eos in Franciam acciret. Quamobrem à curia Bureus abstinens: Clissono rem patefecit. Qui cùm amicus esset, regem conueniens, Bureum quam maxime potest, excusat: &, quamquā multi aulicorum aduersarētur, gratiam tamen amico impetrauit. Interim milites per agros populū grauare non desinebant, & duces fratres, Ludouicus Philippusque simulate agebant, clam alioquin furentes: & alter alteri detrahentes. Itaq; Ludouico dolebat, regentis tantū nomine, sine vllo dignitatis commodo potiri. Contra autem Philippus querebatur, illum regiam supellectilem thesaurumque vsurpasse, & nullā inde regi portionem impartisse. Hinc timor omnibus erat, ne principum ira, belli flammas excitaret. Ibant propterea inter vtrumque suasores, ad beniuolentiam & charitatem prælati: & qui inter proceres pacati animi erant, in amicitia fratres continere, studiose conabantur: de qua re orationem ad principes habuit Iohannes Maresius doctrina & facundia spectatus. Tandē sopitis odiis, in mutuam fratres charitatem rediere. Conciliatis principibus: humilis quædam ex Parisianis, plebecula nouis furiis acta est, querens se vectigalium magnitudine premi. Itaque præpositum mercatorum aggrediens, ad concionem venire hominem cogit, vbi vnus è plebe audentior, vice multitudinis petit, pensiones & vectigalia tolli. Quod quandoquidem olim postulassent, nec fuissent exauditi, iam adesse tēpus cùm satis illis factum esse oporteat. Cōcitatæ multitudini plerique sobrie obsistere cupientes, rati, si res in crastinum defertetur, cōpesci furorem posse: in posteram diem negocium remittebāt. Quod intelligens quidam veterum calceorum sutor, temere exurgens, *pompa*, inquit, *aulicorum & fastus in humeros populi recidunt: & quæ ab illis per luxum profunduntur, damna nostra & calamitates sunt.* Hanc vilis opificis temeritatem arguere ausus est Iohannes Dormannus, regius cancellarius, obtinuitque in alteram diem pustulata transferri. Non restinxit mora furorem. Enimuero rediit postridie concitatior plebs, & petita, ex regis proximorumque eius sententia, reportauit. Et, vt sedatior domum plebs repeteret: ad illam adhuc frementem concionari Iohannem Maresiū Carolus imperat, atque causas memorare, quamobrem census & vectigalia reipublicæ moderatoribus pendantur. Oportere eos, qui præsunt, multa onera subire. Bella plurima à Carolo patre gesta, & item à filio gerenda esse, quæ sine populari ope, bene procedere non possint. Regios prouentus, & fiscum, Anglorum iniquitate, imminutos esse. Regem publicæ libertatis & pupuli tutorem: populum coadiutorē esse, debere æquo animo ferre, si quid nonnumquam durius per necessitatem imperetur. Nihilominus tamen gratum nunc regi esse, vectigalia tolli. Abeant ipsi domum, quiescant tumultuari. Ad hanc Iohannis orationem, cùm sedata turba esse speraretur, sublato clamore: Volumus, inquiunt, Iudæos vrbe expelli. Quibus respondente Iohanne, de re ipsa ad regem relaturū se, procurrēs confestim quique plebeius, publicanorum ædes aggreditur, atque effractis pixidibus, vbi reposita de vectigalibus pecunia erat, nūmos in vias dispergit, libellosque rationum carpit, & laniat, ministris interfectis. Iudæorum domos aliquot & bona diripit. Quæ tametsi reddi restituique rex iussisset, nequaquā tamen obtemperatum est. Hęc cùm Parisii geruntur, Angli cognito Francorum ex Aquitania discessu, Turonos, Andegauos Cœnomanosque iniectis passim ignibus, incursant, moxque ad Britones (non impediente duce Amico) se recipiunt. Id postquam ad regem perlatum est, Carnotensium episcopum, & Arnoldum Corbium, parlamenteum præsidem, ad ducem iter facere iubet: cum syngraphis præteritorum fœderum, quæ cum regibus Francis & Britonum duce olim icta essent. Hæc (audiente duce) cum oratores recitassent: dux (inuitus ne an volens, incertum est) fœdera ipsa innouauit: & obseruare se iureiurādo adegit. Quamobrem irritati

Liuor. *Miles grassatur.* *Simultas inter fratres.* *Iohannes Maresius.* *Anglorum incursiones.*

Angli

Angli, Nanuetam vrbem circunuallare pergunt. Ciuitati tum pręfectus erat Almaricus Clissonus, qui summa vi & diligentia aduersus hostem restitit. At non satis ciuium perseuerantiæ credens, ad regem, subsidiũ petere, mittit. Nec cunctatur rex Almarico suppetiari. Nam magnis itineribus copiæ in hostiũ conspectũ citius venere, quàm Anglus subolere aduentũ potuerit. Quarũ primum impetũ cum ægre sustinere Anglos, eorum præfectus animaduertit (iam enim signifer, signo amisso, oppetierat mortem) eos increpãs: vah, inquit, milites, quis vestros animos pauor inuasit? Superamus enim numero Frãcos, quare non dubiũ est, si animo non defeceritis, virtute quoque superiores fore. His ductoris verbis animatus Anglus, incredibili pertinacia restitit, tanta sagittarũ multitudine agens, vt æther ipse sagittis, nõ secus ac nubibus, tegi videretur. Itaq; diu fuit pugna anceps, vtrisq; accerrime pugnãtibus. Tandẽ multis sauciis, multisq; occisis & captis, Frãco Anglus cessit: Brestumq; fuga petens, pręsidio imposito, & vulneratis, qui se illic curarent, relictis, in Angliã traiecit. Inter hæc animaduertẽs principes ærarii tenuitatem, & regios census esse exiguos, vocatis ad se ciuium Parisiensiũ primoribus, de vectigali exigendo cõsultant. Cum vero placuisset, ex quaq; veniẽtium rerũ libra solidum vnũ exigi: idq; Parisii Rothomagi pariter & Ambianis promulgari rex imperasset, plebs vniuersa vectigal pendere pernegauit. Accidit per hos dies res cognitu digna. Siluanectum Carolus venandi causa se contulerat. Canum latratibus excitatus in fugam ceruus, æneã torquem collo gerere visus est, quem venabulis aut ferro appeti rex prohibens, in casses & retia compellit. Erat in torque litteris latinis inscriptum. *Hoc me Cæsar donauit*: interpretantibus nonnullis, id de Iulio Cæsare intelligendum. Sed tam longa ceruis ætas tributa non est, vt à Iulio in hoc tẽpus durare ceruus potuisset. Ad alium ergo imperatorem referatur oportet: quãdoquidem à primo illo Cæsare, quamuis imperatorem Cæsarem appellari vsus atque auctoritas obtinuit. Ex eo tempore Carolus ceruũ allatum, auream coronam collo gestantem, pro insigni habuit, & regiis insignibus, quæ liliis aureis tribus constant, hinc atque hinc, duo cerui apponi consueuerunt. Per eos dies, cum de Romano pontifice controuersia agitaretur, accessere ad regem Bohemiæ Castellæque oratores, Vrbani partes, aduersus Clementem VII. quem rex sequebatur, defensuri. Quibus per Andegauorum ducem responsum est, regem non ita affectum Clementi esse, quin veritatem sequi velit. Daturum operam, vt ecclesiæ pax (sedata discordium pontificum contentione) reddatur. Responso accepto oratores abiere. Hæc re vera de Romano pontificatu altercatio, multis incommodis, tum alias nationes, tum gentẽ Gallicam vexauit. Nam cardinales XXX. Clementis causam secuti, exploratores per Franciã constituerãt, qui ecclesiarum opulentiores prouentus inquirerent, quas, rectoribus vacuas, mox sibi à Clemente obtinebant. Tulit quoque Clemens de vacaturis ecclesiis legem, quam *expectatiuam gratiam* appellauit, qua ad adipiscendas morte possessorum ecclesias, fas iusque expectanti per pontificem designato, erat. Solis ex hac lege, cardinalibus, & potentioribus viris, ecclesiæ contingebant. Exigebantur præterea à clero decimæ, & de maioribus ecclesiis, dum pastore orbatæ erant, primi anni prouentus legebantur. Id *annatam* vocant, quam cameræ apostolicæ deberi, Romani contendunt. Neque id sine ducis Andegaui conscientia fieri, rumor erat: exactionis siquidem partẽ capiẽtis. Eas ob res, cum scholastici non pauci scholã relinquerent, studii Parisiensis rector cõcione aduocata, ex consilio doctorũ, Iohannẽ Ronceũ Picardũ deputat, qui de huiusmodi dispẽdiis ad regem, Andegauũq; ducem orationẽ habeat. Habita oratione tanta ira percitus Andegauus est, vt satellitibus, noctu, ad cubiculũ Iohannis Roncei, missis, hominem effractis foribus abductũ, in vincula coniici mãdauerit. Nec aliter, repetente eũ rectore exemptus est, quam vt Clemẽti auditurum se polliceretur. Nisus quoq; dux est rectorem deprehendere, sed re per amicos cognita, rector aufugit. Deprehendẽdi rectoris causam afferebat dux, quòd ab Vrbano exceptas litteras, regi nõ exhibuisset. Accessit & nouus ab Iohanne Biturigum duce contentionis turbo, reputante secum, male agi, quòd Andegauo regendi auctoritas, Philippo Burgundo, Caroloque Borbonio regis tutela obuenerat, sibi vero nihil præter Pictauiam

Pertinax pugna.

Consilium de vectigalibus exigendis.

Ceruus inuentus.

Ambitio cardinalium.

Auaritia pontificis.

Iohannes Ronceus mittitur ad regem, contra exactiones pontificis.

Iohannes Biturigum dux contentionem excitat, pro quo quidam Ludouicum scribunt.

collatum

collatū esset. Petit ergo linguæ Occitanæ atque Aquitaniæ sibi gubernacula committi. Idque adiutore Andegauo fratre impetrat. Sed Fuxi comes, eius prouinciæ ministrator se in magistratu tueri omnino studebat, ita vt iubenti regi prouincia non cederet. Ioannes propterea collecta militum manu, in Tholosates profectus prælium cum comite, suis dissuadentibus, conserit & vincitur. Sed reputans animo comes, his decertationibus, regionem perdi atque populum aggrauari, ad Iohannem mittit, sed magistratu abdicat, Iohanni cedens. Per id tempus, Hugonis Aubrioti, Parisiorū præsidis, falsa religio & iniqui mores in lucem prodiere. Nam Iudæorum sectator cum esset, clerum exosum, & sacrosanctæ eucharistiæ dignitatem contemptui habebat. Scholasticos imprimis aspernabatur, stupri & omnis generis libidinis reus. Ob quorum flagitiorum execrationem, ad publicum spectaculum, loco edito, in atrio diuæ Mariæ positus, post suæ hæresis manifestatam, à concionatore, perfidiam, perpetui carceris damnationem, à Parisiorum antistite excepit. Hic Aubriotus, cum publicæ pecuniæ administrationem diuturnam gessisset, publica opera non parum illustria Parisii extruxit. Bastildam ad diui Anthonii portam, munitissimum propugnaculum: diui Michaelis, supra Sequanam, pontem, & aduersus scholasticorum Parisiorum iniurias, & nocturnos motus paruum castelletū. Quiescebant his diebus Flamingi, à bello paululū respirantes, nisi eorum comes Ludouicus noua illos pecuniæ exactione lacessisset. Enimuero siue egens, siue pecuniæ auidus, à Gandensibus, qui propter oppidi magnitudinē, & populi frequentiā, primi inter Flandrenses habentur, grandem pecuniā arrogantissime petens, cum ea sibi constanter negaretur, loco discedens, & ego, inquit, huic contumaci populo me principem & dominū exhibebo. Erat comiti nothus, Halsus, nomine: homo militaris atque magnanimus. Huic attributis copiis & Anglorum manu, mandat Gandensibus bellum inferre. Qui patri audiēs, mox Gandensem agrum quotidianis incursionibus vexat. Ibant nihilominus Gandenses armis instructi, seque viriliter tuebantur, incommodis multis hostem afficientes. Recordati tamen debitæ suo comiti subiectionis, petunt ab illo se audiri. Admisit eos comes: quorū hæc breuis oratio fuit. Tui, inquiunt, comes sumus. Tu nobis es princeps & comes. Tibi cum ratione parere nos decet, tu nos tueri debes. Si quid in te peccauimus, quod tibi molestum sit, id nobis condonari suppliciter flagitamus. Tantum ne libertatem tollas, quam à maioribus acceptā, Gandensis populus tueri instituit. Cogi se vectigalibus nescit. Si rebus tuis per aliquam necessitatem opus est pecuniarium subsidium, id tibi non coactione, sed sua se sponte daturum liber populus offert. His comitem verbis placasse rati, ab aulicis imprudentibus, & per ætatem rerum imperitis, iniurias acceperūt. Iactantibus in comitis potestate esse, illorum obstinatam rebellionem flectere, calcaribus perinde, ac stimulis asellum, illos agi oportere, & omnimodo iugum imponere. Quo accepto conuitio, Gandenses abiere. Comes vero magnopere studebat illos rerum & commeatus pœnuria affictari, vt egentes potestati eius se crederēt. At Gandenses animo erecti, vim propulsare constituunt. Itaque Philippum Arteuellam, filium eius, quem in gestis Philippi Valesii à Gandensibus occisum diximus, belli ducem sibi præficiunt. Qui contractis vtcunque armatis, oppido egressus, in vicinum agrum ducit. Conspectis procul Gādensibus, comes prælii appetens, suos in Arteuellam progredi iubet. Telis primum & scorpionibus, deinde districtis gladiis pugnatum est. Aduersa comiti fortuna extitit, amissis quinque hominum millibus, atque ita se Brugis recepit. Arteuella ex victoria spem sibi meliorem accipiens, suos hortatur, animis non tabescere. Si in armis perseuerent, facile factu esse: grande parare imperiū. Etiamsi comiti Frāci suppetientur, quorum ne fastus neque lasciuia bello idonea esset, plus illis iactantiæ quam roboris inesse. Talibus suasi verbis, Gandenses regnum insuper sibi affectare audent. Qua spe quoque illecti agricolæ, relictis agris, belli se socios Gandēsibus iungunt. Cura omnis Arteuellæ erat, comiti incommodari. Mos est Brugensi populo quàm vetustissimus, ob dominici sanguinis reuerentiam (cuius partem se Brugenses habere gloriantur) supplicationem quotannis facere, ad quam solennitatem ex vicino agro frequentes coloni conueniunt. Cuius rei non ignarus

Hugonis Aubrioti hæresis.

Sed si peccatū fuit huic, cur facit Papa cū reliquis omnibus?

Flamingorum seditio.

Gandenses.

Halsus.

Comes vincitur.

Mos Brugensium.

ignarus Arteuella, duo ex suis millia docet arma sumere, quæ vsitatis vestibus occultent, & ita quaterni per interualla, vel quini ad celebritatem simulata religione se conferant, vt de die, supplicationi statuo, dum populus rei diuinæ intentum animum habet, mercatum occupent, atque incautum comitem inuadant. Implēt milites Arteuellæ præceptum, & in foro sine vlla suspicione conuenientes, dum comitem procedere vident, arma, inquiūt, ô socii exerite. Clamore sublato, perterritus comes, suos Gandensibus opponit. Sed cadentibus multis, ipse domū, quam velocissime potest, profectus, cū illū Arteuella persequitur, per fenestrā in mulieris vetulæ proximā ædem dilapsus, inde Sclusā se recepit. At comitis fugā Arteuella in Brugenses referēs, eos populatur, cōpluribus trucidatis. Atque inde cum ingenti prǽda Gandauū profectus est. Defectionis causam comes hanc ab initio dedit. Gādauū enim ciuem, autore Iohanne Leono, comes trucidauerat, & parricidā à Gandauēsibus proscriptū, ad se fugientem receperat, postq; aliquot proscriptionis annos, cōtra oppidanorū leges, restitutū, nautarū præfectura donauerat. Est enim huius negociationis & ministerii nautici apud Gandenses multitudo & potestas non mediocris, quǽ in seditione, dum forte insurgit, plurimum valet. Est quoque huius prǽfecturæ officiū, non paruæ apud illos auctoritatis, atque emolumenti. Quamobrem excitata in Iohannē Leonē inuidia, vnus ex nautarū ordine, de Matheorū familia, Gisebertus, assumptis secū sex (quos habebat) fratribus occidere Leonem cogitauit. Sed comitis reuerētia proposito destitit: subinde causas quærens, quomodo à beniuolentia principis Iohannē abduceret. Igitur insinuat se in cubiculariorū comitis familiaritatē. Quā postquā satis sibi firmatā putat, miror, inquit, principem nostrū nondū animaduertisse, grande vectigal, quod ex mercibus, quæ nauigio ad nos inferūtur, pendi sibi quotānis possit. Itaq; si id curare volet, Iohannem Leonē vnū satis esse, cuius opera vectigal à nautis & negociatoribus facile exigatur. Re ad comitē per cubiculariū relata, comes Leonē ad se vocat, deque exigendo vectigali hominē admonet. Qui tametsi id frustra se tentaturū nō ignoraret, cōuenire tamē de re ipsa nautas respōdit. Interim Gisebertus clā fratres hortatur, contraria comitis postulatis sentire, quandoquidē publicæ libertati nequaquā cōgruerent. Ipse vero apud principē, Iohannē insimularet negligentiæ, quia susceptū à comite negociū nō curaret satis. Ex huiusmodi causa odiū principis in Iohannē Leonem excitatum iri, seq; in eius locum suffici posse sperabat. Hac spe erectis Matheorum animis, conuenientibus, ad Iohannis edictū, nautis, postquam de portitorio pendendo consulitur, fratres magnopere restitere, venientibus in eorum sententiam, eiusdē ministerii professoribus. Quod vbi referente Iohanne resciuit comes, iam à Giseberto persuasus, credidit culpam esse Iohannis, quòd petita sibi negarentur. Quare ablatam Iohanni nautarum præfecturam, Giseberto dat: Idque non ægre ferre Iohannes præ se tulit: domi apud Gandauos se continens, donec fortunā tempus commutaret. Nec intercessere plurimi dies cum Brugenses, ad quos nullus nauigabilis fluuius euoluitur, per comitis assensum, fossam grandem ex amne Lisa deriuare ad se incœptant, constituto ad has operas, magno fossorum numero, quos præterea deputati à Brugensibus milites protegerent, conscii quantum id opus damni Gandauo importaret. Nam ea fluuii accessione, sicut Brugensibus magnum incremētum, ita Gandensibus multum detrimenti poterat afferri. Tumultuantur propterea Gandauenses, & rei nouæ occurrere consultant. Accersuntque Iohannem Leonem, qui communi necessitati auxilietur. Qui licet accitū se gauderet, nullum tamen exultationis signum dat. Sed ad consilium intromissus, rogatusque sententiam: Viri, inquit, Gandenses, palam vobis omnibus est, quam rebus vestris iacturā Brugensium hæc vsurpatio allatura sit. Haud tamē paruo negocio illis resistere poteritis, nisi relictā iamdiu alborum capuciorū institutionem restitueritis. Cū enim maioribus nostris repētino, ad res insuetas, præsidio opus esset, designatos habebant ex suis milites, qui capuciolis albis ab aliis discreti, vestris se periculis obiiciebant. Id armatorum genus censeo confestim innouandum, eisq; præfectum instituendū. Vix hæc Iohānes dixerat, cū vox omniū exauditur, cōclamātiū, *restituantur capucia*. Conficiuntur statim publica impensa capucia: distribuūtur quibusuis

Seditio in Flandria.

Nautæ Gandenses.

Fossores Brugenses.

Alba Flamingorũ capucia.

quibusuis parui pẽsi hominibus, quibus nihil magis, quàm vrbana quies, odiosum erat, quorum prefecturam communi omnium decreto Iohannes Leo recepit, cupientissimus infensos maxime efficere Gandenses aduersus comitem. Postquam præfectura donatus est Iohannes, magnam capuciatorum multitudinem in Brugensium fossores ducit. Qui de illorum aduentu nuncio accepto, mox se Brugas receperant. Ad hunc modũ frustratus sua expectatione Iohãnes, capuciatos Gandauum reduxit. Per eos dies quidam ex nautarum collegio à comitis pretore, quẽ Bailliuum vocant, in custodia tenebatur. Quem repetitũ liberare Gandenses non poterant. Igitur arbitrati his tot offensionibus suam libertatem tolli, hortante Iohanne Leone mittitur ad comitem Gisebertus cum aliquot bonæ æstimationis ciuibus, qui captiuum conciuem carcere emitti, & suas leges illibatas seruari à comite impetrent. Hoc pacto Iohannes sperabat Gisebertum ab irato comite aliquid, quod molestum ciuibus esset, relaturũ. Profecti Gandenses, principem apud Mallam inuenerunt. Quos humane acceptos comes remisit, restituto illis nauta captiuo, eorumque consuetis legibus confirmatis. Optare se tantum, dixit, caputiatos tolleret. Reuersi ad suos legati, comitis liberalitatem cum enarrassent, tum de tollendis capuciis animum comitis explicarũt. Quo verbo offensus populus cum sileret: Vos, inquit, Iohannes Leo conciues, compertum habetis, quam commode capuciatos restituistis, à quibus nunc vestra libertas in tuto est. Alioquin absq; illis omnia periclitabantur. Nunc si eos, vt princeps suadet, abrogabitis, de vestra quiete & honestissimis legibus actum esse iudico. Agite ergo, & quod à maioribus accepistis, seruatote. Ad hanc Iohannis orationem, cum quique diuersi abiissent, aliis illum laudantibus, aliis in neutrã partem loquentibus: Iohannes vicarios quos singulis capuciatorum turmis præfecerat, cohortatur, suos moneant interdiu noctuque ad repentinos casus paratos esse, & ad se protenus conuenire, si quid seditionis aut tumultus excitari norint. Satius fore obtruncare in sese insultãtes, quam ab illis occidi. Nec incassum id sibi presagire Iohãnes videbatur. Nam, comitis Balliuus Rogerus Dauteruius paucis pòst diebus, cum ducentis equitibus, explicato principis (vt in bello solet) vexillo, Gãdauum ingressus, in medio rerum venalium

Balliuus comitis occiditur.

foro constitit, ad quem mox Gisebertus cum suis fratribus, & iis qui eum frequenter sequebantur, ad Balliuum concursat. Qui à principe iussi, in Iohannis ædes irrumpere, eumque trucidare coniurauerant. At Iohannes casuum humanorum prouidus, conuenientibus ad se capuciatis, ad forum, nullo tumultu facto, progreditur. Quo conspecto, Gisebertus cum fratribus sensim dilabitur, & Balliuum deseruit. Caputiati vero, quasi spectaturi, quid Balliuus incœptaret, proxime eũ considentes, in terrã cõfestim deturbatum necant, frustratim dilaniato comitis, quod præ se ferebat, vexillo. Nec ex stipatoribus quispiam fuit, qui procũbenti auxiliũ ferret. Solus enim balliuus occubuit, à suis per ignauiã turpiter desertus. Liberati hostibus caputiati, ædes Giseberti cęterorumq; suæ factionis ædes inuadũt & spoliãt. Eam balliui inopinatã fortunã Giseberto referente, postquã comes accepit, ira perculsus iurat, de necis autoribus vltionẽ se nouo exẽplo sumpturũ. Cuius rei nõ improuidi Gãdenses, duodecim ex suis, nõ obscuros ciues, ad principẽ legant: mitigaturos principis, quoad possent, indignationẽ, pollicituros satisfactionẽ delictorũ. Venientes ad comitẽ legati ægre admissi sunt, sed intercessione quorundã aulicorum, cum benignior factus esse comes speraretur, nouus à Gandensibus furor excitatur. Nam Iohannes Leo timens re apud principem composita detrimentum sibi succedere, augere hoc modo comitis furorem pergit. Primoribus suæ factionis suadet, vtile esse, coactos quos haberet reipublicæ defensores, oppido educere & recognoscere, quibus viribus aduersus futurum forte hostem resistere possent. Itaque egreditur ad portam, quæ Brugensis appellatur, cum capuciatorum & aliorum facinorosorum hominum turba millium decem. Quos cum Iohannes perlustrasset, laudatis omnibus: Est, inquit, hinc non procul principis nostri palatium, quod recenter miro opere extruxit, procedamus ædes videre. Munitissimus enim, sicuti ego accepi, locus est, ita vt insurgente bello nobis incommodare possit. Postquam incondita plebs Andreghemum accessit (ea enim est loci appellatio)

Palatiũ comitis incenditur.

latio) ædes spoliat, immisso multis ædium partibus igni. Inde autem cum abirent, conuersus ad palatium Iohannes, vt flagrantem locum vidit, quasi id sibi doleret, percontatur vnde hoc incendium erupisset, quanquam nullam loci, inquit, curam habere oportet, qui in excidium nostrum ædificatus instructusq; erat. Hac ædium direptione comes nihil magis ægre tulit, quippe qui eas ad voluptatem & delitias accuratissime excoleret. Quamobrem vocatos ad se Gandauensium oratores, atroci vultu & aspera oratione allocutus. Ite, inquit, seditiosa gens, prope est, vt pœnas vniuersi detis offensionum in me vestrarum. Cum non concederetur à legatis excusatio, trepidi Gandauum petiuere. Ex huiusmodi causis atrox & longum bellum conflatum est. Iohannes autem Leo, Brugas, quas suarum partium effecerat, linquens, Ardenburgi moritur, veneno (vt quidam tradunt) impetitus. Fuit quidem huius Flandrensis belli varia & anceps fortuna, quam sigillatim explicare longioris esset negocii. Vnum, quod maxime inhumanum dici potest, operæprecium erit, ad flagicii detestationem, scripto commendasse. Deficientibus à comite Iprensibus, cum aduersus eos copias ducere comes instituisset, Gandauenses de ea expeditione certiores facti, nouem hominum millibus collectis Curtracum prodeuntes, Iprensibus significant, se ad eos defendendos aduenire, propterea mittant ex suis armatos, vt iunctis copiis paribus studiis & virtute comiti resistant. Parent confestim Iprenses, & ductoribus Iohanne Bouleo, & Arnulpho clerico, octo oppidanorum suorum millia ad Gandenses, qui apud Rolerum castra fecerant, proficisci iubent. Hac profectione ad comitem relata, insidias duobus locis, quà Iprenses iter facturos verisimile erat, ponit. Incedentibus vero Iprensibus obtulit se biceps via, vna Rolerum, altera Tourotum ducebat. Quare consistere illic agmen militum ductores imperant, dubii vtram ingrederentur. Præualuit Iohannis Boulei sententia, & Tourotum versus proficiscuntur, vbi delitescebant comitis insidiæ: in quas dum inopinato incidissent, viso hoste, proditos se à Bouleo esse conclamitant. Nec fuit illis animus se tutandi, nisi quatenus fuga eripere se potuerunt. Alteris igitur Ipras, alteris ad Gandensiũ castra diffugientibus, comitis miles quadringentos supra duo millia in fuga trucidarunt. Reliqui ad Gandauos dilapsi, mox vbi Curtracum militari ordine profecti sunt, Iohannem Bouleum, plebeio furore accusantes, quasi insidiarum & proditionis conscium, in viam publicam protractum, minutatim concidunt: partem ex cadauere quibusq; sibi rapientibus. *Tam belluina natura est, plebs semel furiis incitata, nec furoris vllum habet modum*, præsertim in Flamingorum gente, quæ præter reliquos Gallos, seditiosa semper fuit, quamuis vel grandi ære ob factas iniurias mulctata, vel miserabili cæde, ob rebellionem, afflicta. Sed de his hactenus. Hæc dum in Flandria geruntur, Marescallus Sancerrus Subterranam in Lemouicibus capit, dedentibus oppidum Anglis. Qui, relicto loco, dum per regionem grassantur, Sancerrus eos secutus, quotidianis fere præliis & cædibus afficit. Coiere per id tempus, apud Belinguerium, agri Bolonienſis vicum, oratores Franci, vt cum Anglis de pace tractaretur. Sed nihil inde præter vanam spem relatum. At Britonum dux, meliore in regem animo, fidem repromittit. Seq; cum Britonum comitatu, Carolo subditum, interposito sacramento, profitetur. *Non potest suos ignes celare ambitio.* Andegauus dux regens, alii item principes, & regii plæriq; consultores, qui rebus gerendis præerant, ærarium fiscumq;, sublatis vectigalibus, imminutum iri contemplantes, suæq; auariciæ non satis alimenti superesse, nouum tributi genus instituere contendunt. Habitis aliquot concionibus, nunc blandis interdum suasiunculis, nunc amicorum interuentu adducere non paucos in suam sententiam studebant. Obsistebat tamen populus, nec Petro Dillerio, nec Iohanni Maresio (qui maxime populares erant) aures accommodabat, tametsi dicerent, ex ea pertinacia regem irritatum iri, & hinc periculum grauioris alicuius pœnæ impendere. Itaq; discedens à principibus populus, arma capit, decanos quadragenariosq; & quinquagenarios per ciuitatem ponens. Cathenas, quæ ad compita viarum intra vrbem erant, prætendebat: positis contra nocturnas insidias excubiis: custodibus præterea ad portas ordinatis. Idq; facere incipientibus Parisianis, reliquæ fere regni vrbes subsequuntur. Itaq; ducenti, ex

Auari principes nouum tributi genus cogitant.

Rothomagensium stulticia.

Rothomagensibus, plebei homines hoc exemplum imitati: quendam obesum ciuem, qui ob crassam corpulentiam crassus vocabatur: alioquin renitentem, sibi regem præficiunt: curruque impositum, per vrbem circumferentes: tandem in rerum venalium foro constitutum, de abolendis vectigalibus legem ferre, & eam promulgare compellunt, à cæde non abstinentes. Sæuitum enim est in vectigalium quæstores: & expilatum diui Audoeni cœnobium, propterea, quòd in eo priuilegia quædam reposita esse audierant, quæ libertati ciuitatis non congruerent. Arcem quoque oppugnare adorti: inde à præsidio repulsi sunt aliquot interemptis. Dum hæc Rothomagi geruntur: Ludouicus Andegauus regens, post quartum mensem, cum Parisiacæ plebis seditionem sedatam esse putat: legem de vectigalibus exigendis tulit: & in foro iudiciali apud Castelletum promulgare iubet: institutis ministris, qui legendi vectigalis officium exequerentur.

Cædes propter vectigal apud Parisios.

Ad Calendas Martias, cum eius officii causa quæstor ad mercatum, apud Fallas, aduenisset, obolumque pro nasturcio, à muliercula, (cui Perota Morella nomen erat) exigeret: quæsta & vociferans anus, mercatores aliquot, in quæstorem excitauit: qui hominem multis vulneribus confossum, trucidauerunt. Eius facinoris fama, vbi per ciuitatem vulgata est: protenus vilium artium ministri arma capiunt: perque ciuitatis vias circumcursant: ad cædem perpetrandam animati: quibus cum perditi plerique & nullius æstimationis homines facile accedebant. Et vt inermibus arma non deessent: publicas ciuitatis ædes adoriuntur. Vbi emotis euulsisque postibus, communia arma rapiunt, & ea induuntur. Fuere ex prudentioribus nonnulli: & inter illos Parisianus antistes, qui tot malis insurgentibus, coactas clam fortunas suas ciuitate exportarent: tutiore se loco committentes. Inter arma, quæ furibunda plebs desumpserat, erant plumbei mallei: quibus obuios quosque subsidii pecuniarii exactores, trucidabant: domos eorum fortunis omnibus spoliantes: nec ad ecclesiam profugientibus immunitas præstabatur. Vnum enim, in diui Iacobi hospitalis æde, diuæ Mariæ simulachrum amplexantem, protenus necauerunt. Simile autem ad diuum Germanum de Pratis, quò nonnulli confugerant, cum facere molirentur: defendentibus se incolis; inanes in vrbem reuersi. Castelleti item, & episcopi carcere recluso, captiuos omnes & Hugonem Aubriotum (cuius paulo supra mentionem feci) soluerunt, hunc sibi ducem præficientes. Sed conscius, quid pensi, furiis incitata plebs, haberet: noctu se ex vrbe proripuit: quo insequente luce domi non inuento, sæuius furere omnes cœperunt: constitueruntque Charentonum pontem petere, & prosternere. Sed destiterunt à Iohanne Maresio admoniti: tumque frigescere illis cœpit hesternus furor & mentis insania.

Monstrum. Prodigium.

Per eos dies, non procul à sancto Dionysio, visum est monstrum, biceps, tres oculos, & linguas duas habens. Dedit præterea suum prodigium æther. Nam, ex cardinalis monachi collegio, per summam cœli serenitatem, visus est ignis, supra ciuitatem Parisiorum à porta in portam circunferri. Parisiana seditione ad Carolum perlata, autores supplicio grauissimo plectere constituit.

De pecunia iterũ consulitur.

Sed regis indignationem quidam ex ciuibus, & schola Parisiensi delecti sapientes mitigauerunt. De his tantum pœna sumpta est, qui Castelletum violauerant, subsidio pecuniario abrogato. De quo postea, quia pecunia opus erat, rex conuentum ex primoribus habuit, ratus publica necessitate cognita, neminem non impertiturum rebus miseris opem. At qui conuenerant, nullum à suis mandatum, nisi audiendi atque referendi se habere responderunt. Idcirco rex illis imperat, ad suos cum festinatione reuertantur, moxq; ad eum Pontisaram, quò abiturus erat, exploratam suorum voluntatem perferant. Fuit profecto vna omnium sententia, mortis potius se periculis obiicere, quàm vectigalium tributa & seruilem perpeti seruitutem. Ea responsione habita: rex, cùm Parisiensibus malefactorum veniam dedisset, per legatos egit, vt ipsi ad conferendum subsidium animos inclinarent. Apud sanctum Dionysium cõuenientibus vtrinq; oratoribus, centum millia Francorum: Iohanne Maresio autore, regi concessa sunt. Per hanc publicam Franciæ tempestatem, Ludouicus Andegauus à Clemente VII. regni Neapolitani diademate suscepto, prouinciam armis occupat: atque per Alpes ducens, quas non sine suorum

suorum cæde superauit, in Apuliam profectus est. Et Ludouicus Flandriæ comes, ad priorem Brugis acceptam à Gandauensibus ignominiam, alteram adiecit: impatiens vinci. Nam prælio aduersus Arteuellam Gandauensium ductorem, malo euentu, gesto, decem millibus suorum fusis, per saltus & siluam, ad insulam ægre se recepit: aliis Brugas, aliis, qui ex Francis erant, Aldenardum petentibus. Tam prospera fortuna vsus Arteuella, quadraginta hominum millibus potens: Aldenardum obsidere constituit. Quem irruptione facta, excipientes Franci, cęde multorum eum affecerunt. Sed quia militum numero hostis erat superior, intra oppidum se recipientes Franci, locum magnis munitionibus roborauerunt: fortunam experturi. Arteuella autem, id quod vero simile erat, cogitans, Francorum regem comiti suisq; auxilia missurum: equitem caducei veste indutum, literis ad regem legat. Petebat Arteuella, ne se rex huic bello commisceat: quod libertatis causa, aduersus comitis tyrannidem, à Gandensibus gerebatur. Alioquin ab Anglis accersiturum auxilium. Tabellario nullum responsum datum est. Interim Ludouicus Flandrensis, per generum suum, Burgundiæ ducem: deinde per semet, Carolum conueniens: quid à Flamingis perpessus esset, exponit, oratq; aduersus rebellem populum sibi auxilietur. Id ne rex faceret, etsi vna causa dehortabatur, quod scilicet Ludouicus cum Anglis conuentiones plerasq; clam habuisset: quia tamen comes Francæ ditionis erat: & Flamingi assueta contumacia crebros belli motus excitabant, opem comiti liberalissime pollicetur. Instructis non procul ab Attrebate ingentibus copiis, rex auriflamma à Dionysiano abbate, more maiorum desumpta: illam Petro Dillerio, equiti aureæ militiæ, ferendam dat. Hæc agente rege, Franci, qui Aldenardi erant, vrgente Arteuella, cum crebris oppugnationibus fatigati commeatu quoq; deficerent: ad Philippum, Burgundię ducem, delata suorum conditione orant, sibi subsidium mitti: si deserantur, deditionem hosti se facturos. Nec fuit incurius Philippus petitionis obsessorum. In ea commeatus penuria, res commoda obsessis obtigit. Ducebat rusticus quidam porcorum gregem: quo conspecto, Franci turma facta, inter oppidum hostemq; aliquot equites peditesq; locant: mox ex peditibus pauci ad gregem concedentes, tres ex eo numero porcos cum in oppidum raptos & grunnientes trahunt, reliquus grex (vt est eius pecoris natura) clamantes porcos secutus est. Nec impedire hostis potuit, quin omnes in oppidum consequerentur, resistentibus Francis, qui subsidio pediti astabant. Ad finem Octobris, Carolus ad exercitum, qui in Attrebatibus castra habebat, pergit, eoq; Ludouicus Flandrensium comes profectus, ob Arthesii comitatum: quia eius mater mortem obierat, Carolo fidem repromittit. Inter hæc Arteuella cognito, quàm ingenti exercitu rex adueniret: ad Anglos nuncios mittit: causatus, ante omnia pecuniam sibi à rege Anglo deberi: quam pater eius Iacobus, ad bellum, quod in Philippum Valesium gesserat, mutuo illi tribuisset. Sed id agebat Arteuella magis spe auxilium impetrandi. Nec latuit Carolum, quid Flamingus hostis pararet. Festinat propterea iter facere, & Marquetam (id monasterium est virginum vltra insulam) petit. Præmittuntur ante omnem exercitum mille septingenti sexaginta fossores, cum ligonibus atq; securibus, qui amputatis arbustis, vias æquarent: quibus præpositi erant Iodocus Haluinus & Ramburus. In reliquo agmine, tribus ordinibus, incedebant equitum millia viginti: sagittariorum atq; balistariorum duo millia septingenti, præter peditum ingentem multitudinem. Erant ad Aldenardum itinera duo, vnum per Ariam & sanctum Audomarum: vnde Liza flumen oritur, longum & difficile: Alterum, per Cominarum pontem, quem Flamingi occupabant: dirutis per eum fluminis tractum reliquis pontibus. In hos irrumpere cupientibus aliquot militibus, qui apud insulam stationem habebant: duce Halso, comitis Flandriæ notho, per Menini pontem Harlam inuadunt: vbi occisis incolis, & bonorum direptione facta, cum per finitimos vicos classicum, sicut in communi periculo, in ecclesiis pulsare Halsus audisset, receptui canit. Sed iam magna incolarum vis ad pontem conueniens: pontem per partes effractum, fimo & fragili materia contexerat. Eo properantes Franci, rusticorum turba conspecta, sese colligentes per medium hostem viam aperiunt, & ita

Fuga comitis Flandriæ.

Expeditio in Flandriam.

Bona fortuna obsessorum.

Franci in Flandriam intrãt.

ponti se credentes primi quidem euadunt: qui vero proxime sequebantur, suo & equorum pondere pontem dissoluerunt, in flumen protenus demersi. Nec postremis melius obtigit: fluuio se committentibus. Cum enim eminentioribus ripis alueus Lizæ ferretur: inde euadere infœlix miles non poterat: iactantibus in eos tela rusticis. Halsus tantum cum triginta suorum inter primos se periculo exemit. Igitur per Cominarum pontem (quo exercitum traducere rex constituisset) Clissonum Conestabilem & Sancerrum Marescallum, hostem loco extrudere, mittit. Cognito Francorum aduentu, Flamingi vnam pontis arcem diruunt, in aduersa ripa stationem habentes. Sed insequenti eius diei nocte, non inuento vado, cum pons resistentibus Flamingis non facile restitui posset: Sampus,

Sampus. auratus eques, & aliquot ei amicitia consuetudineq; coniuncti, nauibus ex insula aduectis Lizam paulatim transmisere. Nec ex alueto, quod ripæ proximum erat, prius prodierunt, quàm paulo plus quadringentis vna conuenissent, viri quidem genere non obscuri, & animo constantes. Igitur secus littus fluminis incedentes: hostem dum petunt, Petrus de Bosco Flamingorum præfectus, eos conspicatus, cum aduesperasset, suos continuit: donec crastino crepusculo eos adoriretur, palustri loco impeditos & longa fessos vigilia. Interea dum hæc aguntur, Clissonus anxius valde, quòd temere sui admodum pauci periculo se committerent: vt hostem, qui ponti defensando assidebat, distineret, iubet sagittariis, pontem instaurent. Qui postquam comperit partem militum flumen enauigasse, liberam optionem dat, vt cuiq; commodum foret, pontem transmittendi. Per eam noctem Sampus, & qui cum eo in palude armati & vigiles sine vllo somno hostem expectabant: condixerunt non prius in hostem irrumpere, quàm inuaderentur. Hostis igitur clanculo sub diei crepusculum magno silentio mouens, Francos adoritur. A quibus acerrime exceptus (Petro grauiter vulnerato) cedere loco cœpit, moxq; in oppidum se recipiens, aliquot ædes incendit: vel, vt Francos inde amoueret: vel suos ad se dispersos hoc signo reuocaret. Interim Clissonus liberum factum pontem restituere imperat, traiicitq; reliquum exercitum. Multas ex Cominis opes Francus abstulit, quibus ditatus est maxime. Est enim regionis illius plebs lanificii peritissima, pannos ex eo artificio textos, tum in suos conterraneos atq; indigetes, tum in exteros dispertiens. Quæ omnia in potestatem irruentium militum concessere, postquam tria ex illis millia periissent. Superato ponte, Carolus rex cum reliquis copiis Flandriam ingressus, ad montem Iprensem castra fecit. Quamobrem veriti Iprenses Caroli potestatem: duos ex ordine prædicatorum fratres ad eum mittunt, de pace viam tentaturos. Audiuit benigne Carolus nuncios. Nec morantur Iprenses duodecim ex suis optimos ciues ad regem delegare: qui vrbem, se, suaq; dederent. Deditos Carolus recepit, quadraginta Francorum millibus in stipendium militi mulctatos. Accessere quoq; omnis illius oræ Flandriæ maritimæ populus, qui vinctos ducentes præfectos, quos ab Arteuella acceperant: regi tradiderunt: quo facto regis gratiam demererentur: simulq; sexaginta millia nummûm persoluentes, ne agri viciq; eorum vrerentur, impetrarunt. Præfectis in ponte Iprensi ceruices cæsæ sunt. Ingressus Ipras Carolus, quinto post die, certus factus, Arteuellam relicto Aldenardo cum sexaginta millibus ad se aduentare: Clissonum Conestabilem & Marescallos præire iubet. Ipse, quanquam continuo imbre itinera lutosiora essent, cum secunda & tertia acie subsequitur: atq; inter Rolerum & Rosebecam castra faciens, Flamingos opperiebatur. Ad quem se conuertere cum Brugenses cogitarent, Petrus de Bosco & Petrus Muttus, quos Arteuella Brugis præfectos posuerat, ne id facerent, spe futuræ victoriæ distinuerunt. Tanta siquidem animi elatione, turba illa plebis Flandrensium ferebatur: vt parui admodum haberet Francos. Nam, vt ex suis pagis vicisq; turmatim ad Gandenses confluxerant, ita erant variis insignibus & vestium genere distincti, suiq; ductoris imperio quasi explorata victoria parentes. Cognito ex frumentatoribus, quòd Arteuella tribus hinc tantum milliaribus à Rosebequa castra haberet: Clissonus Matthæusq; Viennensis, & Guillermus Pictauus, castris Caroli edicto progressi, hostium agmen adequitant, & postquam satis exploratum habent, qui illorum

rum modus ordoq; incedendo esset, ad Carolum protenus renunciant, hostium numerum ingentem esse, densos progredi, & gradu moderato, non aliter, quàm si in conspectu hostem intuerentur: sed non ita instructos, quin à peritis armorum vinci fortiter possint. Id postquam Clissonus locutus est, ecce hostium agmen conspicitur, nec Franci pigritantes, quandoquidem in acie parati stabant, Flamingos durissime excipiunt. Priusquam bellum committeretur, tanta coruorum nubes supra vtrunq; exercitum volitauit, vt multis admirationi essent. Tanta quoq; caligo cœlum obscurauit, vt sese vix acies conspicerent. At postquam in hostem suos procedere Carolus iubet, atq; auriflammam signifer explicauit, discussa mox caligine serenitas reddita est. Quæ res vt Francis spem, ita hosti animos extulit, vtrisq; credentibus, propiciari sibi Deum. Commisso prælio, tanta ferocitate Flamingi pugnauerunt, vt loco parumper cedere Francus cogeretur, donec vnus, qui in fronte erat, sublata voce clamans: O Maria virgo, inquit, & vos commilitónes procedite, & præliemini. Quod exemplum imitati complures, mutuis se & clamoribus & exhortationibus, ad fortiter agendum, excitarunt. Itaq; ferocibus & obstinatis animis pugnatum est, & Flandrenses superantur. Ex quibus mortem oppetierunt millia quadraginta, præter eos, quos in fuga apud Rosebequam anno salutis millesimo trecentesimo vno, & octogesimo, quinto Calendas Decembres dominus de Albreto & Conciacus interemere: præterquā eos, qui in siluis & palustribus locis latitantes, à Flandriæ comitis militibus necati sunt. Hac cæde, ad eos, qui apud Aldenardum in obsidione perseuerabant, perlata: nullo ordine fugæ se commiserunt. In quos, Aldenardo egressi Franci, impetu facto incurrunt, obuios quosq; passim obtruncantes. Tam gloriosa diuinitus prope habita victoria, rex accitis exercitus primoribus, gratias Deo soluit. Et Flandrensis comes regi principibusq; gratificatus, se perpetuæ illis gratiæ debitorem esse, professus est. Cui respondens Carolus: Consobrine, inquit, comes, tuis desperatis rebus opitulati sumus. Habes victum prostratumq; rebellem tibi populum. Non me latet, te, dum meus viueret pater, cum inimicis nostris Anglis societatem occultam habuisse. Post hac integra in me fide esto. In te beniuolus esse non desinam. Post hæc Carolus Arteuellam inquiri (viuátne an oppetierit mortem) iubet. Erat inter saucios Flamingus, vnus ex Arteuellæ præfectis, qui illum necatum esse (cum iuxta illum pugnat) affirmaret. Perductusq; in campum, vbi fuerat præliatum: Arteuellæ cadauer ostendit, nullo vulnere perculsum, sed inter cadentem suorum turbam ruina & mole cæsorum oppressum. Ob id ipsum Carolus, cum saucium captiuum curare imperasset, & seruari, Flamingus medicamenta recusans, volo, inquit, vna cum meis commilitonibus mori, & ita per vulnera perfluente sanguine exanimatus est. Hæc victrix pugna, cum non procul a Curtraco commissa fuisset, Carolus Curtracum proficiscitur, vbi cum cognouisset quingenta calcaria aurata seruari, eorum scilicet, qui cum Roberto Arthesiensi olim interierant, oppidi portas sine vlla oppidanorum cæde deiici imperauit. Sed miles Francus, non oblitus superioris ignominiæ, quam illic aliquando accepisset, dirutis portis, compluribusq; occisis, atque spoliatis, Curtracum tandem incendit. Agente adhuc Curtraci rege, Brugenses missis oratoribus, veniam impetrant, viginti & centum Francorū millia pœnæ loco pendentes. Petrus autem de Bosco inde ad Gandauos se recipiens, eos obstinatiores reddit. In Curtraci publicis ædibus litteræ repertæ sunt, Parisiacæ factionis, quas illis de seditione Parisienses dedisse subscriptio annotabat. Id Carolus ægerrime admodum tulit, nec cunctatus, imposito fortioribus locis præsidio, primo vere ad Dionysianum cœnobium, voti & religionis causa profectus, postquam voto satisfecit, animum conuertit, vt Parisiorum contumaciam retunderet. Quod subolens mercatorum prępositus, comitatus aliquot ciuitatis primoribus, ad regem concessit. Offerens liberum in ciuitatem aditum: populum à furia resipuisse, præteritorum ipse obliuiscatur, nec despiciat pœnitentes. Hæc si suo aut populi nomine præpositus dixerit, incertum est. Rex tamen se ingressurum respondit. Aduenienti Carolo præibant acies instructæ tres. Primam Clissonus Sancersusque ducebant: in secunda rex ibat, equo insigni vectus: reliqui omnes, pedites

Pugna apud Rosebequam.

Caroli VI ad Flandriæ comitem verba.

Nota de Curtraco.

incedunt. Quæ ante Dionysianam portã lignea propugnacula erant, effracta sunt, & porta ciuitatis diruta. Pergenti ad hunc modum regi, prępositus, magna ciuium multitudine, stipatus, humilis, pronusq; occurrens, cum loqui cœpisset, rex audire noluit. Sed præteriens, ad diuæ Mariæ templum profectus, supplicatione absoluta, palatium petit. Erant per compita & diuersoria vrbis dispositi, ad custodiam, milites, prohibiti ne populo & ne militi populus iniuriam faceret. Edicti tamen contemptores duo ex plebe fuere. Qui mox compræhensi, à suis fenestris illaqueati, strangulatique pependerunt. Incesserunt eo die per vrbem Biturigum & Burgundiæ duces, magna armatorum manu vallati, & seditionis insigniores auctores tercentum in vincula primum coniectos, paulo post carnifex capite mulctauit. Inter quos fuerunt Guillermus Senonensis, Iohannes Filiolus, & Martinus Doubus. Et paucis interiectis diebus, Nicolaus Flamingus. Supplicio eorum expleto, cathenæ omnes ex compitis euulsæ, in arcem Vicennarum: arma per quasque domos inuenta, partim in Luparam deportata sunt. Scabini præpositusque mercatorum magistratibus amoti & ciuitatis regimen prætori Parisiensi attributum. Vectigalia, & pecuniarium, ex rerum venalium precio, subsidium, decretum atque exactum. Iohannes Maresius, homo populo gratus, delatus, quòd inter seditiosos furenti plebi fauisset, adnitentibus maxime Biturige & Burgundo principibus, indicta causa damnatus: & cum eo duodecim capite puniti. Inter hæc ad gradus palatinos, vbi Philippi Pulchri simulacrum visitur, extructo throno Carolus patruelibus & aulicorum nobilitate circunsessus, Petrum Dorgemontem cancellarium affari, qui conuenerat, populum iubet, qui à Carolo quinto ad præsentia tempora orbem deducens, præteritas seditiones & populi flagitia, regis prętereagesta, & ex Flamingis habitas victorias prolixa oratione memorauit. Non mirari eos oportere, si de tot scelerum autoribus supplicium sumere rex statuisset: qui in reliquos pœnam commeritam irrogare iure optimo poterat. Hæc postquam locutus est cancellarius, ad Carolum conuersus: Hæc ne sunt, inquit, serenissime rex, quæ mihi dicenda commiseras? Assentiente rege, patrueles eius ad genua Caroli procliues, populo indulgeri orant. Nobilitate quoque atque fortunis insignes fœminæ, passis crinibus lachrymantes, procumbente humi populo, regis miserationem expectabant. Mouit regem omnium miserabilis clamor, & mortis supplicium pecuniaria mulcta commutauit. Nam dimidiam fortunarum omnium partem, reus quique, redimendi sui causa, pendit, quæ militi ad stipendium distributa est. Parisiensium edomita pertinacia, Rothomagenses supererant, qui punirentur. Misso ad eos Iohanne Viennensi, Admiraldo cum Iohanne Pastorello, & Iohanne Mercerio, quasdam ciuitatis portas eruere, & factionis conscios compræhendere, & supplicio affici rex mandat. At quia propediem dominicæ resurrectionis solennitas erat, remisso capitali supplicio, non pauci suis bonis priuati, soluti sunt. Nec ad fiscum mulcta: sed ad quorundam singulare commodum venit. Quamuis enim reipublicæ titulo principes agant, ministrorum tamen lucrum est, quod exigitur. Itaque bona huius exactæ pecuniæ pars ad Biturigum & Burgundorum duces peruenit. Cum hæc in Francia geruntur, Angli de inferendo Francis bello Londoniis consultant. Clerus vero nõ ignarus, Richardum, suum regem, quietis atque ocii patientem esse, bellum dissuadebat, & imprimis Cantuariensis archipræsul: quem alterius factionis sectatores necauerunt. Porro Vrbanus VI. decimam regi Richardo concesserat, vt in Franciam copias traiceret, ad opprimendum eos, qui Clementem competitorem eius tuebantur. Eius decimæ atque expeditionis coactor, & princeps, fuit Henricus Dispensarius, Norduicus antistes, vehementis animi iuuenis. Cui attributi sunt quingenti equites & quingenti supra mille pedites, præter magnum sacerdotum concursum, qui Vrbano assentiebantur. Qui Calisium, tempestate primò impediti, nacta mox serenitate transfretarunt, atque inde in Flandriam migrauerunt, excepti aliquot locis liberaliter, & commeatu adiuti. Quorum aduentus cum regem lateret, Carnutum religionis gratia proficiscens, templo diuæ Mariæ visitato, Aurelianum, vbi seditionem populus mouerat, spargit. Supplicio de flagitiosis sumpto,

Præpositura mercatorũ apud Parisios suppressa.

Mulctatur populus Parisiensis.

Angli de bello consultant.

pto, protenus Parisium reuertitur. Ibique primum, de Anglis, nuncio accepto, copias contrahit. Quod audientes Gandaui, quosdam ex suis primoribus, ad Carolum mittunt, sed eos ad suum conspectum Carolus non admisit, non nescius, quid societatis cum Anglis iniuissent. Coacto exercitu, in quo trecenta equorum millia fuisse Frossardus tradit (Venerat enim ad regem ex Germania Federicus, dux Bauarus, & alii auxiliares multi) cum de sufficienda annona, atque inuehendo ad exercitum commeatu, præfecti militum consulunt: Colinus Boulardus Parisianus ciuis, quadrimestrem commeatum (si precium sibi soluatur) ministrare se pollicetur. Constituta illi mercede, Carolus ex sancti Dionysii æde auriflamma recepta, eaque Guidoni de Trimoula assignata, mouet. Iter agenti nunciatur, Anglos, ex Gandensium sententia, Ipras circunsedisse. Sed illi aduenientem Carolum formidantes, obsidione soluta, suburbia cremant: atque inde Casletum ducentes, oppidū circunuallant. Sed Clissono cum Britonum duce illos persequente, incensis castris Burburgum & Grauelingam versus abierunt. Et Robinus Canollus, arrogans, & iactabundus Anglorum ductor, tametsi quotidiano fere sermone parui se facere Francorum potentiam diceret, Dunas, quò se receperat, procedentibus in eum Francis reliquit, Grauelingam petens. Quam item à Carolo circunseptam dimisit, per portam, quæ nondum armatis cincta erat, dilapsus. Deserti Anglis oppidani, cum se acerrime defenderent: expugnati tamen, partim occubuere, partim in seruitutem acti, donec magna se pecunia redimerent. Grauelinga relicta, quia Burburgum Anglus occupauerat, eò se Franci contulerunt. Prius tamen, quam vllum obsidionis aut oppugnationis signum darent, Clissonus Anglorum præfectos in colloquium venire petit, vt illos aliqua forte ratione adducere posset, Angliam repetere. Sed Clissoni verbis elatior factus hostis, timoris hæc indicia esse ratus, statim, eruptione facta, Francos adoritur. Edito demum acri prælio, in oppidum repulsus, conclusus obsidione est. Ad primam oppugnationem, in qua Philippus Arthesiensis, Augi comes, egregiam operam nauauit, in muros cum regio vexillo conscendens, Angli Britonum ducem affari postulant. Accedentem ducem orant, Burburgo abire illis incolumibus liceat. In eo spem suam reposuisse, quòd memoria teneret, Anglorū ope se Britannia potiri. Prædecessores eius, Anglis regibus obsequentes fuisse, eorumque amicitiam semper coluisse. Ad hæc dux respondit, regem se conuenturum. Adiens igitur Carolum Brito, quę ab hoste accepisset, ei patefecit. Addiditq; belli fortunam ancipitem esse, Dei nutu, non hominum virtute victoriam dari. Si oppugnare illos pergat, cum ipsi plurimi intra oppidum pugnent, occisuros facile aliquot ex proceribus Francis, quorum mors non satis compensari possit. Hyemem præterea instare, quæ illis locis horridior soleat esse, atq; asperior. Ergo operæpretium fore, si discedat hostis, oppido, in regis potestate, relicto. Huic ducis sententiæ quanquam multi aduersarentur, & imprimis Petrus Dillerius, præcipua strennuitate auratus eques, asserens, facile expugnari Anglos posse, si continenter oppugnentur. Non audiendum ducem, qui suo more Anglis non inimicaretur, eósq; armorum & belli socios quondam habuisset. Vicit ducis sententia. Datusque est hosti liber egressus. Qui Burburgo, militari ornatu, exiens: regi gratias, ob receptam libertatem, egit. Dum hæc aguntur, Franciscus Acremenus Gandauus, Aldenardum noctu, scalis in muros oppidi erectis, capit: & exturbatis inde oppidanis, Gandenses loco imponit. Oppido Burburgo recepto: vnus ex Francis, sacrorum contemptor, templi foribus effractis, dum diui Iohannis argenteum simulachrum rapere contendit, simulachrum, auersa facie, dorsum illi versat. Nec mora sacrilegus fit mentis inops, atque in semet insaniens, in proprios artus desæuit. Cæteri milites hoc euentu exterriti, templo abstinuerunt. His rebus Burburgi confectis, postquam rex Parisium remeasset, auditis plurimorum querelis, qui in Britonum ducem, ob dimissos Anglos obloquebantur, rem dissimulat. Quem perpaucis post diebus secutus Brito, quandam à bello vacationem, ab Anglis concessam, regi renunciat: atque ita nihil cunctatus, in Britanniam se proripit. Spe autem pacis cum Anglis accepta, Carolus Biturigum ducem Calisium legat. Quò Lenca-

Copiæ regis Caroli.

Burburgum. Grauelinga.

Ad Burburgum Angli obsidentur.

Hoc est pro Magistris nostris.

castriæ dux Anglus conuenturus erat. Multorum dierum hinc atque inde habita coitio, nihil, præter interituras inducias, importauit. Per id tempus, Flandrensis comes, Ludouicus moritur, cuius sepulchrum visitur, in templo diui Petri Insulani. Et in Aquitania hominum perditorum, qui nouis rebus animum intendebant, non parua manus, Sancerrum Marescallum, propter inducias quietum, & nihil ab hoste timentem, inuadit. Sed sua cautione (vt prouidus erat) profectus, grassatoribus restitit. Nec propterea destiterunt prædatores, arces, vtcunq; poterant, furto atq; insidiis occupare: admonentibus Anglis, quorum in Francos nulla erat sincera, vel fœderis, vel induciarum fides. Eadem quoq; tempestate, Aruerni, adiunctis sibi Lemouicensibus, atq; Pictauis grauissimã seditionem excitarunt, ducem sibi quendam Petrum Bruerium instituentes, atq; ita per nequissimam licentiam grassantes, nobilem quemq; clerum, item & alicuius pensi hominem, sibi obuium, sine miseratione obtruncabant. Nam, depræhensi forte per viam, Scoti equitis capiti ignitum cassidem imponunt. Sacerdoti amputatis digitis, capitis verticem deglubunt, deinde cremant. Religiosum hospitalis ordinis, per alas proceræ arbori appensum, sagittis telisque confossum necant. Nec modus illis erat vllus sæuiendi. Pluris inter illos habebatur, qui duriora flagitia committeret. Huius tam detestandæ inhumanitatis nuncio accepto, Biturigum dux, qui Auinionem, salutandi pontificis causa, petebat: delecto nobilium exercitu in seditiosos mouet, quos non difficili prælio, multis occisis, multisque laqueo strangulatis, superauit. Inter hæc Ludouicus Andegauus, qui Appuliæ regnum, à Gregorio XII. vocatus, & deinceps ab Alexandro V. rex Neapoleos, contra Ladislaum, Vngariæ regem, declaratus, vendicabat: rerum omnium egenus, Petrum Craonum ad vxorem in Franciam mittit: pecuniam, quam illi discedens, crediderat, accepturus, & ad eum mox perlaturus. Sed perfidus in dominum Craonus, pecuniã accepta, segniter agens, lasciuiæ suæ prius, quàm domino obsecutus est. Nam, dum per Venetos iter facit, Ludouicus, expeditionis suæ in Italiam, sero pœnitens: animo æger, & fortunarum omnium inops moritur. Hunc exitum habuit, temerariæ & longinquæ militiæ, belli incautus ductor: quo defuncto, quisq;, qui eum secutus fuerat, miles, bacillo contentus, vili sordidoq; habitu domum vix reuisit. Eius cladis causa fuit Iohannes XXIII. Alexandri successor. Nam, copiarum suarum præfecti, Ludouico exitium parauerunt. Iohannes vero, in Constantiana synodo agens, papatu priuatus est, & in castello Haldeberga in custodia habitus, sub tutela Ludouici, Bauari ducis, vbi annos tres asseruatus est. Compertum enim synodus habuit, illum plurima, aduersus ecclesiæ fidem, dogmata diuulgasse. Sub id tempus Biturigum dux, & Lencastriæ princeps, Calisium conueniunt. Causa conuentionis, spes pacis fuit: quæ irrita habita est, quanquam plurimas, optimæ pacis, leges Biturix Anglo proponeret. Manifestata Anglorum, aduersus Francos, inimicitia: quãdoquidẽ Carolo conducebat, amicitias comparare, Niuernensis comes, Hannoniæ comitis filiã, vxorẽm duxit: iureiurando pollicente patre, partiũ Caroli fore. Cameraci nuptiæ factæ sunt. Vbi Carolus equestre certamen (quod hastiludiũ Franci dicunt) exercitationis gratia, cũ Collardo de spineo, non sine laude habuit. Nondum per eos dies Nauarri regis, inuidens Francis, animus quieuerat, Biturigum Burgundumq; ducem, veneno tollere, cogitans. Itaq; confectum lethiferum puluerem, cuidam Anglo Iohanni dat, quem, pecunia, à Nauarro, accepta: ducibus conferat. Anglus, receptum facinus dum exequi parat, popinam ducum crebro ingressus, à cocis depræhenditur: quem scelus confessum lictor capite plectit. Inter hæc complures ex Franca nobilitate, quibus dolebat, Anglos tam frequentibus bellis Franciam impetere, de expeditione in Angliam ducenda, assidue colloquebantur. Qua re à Carolo animaduersa, cùm florenti ætate animoq; excelso esset, de ipsa expeditione consilium capit. Inuenit, facile factu esse, Angliam vinci: Dacos olim, & preterea Saxones illã occupasse. Ea conditione gentem esse, quę intra suos fines bellũ diu ferre non possit. Vno, aut ad summũ, secundo prelio vel vinci vel vincere solitã, nec vnius hominis principatũ longo tempore perpeti: suos reges, aut necandi aut pellendi consuetudinem fecisse. His rationibus persuasus Carolus,

Ludouici Flandrensis mors.

A rusticis violentia per Aruerniam.

De Neapoli.

Iohannes XXIII.

Nauarri nequitia.

Vanus belli in Angliam apparatus.

rolus, bellum Anglis indicit. Nauibus vndiq; contractis, ingentem classem armat. Tam grandibus cœptis, cum pecunia quæritur, tributum rex inauditum, vixq; ferendum exegit. Quamobrem permulti, Francia relicta, nouas sedes quæsiuere. Classe, viris, armis, commeatuq;, affatim instructa, maximus ille naualis apparatus, non secus, ac in arente stipula crepitans atq; æstuans ignis, euanuit. Nec dubia fama erat, principum culpa id accidisse, qui exactam, ad expeditionem, pecuniam inter se corripuerant.

Principum iniquitas.

Improba siquidem auri cupido, publica vtilitate neglecta, sui tantum curam habet. Vnus tantum Iohannes Viennensis, Amiraldus, nauibus sexaginta instructis, Scotos petere ausus est, vt inde bellum Anglis inferret.

Iohannes Viennensis in Angliam ducit.

Visus est rex Scotus, Iohannis aduentum moleste tulisse, &, quoad per eum fieri potuit, transitus in Angliam tardatus est. Interim tamen, dum delectum militum facit, Francos commeatu iuuat. Nam inter Anglum Scotumq; graues tum belli causæ erant. Paratis copiis, Scotus Iohanni tria armatorum millia ex suis attribuit. Ingressi, cum Scotorum manu, Angliam Franci, omnia hostiliter incursant, & depopulantur, nullo illis occurrente Anglo. Atque ita ad Droartum arcem peruenientes, eam oppugnare cùm Amiraldus decreuisset, Scoti, id ne faceret, dehortabantur, persuasum sibi habentes, illam inexpugnabilem esse. At Iohannes, loci naturam atque munitiones diligenter contemplatus, vnam partem animaduertit, qua arx expugnari posset. Igitur dato oppugnandi signo, Franci (spectantibus quasi per otium Scotis) in arcem irrumpunt. Cœperunt præterea alias munitiones, donec rex Anglus arma in illos desumpsit, tanto quidem numero, vt Iohannes, paucitate militum inferior, cum intelligeret Scotos remisso animo esse, in Scotiam copias reduxerit. Vbi fœminæ cuiusdam, regiæ nobilitatis, amoribus captus, ammonitus tandem ab ea, Scotia discedere, quod suspectum eum rex haberet: conscensa clam naui, in Franciam se contulit. *Perrarum est, Francos, aliena in gente, gloriam comparasse, quam arrogantia vel libido non obscurauerit.* Ex classe, quæ ad expeditionem, aduersus Anglos frustra comparata erat, quota pars, in Sclusæ portu, stationem habebat. Quam incendere per Franciscum Attremen, humilis conditionis hominem, Gandenses instituerunt. Quod vbi à Sclusæ præfecto, certis indiciis, animaduersum est: dum autores perquirit, Dammum aufugerunt. Duodecim tamen deprehensi, capite puniti sunt. Apud Dammum erat aliquod Anglorum præsidium. Fugientes Carolus persecutus, Dammum circuncingit, præter eam partem, quà palus est. Circunsidenti Franco, oppidani conuitia dicunt, quasi, ad eos superandos, imbelles essent. Sed postquam se oppugnari circunspiciunt, mox de deditione consultant. Atq; interim Angli aliquot, per paludem, salutem petere visi sunt. Eapropter, ad paludis exitum, miles positus, qui hostem transitu prohiberet. Mox ad muros machinis admotis, & muri parte deiecta, Franci locum expugnant. In ea opes permultæ precio sæque inuentæ. Franciscus vero, qui vrendarum nauium negocium in se receperat, Gandauum se recepit. At rex, ad nauium præsidium, turrim munitissimam, apud Sclusam, extruxit. Tum enim à regibus Francis Sclusa tenebatur.

Sclusa arx Francorum fuit.

Sed eam Philippo Burgundionum duci, cùm Carolus postea dedisset, illam Flamingi comites ab illo tempore hactenus possederunt: non sine Francorum damno. Nam, cùm edito mediocriter iugo arx munitissima sit, in mare longissimum prospectum habens, pelagi illius, & terræ Flandriæ imperium, quasi sibi arrogasse, facile credi potest. Scio Frossardum scripsisse, Sclusam, priusquam arce muniretur, fuisse Guillermi de Namurco, qui Philippi Burgundi cognatus erat, eamq; à Guillermo comparasse, data illi Bethunia, cum agro adiacenti. Moxq; in colle, qui Sclusæ eminet, arcem exædificasse. Est pene insula Zelandia, quam Rhenus in mare influens efficit.

Zelandia.

A cuius incolis Angli Gandensesq; plærunq; iuuabantur. Eos rex adoriri iubet. Capti occisiq; ex illis multi fuere. Captiuis aliquot cum mortem Carolus remitteret, mori maluerunt: quorum vnus, qui tametsi sanguinis gradu alios contingeret, eos tamen supplicio afficere, si saluus euaderet, se obtulit. Itaq; immanis carnifex, concaptiuos consanguineosq; necauit. Detestatus autem rex hominis impietatem, pari eũ pœna plecti iubet.

Notabile.

Per id tempus, sedente apud Auinionem, Innocentio VII.

qui raram, nisi ex Franciæ regno, obedientiam erat consecutus: cardinales xxx. ordinauerat, quibus grandis sumptus opus esset: diui Nichasii Remensis abbate in Franciam misso, dimidiatam omnium ecclesiarum partem exigere conabatur.

Pontificis Romani exactio.

Cui cœpto scholastici Academiæ Parisiensis restiterunt: missis ad Carolum oratoribus, qui pontificis edictum, haud æquum esse, persuaderent. Audita scholasticorum querela, rex exportare regno pecuniam vetat: & ecclesiarum prouentus in tres partes distribui iubet. Vnam in ecclesiarum instaurationem. Alteram dissoluendis earum obligationibus & debitis: Tertiam quotidianis ministrorum vsibus assignauit. Simulque de his rebus Arnoldum Corbium ad pontificem legat. Pontifex autem edicti pœnitens, ab exactione destitit. Postquam ex Flandria Carolus Parisium remeasset: Brugenses, & qui Ipras incolunt, intercessore Iohanne Dello, aurato equite, autores fuere pacis, quæ à Carolo Gandensibus Tornaci data est; Philippo Burgundorum duce, qui in comitatu Flandriæ successerat, assistente.

Isabella Caroli VII. mater.
Armeniæ rex.

Per id tempus, rex Isabellam, Bauari ducis filiam, Ambianis vxorem accepit. Venerat paucis supra diebus ex Armenia in Franciam, Turcos deuitans, Leo Armeniæ rex: qui sollicitissime curabat, Francorum Anglorumque controuersiam componere, vt duorum potentissimorum regum conciliatione parta: ipsi in Turcos expeditionem ducere non recusarent. Eam ob rem, Caroli assensu, in Angliam profectus, ita egit: vt de mittendis, ex huiusmodi causa, oratoribus conueniret. Itaque Calisium Angli, Boloniam Franci se contulerunt. In ea legatione, diebus quinquaginta frustra consumptis, cum Anglus, præter honestæ pacis leges, nulla non sibi arrogaret: discessum est. Contrahit ob eam rem Carolus numerosam classem: seque ad Anglicanam expeditionem instruit: pecunia à clero mutuo accepta: à populo vero, sine modo exacta. Erat Carolo soror Catharina, quam Biturigum ducis filio despondet: cognationis legem pontifice laxante. Paratis apud Sclusam ad expeditionem nongentis nauibus: cunctanti Attrebati Carolo: præfecti classis significant, tempus nauigationi accommodum esse.

Andegauens. ducis ignauia.

Qui ducis Biturigum moram causatus, tandem ducem, qui Parisii deliciis operam dabat, accersiri iubet. At ille Carolum literis admonet, vitam in tuto & sine tristi sollicitudine agere, nec in Angliam traiicere festinet. Venit tamen ad Carolum dux, non secus ac ludens: ne in se militum odium conuerteret. At, cùm Sclusam venisset, simulat quidem traiicere in Angliam: sed pigre iocularit erque omnia agens, ortis tandem grauibus procellis, expeditionem dissuasit. Dimissa classe, cum omni belli instrumento, ea omnia in Anglorum potestatem venere. Credidit patrueli nepos, &, quam incredibili impensa classem militemque contraxerat, repente dimittit: nulla publicæ vtilitatis ratione habita. *Plerique enim rerum administrationem pro ludo principes habent, & quanti sua libidines constent, non considerant: quod euenire iis solet, quibus populi marsupia ærarium sunt.* Fuit nimirum huius classis non facile supputanda impensa: Quippe ingentem commeatum cum supra modum haberet: naues quoque ipsæ variis picturis decoratæ erant. Et auro mali ornabantur, ita vt certarent proceres, quis ditiore naui veheretur. Milites vero & numero nauium & tanto apparatu exultantes, atque iactabundi: Angliam iamiam victam desolatamque esse, inter sese gloriabantur. Eisdem diebus regina filium enixa est. Cui patris nomen inditum:

Nauarri regis mors mirabilis.

quem immatura mors abstulit. Fato quoque suo functus est Nauarrus rex, Carolus: euentu admiratione digno. Cum longe senex esset, & calore defectus, lintheo illum insuendum, & aqua, quæ viua dicitur, perfundendum quidam suaserunt. Eam enim aquam, efficacem calefaciendi vim habere, constans opinio est. Hoc suendi ministeriũ dum sutor noctu exequitur: filum (eius abrumpendi causa) ad lucernam admouens: exceptam filo flammã: ad lintheum, priusquam animaduerteret, sutor raptim delabi videt. Nec mora, lintheũ omne subito exuritur, miserabiliter vociferãte Nauarro. Qui die tertio pòst, cõtinuo dolore maceratus, extinctus est: plerisque constanter affirmantibus, diuinam esse iram, quæ perfidum regem, digna suis sceleribus pœna cruciasset. Fuit eodem tempore nauale, aduersus Anglos, bellum: qui, duce Hugone dispensario, nauibus amissis: à Francis superati sunt, Hugone capto. Per eã tempestatẽ, duo, ex familia Petri, Alẽconii ducis, proceres,

ceres, Iaquetus Grisus, & Iohannes Carongius, singulari certamine Parisii dimicarunt. *Duellum pro adulterio.* Dimicandi hæc causa fuit. Erat Iohannes, eques, multa cognoscendi auidus. Ob id incidit illi animus, aliquorsum peregrinandi. Relicta igitur Argentolii, in Persico, vxore: vt constituerat, abiit. Iaquetus autem Grisus, vel quòd mulierem, quæ formosa erat, amabat: vel quòd Iohanni nocuisse aliquando gauderet: diluculo surgens, Argentolium, mira festinatione, contendit: vbi liberaliter exceptus, dicit, videndæ arcis causa aduenisse, quam longe speciosam esse acceperat. Iohannis vxor, amicum viro suo hominem, reserato ostio in arcem sola intromittit. At Grisus, solitudine loci, audacior factus, renitentem fœminam stuprauit: statimque libidine expleta, abeunti Griso, tu, inquit vxor, fœdissime adulter, stupri pœnas aliquando lues. Flagitium autem in aduentum mariti celauit mulier. Cui tandem reuerso, Iaqueti violentiam, mœrens detexit. Qua re turbatus Iohannes, assumptis secum aliquot ex suis & vxoris amicis, ad ducem Alenconium rem omnem defert, petitque aut adulterium corripi, aut in certamen descendere, pugnæ sortem experturus. Id vbi dux non admittit, ad regium Parlamentum querelam retulit. Diem certamini senatus edicit. Carolus rex, ex edito solio duellum spectauit. Venerat quoque Iohannis vxor, curru vecta, ad quam vir accedens: Tu, inquit, mulier, vnica testis ades, illati in te stupri: cuius gratia duellum hoc ipse assumo. Dic palam: si iuste adulterum aggredior. Mi vir, ait vxor, meæ in te fidei securus accede, nihil tibi mentita sum. Ad hæc verba, osculo vxori dato, Carongius in duellum procedit. Qui equestri congressu mox in femore vulneratus, nec propterea segnior factus: in pedes desiliens, adulterum humo prosternit, atque occidit. Quem carnifex ad patibulum tractum, sublime illaqueat: Carongium autem mille Francis: & annuo ducentorum Francorum stipendio Carolus donat. Hac sorte interiit fœdus adulter. At Britonum dux, Iohannes de Monteforti, accepto Clissonum Connestabilem, contrahendi nauigii causa, in Britanniam aduenire, *Dux Britonũ fallax.* eum ad prandium inuitatum, remotis epulis, in vincula coniici mandat: neque exemit, donec ea, quæ in Britannia Clissonus loca habebat, eius potestati permiserit: solutis insuper centum Francorum millibus. Oderat enim Clissonum dux, ob id maxime, quòd Iohannem Britannicum, Caroli Blesensis filium, ex Anglia, vbi annos quinq; & triginta patris loco obses extiterat, liberauerat, eiq; filiam desponsarat. Cuius gratia timebat dux Iohannem, Britanniæ ducatum, quem eius pater amiserat, aliquando armis vendicaturum. Inde liberati Clissoni vultum dux intuitus, hæc, inquit, Clissoni dimissio, mihi patriæq; olim damni nonnihil importabit. Postquam ducis in Clissonum dolos perfidiamq; Carolus accepit, ad eum mittit, qui illum in iudicium Aureliam vocent. Die constituto nõ adueniente duce, Clissonus ad regis genua procumbens, contumaciam, inquit, iniquissimi ducis, rex iustissime non ignoras. Tuum est, mihi iniuriam passo, iusticiam accommodes. Ecce ducem ad singulare certamen appello. Et hæc dicens, pignus duelli exhibet. Vbi hæc à Clissono dicta gestaq; dux cognouit, veritus, ne instigante Clissono, Carolus bellum aduersus eum susciperet: per nuncios Carolum orat, ne sibi succenseat: quòd Aureliam vocatus, non affuerit. Fuisse arduis tum negociis occupatum. Iam vero ocium esse, si per regis voluntatem liceat, Blesas aduentare: ibiq; coram regiis legatis purgatum se facere, de iis, quæ regi ab aduersario delata essent. Continuit diu Carolus responsum. Deniq; placuit, patrueles suos, Biturigum & Burgundiæ duces, Blesas mittere. Postquam conuenere: Britonem arguunt eorum, quæ in Clissonum commisisset. Nullam illi gratiam dari posse, nisi ad regem concederet. Non dubitauit Brito, ducum præsentia atque auctoritate fretus, regem adire. Coram positũ Clissonus magnopere accusat, quòd se regio magistratu illustrem, &, reipublicæ causa, in Britannia, ex regis iussu, agentem: per simulatam beniuolentiam, ad epulas inuitatũ, compræhenderit: tam diu in dura custodia habitũ, donec arces, & quæ sua erant, eius potestati dimisisset, qui Anglo hosti amicus & fautor habebatur: iustum esse, aut illum duelli pignus recipere, aut pœnas subire debitas proditori. Ad hunc modum, excandentem ira Clissonũ, duces ad modestiã reduxerunt. Nam in communi regis cõsilio causam agi, &

prudentum sententia eam diffiniri, Clissonus acquieuit. Acta causa est, ab vtraq; parte, magno certamine. Demum dicente ius cancellario, dux arces rupis Arianæ, & Losselini, cum tota ablata inde supellectili, Clissono restituere damnatus est: centum millium Francorum pœna adiecta. Per hanc tempestatem Iohannes Montesonus ordinis diui Dominici: Theologus magni nominis doctor: ad populum de diuæ Mariæ virginis puritate concionatus, eam originali contaminatione, reliquæ humanæ propaginis instar, fuisse infectam disseruit. Quem alter eiusdem ordinis Theologus imitatus, cùm Rothomagi de re ipsa sermonem haberet: Ego, inquit, nisi palam ostendero, Christi matrem paternæ originis labem, dum conciperetur, contraxisse, *Huetus* appellari non recuso. Est enim id apud Francos nomen ridiculum. Eam ob rem diu in consuetudine fuit, vt eius ordinis fratres, *Hueti* à pueris passim vocarentur. Discussa in præsentia pontificis Innocentii VII. veritate, procurante maxime Parisiensi schola: Montesonus Parisium redire, & quæ de virgine temere prædicauerat, retractare compellitur. Erat in Lemouicibus Anglus, *nigrum caput* appellatus: qui ex arce Chaluceto incursiones crebrò faciens, Aruernos vexabat. Hic quadringentis delectis militibus contractis, montem Ferrandum noctu ducit, sciens oppidum nullo præsidio teneri. Ibi per obscurum noctis positis, quàm proxime muros, insidiis, aliquot equites simulare se mercatores docet, & cum oneratis iumentis, sub initio lucis Montēferrandum proficisci. Itaque milites, vt iussi erant, ad pontem, qui ante portam est, progressi, patefieri sibi aditum orant. Ianitores nihil de insidiis conscii, ponte demisso, pseudomercatores, in suam perniciem, admittunt. Nam porta occupata: milites districtis mox gladiis eos necauerunt. Nec mora, qui in insidiis erant, oppidum inuadunt, omnia in mortem atque in prædam conuertentes. Ea re ad Sancerrum Mareschallum, qui tum in Aruernia agebat, perlata: dum, illum copias Montēferrandum mouere, hostis accepit, curribus præda raptim imposita, & captiuis abductis: Chalucetum propere remeauit. Venerat in curiam, eo tempore, anachorita quidam, portans in dextera rubram crucem: vir austeræ & religiosæ conuersationis. Hic regem affari cùm peteret: ab aulicis sæpenumero prohibitus est: verentibus, ne vel dolo regem circunueniret, vel reuera, specie aliqua sanctitatis, regium animum aliorsum traduceret. Perseueranter tamen agens, ad regem introducitur. Cui, se desuper admonitum esse, dicit: vt illum, de vectigalibus tributisq; annuis tollendis, conueniret. Ni faciat: Dei iram in proximo esse: qui renitentem puniret. Sed neque liberos vllos habiturum. Tunc enim temporis regina cum filiam genuisset: ea vita decesserat. His anachoritæ comminationibus rex paululum perterritus, vectigalia demere cogitauit. Sed vtroque patruele, Biturige dico atque Burgundo dehortantibus, cogitatis abstinuit. Scribunt historici Geldriæ ducem, nullis interuenientibus causis, ad bellum regem prouocasse. Idcirco Carolum in ducem mouisse, quem Agrippinensis archipræsul, & Iuliaci dux, à temeritate resipiscentem, regi conciliauerunt. Remis deinde conuentu habito: quandoquidem rex adoleuisset, haberetque ætatis & prudentiæ satis, vt regnum sine alterius tutela administraret: visum est consilii assessoribus, ex reipublicæ commodo fore: si vno principe regnum gubernaretur. Igitur ad Carolum omnia relata sunt: & patruelibus regimen interdictum. Egit tamen illis gratias Carolus, quòd eius negocia bene gessissent, precatusque eos est, fidi in eum postea permanerent. Illi, magnis à nepote rege donati muneribus, Carolo vale dicentes: alter in linguam Occitanam, cuius administrationem gerebat: alter in Burgundiam profectus est. Rex vero Parisios petens, veteres regni institutiones recensere iubet. Recensitas præcipit obseruare. Inter eas institutiones (Carolo ex Flandria, vt supradictum est, reuertente) mercatorum præposito Scabinisq; Parisianis, ciuitatis administratione fuerat interdictum: & prætori vtraque gubernacula assignata. Quem magistratum, cùm Iohannes Foleuillus, homo, sine controuersia, eruditus, & iustus gessisset: non inscius, quantæ sollicitudinis erat, vtriq; officio inseruire: regem adit, curas enarrans, quæ bino magistratui incumberent. Alteri vix se satis esse posse. Orare, vt vno se abdicare possit. Deputatur in eius locum Iohannes Iuuenellus,

De beata Maria conceptione contra prædicatores.

Nota militarem astutiã.

Admonitio de vectigalibus tollendis.

Nota de prætura Parisiensi.

nellus, inter parlameteos aduocatos boni nominis & probitatis vir. Quẽ non prępositum, sed custodem præfecturæ mercatorũ, rex appellare instituit. Quo nomine Parisianus pręses etiam nunc appellatur. Hic Iuuenellus, patre Iuuenello, de vrsinis, natus, ex vrsinorũ nobili in Latio familia, genus duxit. Quẽ Neapolinus Mettensium episcopus, eius frater, in Galliã, quòd strennuus & belli sciens eques esset, illexerat. Qui aduersus Anglos præclara militiæ opera gessit. Deinde, quiescente paulo à bellis Fràcia, arma in Turcos tulit: ibiq; gloriosa morte interiit. Iohãnes autem Iuuenellus, custodia præpositurę accepta, cùm Parisiorũ libertates & priuilegia immunita comperisset, Rothomagenses imprimis in iudiciũ adduxit. Atq; ita redintegrata priore libertate, flumina quoq;, sublatis impedimentis, nauigabilia fecit. Extruxerant enim pleriq; in Materna amne molendina, quæ alueũ angustiorẽ, ad naues deducendas, efficibant. Hęc Iuuenellus deiecit, compensatione possessoribus facta. Dum hæc geruntur, Clemens pontifex, Carolũ per litteras orat, ad se Auinionem venire, vt de Neapolitanis rebus vna cõsulerent. Cui, se id curaturum, Carolus respondit. Huius ad pontificẽ profectionis causa, rex tributa exactionesq; auxit, clerũ sine modo premens. Nam, cum plus iusto liberalissimus ipse profusissimusq; donator natura esset, nullà illi profundendæ pecuniæ ratio inerat, ita, vt qui ratiociniorũ magistratus gerebant, venientibus ad se fisci & publicę pecunię quęstoribus, dum indiscretas largitiones libris annotatas prodũt, hęc margini verba addebant. *Nimis accepit, recuperetur.* Et spes quidẽ populo fuit, leuandæ immoderatę exactionis, per reginæ aduentum, quæ tum coronanda Parisiis erat. *Sed ab ambitiosissimis & præter mensuram largitoribus, tributi remissionem frustrà exspectes.* Non enim tantum non diminutum vectigal est, sed sali maius adiectum. Et patris monetam, nullo illi instituto precio, Carolus sustulit, & nouam magno populi dispendio cudit. Deinde Auinionẽ profectus, Clemẽtẽ reuererẽter adiit. Apud quẽ aliquot dies, cõmunicato cõsilio, cũ Ludouicũ regni Siciliæ diademate põtifex decorasset: Carolus in linguã Occitanã venit. Cui per Tholosates iter facienti, Fuxi comes, apud Mesierã, quę prima est Fuxensiũ ciuitas, fidelitatis sacramẽta præstitit, &, quia sine liberis erat, hæredẽ comes Carolũ inscripsit. Fuerat autẽ comiti filius, quẽ ex Nauarri regis sorore susceperat. Hic, postquã adoleuit, patri detrahere cœpit, propter ea, quòd parce atq; illiberaliter eũ, vt ipse causabatur, haberet. Accedebat ad indignationẽ, quòd eius mater comitis sæuitiã intuẽs, è Nauarria, quò se contulerat, ad virũ redire formidabat. Quare ad auunculũ in Nauarrũ profugiẽs, cõsultore Nauarro, patri venenũ parat: nõ quidẽ, vt auũculus dicebat, lethiferũ, sed, quod patris cibo admixtũ, diffidentẽ mariti animũ vxori recõciliaret. Atq; ita domũ reuersus, dũ pręter morẽ popinã ingreditur, venenatos pulueres cibis inspersurus, vasculũ, vbi virus cõdiderat, illi excidit. Quod receptũ vnus ex comitis ministris medicinæ professoribus exhibet, qui mox id mortiferũ esse iudicãtes, filiũ patri deferũt. Depræhẽsus filius, crimẽ, venenũ, & veneni auctores nõ cælat. Quẽ capite damnatũ, per tortorẽ necare pater iubet. Ex huiusmodi causa, orbus liberis comes, in regem quæcunq; possidebat, testamẽti lege transtulit. Reuerso in Franciam rege, cum de Biturige duce frequentes nunciii ad eum venirent, auaritiæ illum accusantes, eximere ducem à linguæ Occitanæ gubernaculo non tardat, misso Tholosam Petro Caprenso, nobili equite, qui magistratu amotum ducem populo significet. Suasus præterea à Genuensibus Carolus, suppetias aduersus Mauros illis dare pollicetur. Eam expeditionem Borbonii dux libens excepit. Qui præter pedites, contractis mille quingentis equitibus, tanto diligentius profectus est, quanto ad ciuilẽ quandam discordiam Francos principes magis inclinari cognoscebat. Sub duce militauerunt Haricuriæ comes, Admiraldus Viennensis, Conciacus, & alii complures, magni generis homines. Quibus se ex Anglia veniens, comes Darbius coniunxit. Ad Tunicium fuit cõflictus, & dura obsidio: Sed desperata expugnatione, in patentes cãpos Christianus exercitus se cõtulit, vbi Sarracenus miles tẽtoria fixerat. Ibi dũ pugnatur, fugiẽtibus tandẽ Mauris victoria Christianis accessit. At, quia diminutus esset exercitus, & pestilentia laboraret, de repetẽda domo cõsultant. Quod rex Maurus suspicatus, veritus, ne id hostis simularet, vt receptis viribus & redinte

Contra superfluas largitiones regum.

Filii in patrẽ dolus.

Genuenses aduersus Mauros.

gratis copiis, mox acrior insurgeret: duces per internũcios tentat, si pacisci vellet. Conuenit, vt captiuos Maurus restitueret, decẽ ducatorum millibus præfectis copiarũ persolutis. Atq; ita induciæ pactæ sunt, & Borbonius militẽ reduxit. Incidit per idem tẽpus Iohãni, Castellę regi, bellũ aduersus Portugallię regẽ, & ducẽ Lencastriæ. Quamobrẽ Borbonius à Carolo in Castellã cum exercitu mittitur, qui Iohanni suppetias ferat. Qui Borbonius Auinionẽ primũ, vt põtifici gratularetur, deinde, per Narbonẽsem prouinciã, Barchinonẽ profectus est: vbi Iolanta Barrẽsis, Arogonũ regina, cum suo viro rege agebat. Itaq; tam longis itineribus in Castellã venit, vt post bellũ aduenerit. *Francis enim fere mos est, citum auxilium promptumque polliceri, facto tardos esse.* Borboniũ tamen Iohannes lætissime honorificeq; excepit.

Florentini. Florentinis, per id tẽpus, opem, aduersus Galeatiũ Mediolanensiũ ducem, petentibus: seq; Caroli potestati dedẽtibus, respõsum est. Inter regẽ duceq; amicitiã esse, quã (nõ intercedente iusta causa) dissoluere indecorũ extitisset. At si Mediolanẽsis iniurias illis facere pergat, subsidiũ se missurũ Carolus dixit. Expectatiõe sua frustrati Florentini, ad Armigniacũ comitẽ se cõtulerunt, eadẽ, quæ à Carolo, postulãtes. Armigniacus, tametsi postulata primũ recusaret, sibi tamen visum est, vtile rei publicę fore, si militũ, per Franciã palãtium, multitudinem in longinquã prouinciam duceret. Collecta igitur valida manu, Florentinis auxiliari cõstituit. Superatis Alpibus, Alexandriam, Mediolanensis ditionis ciuitatem, obsidet. Vbi, audito comitis aduentu, dux præsidium posuerat: & in insidiis alteram armatorum turmã, non procul ab Alexandria esse imperauit, Iacobo Verme copiarũ præfecto. Circunsedente vrbẽ comite, insidiatores quosdam, ex suis leuis armaturę, lacessitũ obsidentes Alexãdrini mittunt. In quos emissi Armigniaci milites aliquot, dum lõgius eos persequũtur, hostis ex insidiis prodit. Quod vbi animaduertit comes, laborãtibus suis dum succurrit: Alexandrini, eruptione facta, comitem, inter se atq; insidiantes circumuentũ, intercipiunt. Multis occisis, ipse, octo vulneribus acceptis, non multo post clamans, *in manus tuas domine commendo spiritum meum*, animã efflauit. Scribit Frossardus, comitem, sudore inter præliandum æstuantem, in aluetum proximum secessisse: vbi, dũ ex riuo fluentis aquæ largius bibit, voce defecisse, atq; ita ab hoste fuisse captum. De leprosis, per eosdem dies, puteos iterum veneno contaminare cõspirantibus, supplicium sumptum est. Et cum vectigalium aut tributorum

Exactiones per Franciam nullus esset modus, omnia per Franciam in rixa & contentione gerebantur. Et quod inexplebiliter tollebatur, non in communem vsum, sed in priuatorum quorundam auidissimam auariciam veniebat. Quamobrem nulli non animo coniectabant, quæ superuenerunt incommoda. Augebant præterea timorem inauditę, per illos dies cœli tempestates, &, magna ventorum vi agitati, in mari, fluctus: qui in littora pisces euomebant. Auulsæ quoque magnæ crassitudinis, arbores, & per aera, loco translatæ, mentes humanas territabãt. Inter hæc cùm Aurelianensis ducatus ad Carolum, mortuo Philippo peruenisset, anno salutis M CCCXCI. eum Ludouico, fratri suo, assignauit: quamquam ciuibus iureiurando se adegisset, ducatum sibi seruaturum, & regno, perpetua possessione, coniuncturum. Hic Ludouicum, tametsi adolescens esset, erat nihilominus quærendi dominii appetens, ita, vt paruo tempore, Blesiam, Conciacum, & Suessionis comitatum compararit. Obeunte, eodem tempore, mortem, dum manus abluit, Gastone Fuxi comite, quamuis hæredem sibi Carolum testamento instituisset, ad quendam tamen comitis nothum, excelsi animi virum, hæreditas, cum tota supellectili, rege assentiente, venit. Qui fide Carolo præstita, comes appellatus est. Paulo supra hos dies Vantadorum, in Lemouicibus admodum munitissimum castrum, à Biturigum

Vantadorum capitur. duce recipitur. Id enim cum Gaufridus Testanorus longo tempore occupasset, duobus suis nepotibus, Alano & Petro, moriens reliquit. Qui frequenter à Guillermo Boutilierio & Iohanne Bolonanso vexati, simulant se castrum relicturos, si, millia Francorum decem, eis soluerentur. Quod postquam dux, Guillermo referente, cognouit: nummos protenus adnumerat, Guillermũ adhortatus, à fraude caueat. Accepta pecunia, Alano Guillermus significat, se cũ pecunia aduenire. Est in castro turris fortissima, in qua Alanus triginta ex suis armatos locauerat, vt

venientes

venientes Fracos simul cum pecunia interciperet. At Guillermus, doli prouidus, *Dolus dolo superatur.* partem bonam suorum in insidiis, non longe à castro, statuens: cùm aliquot armatis castrum ingressus, portam asseruare iubet, & turrim, quæ clausa erat, sibi reserari petit, alioquin pecuniam se non soluturum. Id postquam Alanus diu recusat, vbi vim sibi afferri timet, claues dat. Patente in turrem aditu, iis, qui intus latebant, si arma ponant, vita salua promittitur. Qua conditione accepta, inermes omnes prodeũt, captiui effecti. Alanus autem & Petrus ad Biturigem primum, deinde ad regem perducti, capite puniuntur. Huiusmodi dolo dolus improbi hostis retusus est. Sed ad Britonum ducem iterum narratio nostra conuertatur: qui per omnia perfidus & contumax, parlamenteo edicto (quod de Clissoni iniuriis, vt supra diximus, latum erat) parere contemnebat. *Dux Britonũ rebellis.* Nec Carolo (quamquam frequenter admonitus) gerebat morem. Vnde incandescens Clissonus, accerrimum duci bellum infert, damnis quàm plurimis Britones afficiens. Ne vero tanta odia latius se proferrent, Carolus, Biturigum ducem, cum aliquot iureconsultis ad Britonem legat: qui hominem inducant, ne monetam auream, vt cœperat, cudat, quod ei nõ licere, secundum regum constitutiones, ipse non ignoraret. Pareret præterea parlamenteo decreto, quatenus ad Clissoni causam attinebat, & ea restitueret, quę vi à Clissono extorsisset. Bello quoque abstineret. His ab oratoribus expositis, proceres, qui consilio aderant, regem iusta petere arbitrati, ducem orant, vt mandatis obtemperet. Ille duratus animo, aurem recta suadentibus auertebat, discedensq; domum: Et ego, inquit, istos oratores in vincula coniiciam. Erat cum eo Petrus Nauarrus, vxoris ducis, frater. Qui ducis temeritatem intelligẽs, sororem illico orat, viri ferociam compescat: dehorteturque legatis iniuriam facere quæ in eius perniciem facile redundet. Benigna mulier, audito fratre, ducem adit, liberos secum ducens. Quorum conspectu, & vxoris prudentia, mansuetior factus, morem, inquit, ô vxor tibi geram. Conuenientibus postera die in ecclesia ducibus, Brito, se ad regem, non multo post, profecturum, respondit. Eo responso contentus Biturix, dimisso duce, in Franciam reuersus est. Brito autem magno apparatu, paucis interiectis diebus (vt promiserat) ad regem venit. Multis, per eum ad excusandum, prolatis: rex decernit, ea omnia expleri à duce oportere, quæ parlamẽtei iudices diffinissent. Id ita se facturos Brito Clissonusque promittentes, à rege dimissi sunt. Natus est, sub his diebus, regi filius Carolus, quem VII. ætas nostra appellauit. Et Richardus, Anglus rex, pacem simulans, Lencastriæ ducem, Parisiũ ad Carolum mittit. Auditus est in conuentu regio Anglus, qui pecuniam Richardo dissolui, quæ pro Iohannis regis redemptione restabat, Aquitaniam insuper omnem, Aureliano tenus, restitui petebat. Hæc si absoluantur, pacem in promptu esse, quæ perpetuo firma haberetur. His ad insequentem modum responsum est. Reddat rex Anglus Iohannem regem, obsidesque, qui sua culpa in Anglia mortui perierunt. Compenset insuper damna prædasque, à suis post fœdus initum, per Franciam, factas, quo fœdere Richardus militem omnem suum, ad se reuocare promiserat. Pro his detrimentis Carolum petere trigesies centum millia nummûm aureorũ. His si satis Richardus faceret, regem, ducis postulatis, responsurum. Lencastriæ dux, hæc quæ accepisset, suo regi relaturum dixit. Inter Ludouici Aurelianorum ducis, aulicos multum auctoritatis habebat Petrus Craonus, clarus & potens eques. Qui fama, quæ de Ludouico circumferebatur, adductus (magiæ siquidem & sortilegiorum studio ducem teneri, plerique insimulabant) rem suo principi prodit. Ea re indignatus Ludouicus, quòd Craonum id de se indicium facere arbitraretur, eum domo emittit. *Craonii in Clissonum ira.* Ratus itaque Craonus, tam insignem (procurante Clissono) ignominiam accepisse (erat enim inter illos vetus simultas) apertam in Clissonum iram vertit. Nam die festo Christi eucharistiæ, reuertentem à rege Clissonum, Craoni satellites, equo deiiciunt, occidissentque nisi in proximam domum (tribus, per nates, acceptis vulneribus) se proripuisset. Dilapsi fuga satellites, appræhendi, pręter tres, non potuerunt: qui iudicium capitis subiere. Craono dies dictus cum esset, neque compareret, exilio damnatus est, bona eius publicata. Ædes enim, quas non longe à templo diui Iohannis in Grauia habebat speciosas amplasque, diruere rex iubet,

& in fundo sepulturam fieri parochianorum. Ipse vero ad Britonum ducem, qui conscius illi erat, perfugit. Quæ res Carolo indignissima visa est. Accedebat ad indignationẽ, quòd Clissono secundum parlamenti sententiã, dux non satisfecisset. His regis animũ asperantibus, cõsilio cum suis capto, arma Carolus parat, patruelesque suos Biturigum & Burgundionum duces accersit, causam indicans, belli, in Britonem suscepti. Illi repentinum motum admirati, ægre ferunt, quòd ipsis absentibus, tam difficilem expeditionem consulere quis ausus esset. Idque in Clissonum Riueriumque & Nouiantũ imprimis referebant: qui reuera tum imperitabant, deducentes regem, quocumque libuisset. Clissonum ingẽtes opes inuisum ducibus faciebant. Nam, cum ex vulnere accepto mori se iudicaret, testamento cognitum est, decem & septingenta Francorum millia hęredibus relinquere. Mirati ergo duces, vnde hęc sibi, nisi ex præda, Clissonus comparasset. Hanc ob rem regii cõsultores optimis quibusque cum graues & infensi haberentur, Carolum, ad sanctum Germanum de Laia, relicta Parisio, educunt, rati, siluestri loco liberius, quæ vellent, actitare.

Bellum in Britones.

Scholastici Parisienses.

Scholastici nihilominus Parisiaci studii, quorũ priuilegiis crebro detogabatur, misso cum prudẽtibus suæ communitatis rectore, ad sanctum Germanum cum peruenissent, cancellarium orant, dari sibi aditum, ad regem: mandata illis esse, quæ necessario patefaciant regiæ maiestati. Hęc cùm sępenumero frustra postulassent, tandem cãcellarius respondit: arduis pro republica negociis regẽ distineri. Cæterum, de eorum priuilegiis, non necesse esse, anxiam gerere sollicitudinem, quandoquidem regi curæ erat studii libertas & quies. Atque ita nihil præter summam indignationem reportantes oratores, domum reuerterunt.

Carolus ad Cœnomannos pergit.

Non posthabebat Carolus in Britones expeditionem. Idcirco principio æstatis, Cœnomãnos petere copias iubet. Cuius cognito aduentu, simulator beniuolentię Brito mox ad eum oratores legat, mirari se dicens, quòd armis instructus, ad se veniret, nihil rebellionis in eo esse: ciuitates, castra, arces, gentemque Britonum mandatis parituram, illum regem, se subditum esse. Erat tum Carolo mens, non admodum sana, ita vt male cohęrentibus verbis, febricula vexatus, interdum loqueretur. Nullo igitur dato Britonis nunciis responso, confestim in liberum campum, paucis comitantibus egressus, dum per siluam, quæ Cœnomanniæ proxima est, procedit: obuiũ habet pannosum hominem, mendico similem. Qui Carolum intuitus, quò, inquit, ô rex progrederis? Caue vltra pergas, proditus es: & in potestatem hostis te tradituri sunt domestici tui. Ad hanc vilissimi hominis vocem, Carolus cogitabũdus, & tristi similis, mussitare cœpit. Regem sequebantur adolescentes duo, ferentes, lanceã alter: cassidem alter. Qui lanceam gestabat, dormitans forte, lanceam in cassidem subsequentis procidere permisit. Quo tinnitu, perterritus rex, furia mox actus, nõ secus ac in hostem incidisset, districto gladio obuios quosque percutiẽs, quatuor interemit. Confestim igitur compræhensus, ad diuersorium producitur: vbi, mortuo non impar, diu decubuit, iudicantibus medicis, eum interiisse. Votis tamen & piis cleri plebisq; supplicationibus, deo religiosissime exhibitis, paululũ respirauit, & Parisiũ reuersus est.

Carolus insanit.

Nota initium futuræ dissensionis.

Atq; ita cũ nõ satis bona valitudine esset, patrueles eius duces, Biturix & Burgũdus rerũ administrationẽ sibi vẽdicarũt, persequẽtes Nouiantũ, qui regis ærarii custodiã lõgo tẽpore habuisset. Ingrediẽs enim Burgũdus regis palatiũ, Nouiantũ offendit, eũq; nomine appellãs: Opus, inquit, mihi est pecunia. Tu centũ millia Francorũ mihi ex regis opibus exprome. Nouiãtus respõdit, se pecuniæ dominũ nõ esse, sed si ita regi collibuisset, libẽter deprompturũ. Ergo, inquit Burgũdus, morẽ mihi gerere negas? Tuę illiberalitatis te propediẽ pœnitebit. Hinc sumpta occasione, Nouiãtus atq; Riuerius, post aliquot dierũ carcerẽ, regia domo, & cõmunione abstinere iussi sunt: Clissonus Conestabilitatu amotus comite Philippo Duensi in eius locũ suffecto. Per eos dies male habẽti regi aliquid semper ludi iocorũq; (tristitiæ leuãdæ causa) excogitabatur. In ædibus, quæ Blãchę reginę in suburbio diui Marcelli erãt, huiusmodi ludi nõ sine quorũdã exitio facti sunt. Aliquot nõ vltimæ nobilitatis aulici (inter quos ipse Carolus fuit) villosas sibi ex tenuissimo lino vestes cõficiũt, quas ad nudã cutẽ pice sibi agglutinãtes, & quò fulgẽtiores essẽt, pinguitudinis aliq̃d cõmiscẽtes, siluestriũ hominũ speciẽ nõ inepte repræsentabant.

Nihil

Nihil enim de omni corpore præter faciem illis apparebat, quippe qui vndique pendente, instar villorum, lino tecti erant. Igitur ad hunc modum personati, cœnaculum facibus (quia nox erat) accensis ingressi, cùm choreas agunt, flamma (casune an cuiuspiam dolo, incertum est) in personatorum vestes incidens, omnes momento cruciauit. Inter nobiles fœminas, quæ ludos spectabant, vna aderat, quę amplissima, qua induta erat, chlamide regem complexa, incendium restinxit: reliquis vel adustis, vel in puteos, vel in fluentum se præcipitantibus. Nec compertum est, cuius culpa tantum flagitium acciderit. In solas reginæ ædes vltio processit, quæ solotenus æquatæ sunt. Eodem tempore, regi Siciliæ, Neapolitanum regnum repetenti, Clemens pontifex Romanus decimam in clerum impertiuit. A cuius exactoribus, quamquam Parisiensis schola prouocasset, se tamẽ à tributo eximere nõ potuit. De copiis vero militum, quæ sese in turmas (quas societates vocabant) rapina viuentes, constitutum est, vt Bousiicaudus Marescallus partem in Aquitaniam abduceret, pars comiti sancti Pauli attribuerentur, ad bellum, quod apud Lucemburgum, aduersus Bohemorum regem, gesturus erat: qui cum obæratus comiti esset, debitũ dissoluere recusabat. Interea conuentus principũ Franciæ atq; Angliæ, apud Abbatisuillã habitus, aliquid speratæ pacis attulit, ita, vt eius confirmãdæ gratia, cũ Carolus Abbatisuillã, Anglus vero Calisiũ petiisset Carolũ solita furia corripuit, propterea re infecta discessum est. Recepit in gratiã, per id tẽpus, Clissonũ Biturix dux. At cum inter aulicos variæ factiones essent, pro sua modestia Iuuenellus, mercatorum præpositurae custos, occurrebat, odientibus eum multis, quos, in alteram partem, nouarum rerum spes abducebat, nec ab illorum mente Philippus Burgundus abhorrere putabatur. Itaque ex Burgundia delatores prodiere, qui Iuuenellum multis criminibus accusarunt. De quibus Burgundionum dux inquiri iubet. Inuenti sunt corrupti testes XXX. Iuuenellum vno & pari testimonio accusantes. Inquisitione ad ducem delata, cum Philippus respondisset, supersatis ad hominis damnationem esse, si crimina ab ipsis inquisitoribus, quos, castelleti commissarios, Franci vocant, summatim scriberentur. Inscriptis criminibus, commissarii abeuntes in cauponam vinariam, dum vino indulgent, libellus inquisitorius, ad extremam mensam, negligenter ab illis, dum compotant, relictus, in pauimẽtum cum cecidisset: aduenìens domesticus canis, libellum mandens, in hospitis cubile deportauit. Quem cauponis vxor, cubitum pergens, pede offendit, maritoque ostendit. Ille inscriptione perlecta ad Iuuenellum protenus profert. Cui postridie dictus dies erat, ad Vincennas iudicio se sistẽdi. Admiratus Iuuenellus falsas in eum delationes, innocentiæ suæ securus, ad regem cum quadringentis Parisianis ciuibus pergit. Erat enim integritate optimis quibusque commendatissimus, ita vt regius, parlamenti senatus, aduocatus, causam in eum dicere rogatus, recusauerit: quamquam à Burgundo duce, vt id faceret, deligeretur. Causam egit aduersus innocentem Iohannes Andrognetus Aruernus: magnopere postulans, Iuuenellum in carcerem mitti. Contrà Iuuenellus constanti animo respondens: postquam de sua innocentia nonnulla pro tempore disseruit: non, inquit, equum est, sine inquisitionis libello hominem in vincula rapi. Cui Andrognetus mox intulit, accusationes, testesque præstò esse, atq; inquisitores, qui pone illum astabant, conspiciens libellum petit. Ille se vicissim interrogantes, quis eorum haberet: rubore perfusi: obstupuere vehementer. Rex (cui eo die melior mens erat) confictos in Iuuenellum dolos intelligẽs: *Abi, inquit, Iuuenelle: te satis purgatum habemus.* Missis per illos dies in Britanniam oratoribus: qui ducem Clissonumque ad concordiam inducerent: cum inanes reuertissent, Burgundiæ dux in Britanniam se contulit: controuersiamque omnem ita composuit, vt dux in Frãciam profecturus, Britonum gubernacula Clissono crediderit. In Iudæos rursus animaduersum est, qui Christianam pietatem aspernentes, opprobriis Christianos lacessebãt. Aliquot ex illis per ciuitatis compita, fustigatis, millia scutorum, XVIII. in fiscum retulerunt. Quæ ad pontem (qui paruus appellatur) extruendum impensa sunt. Et cum, à Turcis impetitus Hungarorum rex Henricus, Caroli auxilium petiuit, missus ad eum est, cum magnis copiis, Conestabilis Duensis comes. Qui in Hungariam ducens: cognito,

Decima, pro Neapoli recuperanda.

Iuuenellus mercatorũ præpositus falsò accusatus.

Expeditio in Turcas.

quia Turci, relicto bello, se in Turciam recepissent: in Bohemos impetum facit, qui de religione & fide Christi non recte sapiebant. Habita de Bohemis victoria, prædis ditatum militem in Franciam reduxit. De pace iterum apud Boloniam Franci Anglique conuenientes: inducias quatuor tantum annorum posuere. Interea exercitatum volens reddere militem, omne ludorum genus, præter sagittandi, Carolus prohibet: vt ad induciarum finem, si Anglus negligens pacis esset: miles non emollitus ocio, robustior ad bellum constantiorque haberetur. Sagittariorum siquidem, atque balistariorum, tanta, post paucos menses, exercitatio atque copia fuit: vt principibus viris timori essent, quare hoc exercitii genus non passim, sed per insigniores tantum regni vrbes, permissum est. His diebus, cum Parisii ageret cardinalis Lunensis, à pontifice legatus: hi qui Iuuenellum falsis delationibus offenderant, sacerdotis eorum consilio, ad cardinalem profecti, culpæ remissionem mœsti gementesque efflagitant. Qui pœnitentiam illorum non aspernatus: eos à Iuuenello, quem offenderant, veniam petere iussit. Venere siquidem lintheis, ne agnoscerentur, tecti ad Iuuenelli ædes: à quo humanissime excepti, postquam nominatim singulos designauit, venia donantur. *Schisma.* Fuit scholasticorum Parisiensis academiæ, aduersus cardinalem, de ecclesiastico schismate grauis contentio: ita, vt illi non reuerenter de pontifice verba facere auderet. Execrabilibus demum censuris à cardinale prohibiti, ægre abstinuerunt. Obeunte mortem paulopost Innocentio VII. patres, qui Auinione erant, Petrum Lunam, pontificem ordinarunt, Benedictum, illum appellantes. Ad quem missis à rege, & Parisiensi schola oratoribus, qui de schismate tollendo, illum hortarentur: postquam vacui rediissent, concilio Parisii habito: cùm nulla ad vnionē sanctior pateret via, quam si, vterque de pontificatu contendens, se dignitate abdicaret: duces Biturix & Burgūdus ad Benedictum Auiuionem legantur. Mittuntur quoque à scholasticis Parisiensibus, eadem causa, nuncii. Hi Benedictū conuenientes, memorant, quæ incommoda ex schismate contigissent: &, quæ posthac euentura timebantur, nisi tātum ab ecclesia dissidium tolleretur. Vnicum huic malo remedium afferri posse: si ipse atque aduersarius eius pontificatui cederent. Benedictus ad hæc oratorum verba, cum se rite electum pontificem esse respondisset: nec spem de se faceret pacis, perseuerantibus in proposito oratoribus; ego, inquit, quandoquidē ad vnitatem cessio conducere videtur, cedam, si idem fecerit competitor Angelus Corrarius. Hic enim Venetus erat: & Gregorius XII: à suis sectatoribus vocabatur. In hoc Benedicti ancipiti responso, oratores incerti, identidem consultant, qua ratione hominis pertinaciam euincerent. Sed eorum frequens conuentio, Benedicto suspecta, occasionem dedit, vt Auinione clam relicta, in Cathaloniam propere se conferret. Erat enim ex ea gēte prognatus. Igitur duces Benedicti abscessu irritati, ad regem remearūt. Qui relatione gestorum accepta, ad diuersos Christiani nominis reges, de auferendo ab ecclesia schismate nuncios mittit. Id postquam Benedictus intelligit, placandi regis causa, decimam illi ecclesiasticam, nullo procurante, donauit. Quam, inuito & reclamante clero, rex exigere cunctatus non est. *Isabella septennis regi Anglorum desponsatur.* Per superiores proxime exactos annos, conuenientibus Francis Anglisque oratoribus, cùm fuisset de Isabella, Caroli filia regi Anglorum desponsanda prolocutum: & annorum XXX. confirmatæ essent induciæ: Parisium, ob eam causam, venere ab Anglo rege Rolandus Corbiensis, Anglus Admiraldus, & Monthion Marescallus: Guillotus quoque Stropus, legationis principes. Et Rolando quidem, regis Angli vicario, data est coniunx Isabella VII. annum agens: & cum in Normannia Chereburgū: & in Britannia Brestum hactenus Angli occupassent, vtrunque Carolo reliquere. De prodigiis, eius temporis, hęc relata ex lingua Occitana fuere. Visam stellā esse grandem, quam quinque minores stellæ, hostili more, persequi viderentur: & prętera iuxta astare ære armatum hominem: manu lanceam gestantem: ignemque mittentem, qui stella percussa mox euanuerit. In Aquitania auditas per cœlum voces, & armorum strepitus, velut prędiantium hominum. Quo tempore, Boussicaudus Marescallus, Genuensium administrationem, regis nomine suscepit, Papiamque atque Placentiam, Insubrium vrbes, duodecim equitum millibus instructus

cepit:

cepit:& demum aduersus Turcos Constantinopolim duxit: vbi egregia militiæ opera edidit. Redeuntibus ex infœlici, apud Alexandriam, commissa pugna, sexcentis militibus, qui sub Armigniaco comite militauerant, transmissa Sabaudia, cùm ad Dalphinatus angustias, duce Almerico Fœneraco peruenissent: omnium rerum indigentes: peterentque sibi ab incolis alimenta ministrari: quidam regionis illius proceres: contractis raptim copiis, in illos, non secus, ac in hostes, arma parant. Ea re, ad Almericum perlata: ad Dalphinates missis nunciis, orat: liceat sibi suisque per illorum fines iter facere: distributis, quantum ipsi decernerent, moderatis alimentis. Reiectis nunciis, negant Dalphinates, illis subuenturos. Igitur Almericus conuocatis ad se cõmilitonibus. Ecce, inquit, ô socii omni ope atq; humanitate destituimur. Procurrunt in nos armati Dalphinates: &, si in eorum manus incidimus, non aliter, quam latrones, iugulabunt. Si viri sumus: præstat per vulnera gloriose prçliando occumbere, quàm more reorum strangulari. Insidiemur illis, & intercipiamus incautos. Mouentes Dalphinates, cum nox vltra progredi illos impediret, magnis ignibus incensis: male constitutis excubiis, obdormiunt. Vigil autem Almericus, vbi per exploratores, de Dalphinatiũ statu, cognouit: ordinatis suis, sub diei lucem, in hostem irrupit, & cæde facta, aliquot ex illis nobiliores viuos capit. Inter quos fuere Auraicẽsis princeps, Valentinianus comes, & Viennensis præsul. Victor Almericus, veritus ne ex fuga Dalphinates se reciperent, & viarũ fauces intercluderent: captiuos liberaliter habuit. Impetratisque, dum transiturus esset, alimentis, à principibus, quantum ipsi pro eorum redemptione iudicarent, è cæteris vero singulis, argenti marcham accepit. Est enim marcha apud Gallos, librç pars dimidia. Nondũ per eos dies inter Frãciç & Angliç reges de cõditionibus pacis cõuenerat. Idcirco ad idipsum Carolus Arderã, Anglus Guinas venit. Ad Arderã vero cõuenientibus regibus, pacis fœdus ictũ est. De quo aliud scribere non possum: quandoquidẽ eius tẽporis scriptor, id se nescire cõfessus est. Indicia multa regum beniuolentiæ visa, qualia sunt oscula, dexterarum tactus, mutui amplexus, amicissimæ appellationes. Carolum enim Anglus patrem: Carolus Anglũ generum vocabat, alternis preciosissimis muneribus se donantes. Dum apud Arderam reges consultant: non visi ante id tẽpus imbres: grandoque frequens cum vehementi vento irruentes, quatuor, sine intermissione, horas, principes in tentorio Caroli continuerunt. Altera quoque insequentis diei, nocte, insurgens subito imbrium & venti violentia: Franci regis tentorii centum & quatuor funes, & tigna, quæ tabernaculũ sustentabant: Anglicæ verò mansionis, quia demissiore loco distenta erat: quatuor tantum funes abrupit. Interea Isabella ad Anglum deducitur: & inde ab Anglis insignibus fœminis, quæ ob id ipsum ex Anglia conuenerant, suscepta: Calisium profecta est. Reges vero, cum se conuiuio apud Anglum recreassent, datis atque acceptis inuicem donis, alter Franciam, alter Angliam petit. Paulo supra hos dies, rex Hungarus de Turcis insignem victoriam retulerat: cuius rei memores Turci, renouato bello, expeditionem in Hungariam parant. Quamobrem sibi consulens Hungarus, ad Carolum missis oratoribus, suppetias orat. Missi sunt cum ingentibus copiis Philippus Arthesiensis conestabilis, Iohannes Niuernensis, Philippi Audacis filius: Iohannes Boussicaudus: Iohannes Viennensis: Conciacus, & alii, Francæ nobilitatis, proceres, armorum belliq; non expertes. Transmisso Danubio, ad Hungarum regem Franci Galterum de rupibus, equitem Burgundum, mittuut: petentes quid illos commodius facere liceret, quóve itinere in Turcos ducerent. Hungarus, cui Francorum mores cogniti erant, timens, ne per arrogantiam temere quicquam committerent: Turcorum in bello gerendo, conditiones modumq; Galtero explanat. Nihil festinandum esse. Hungaros, qui proxime Turcos incolerẽt, se assuetos habere, quos primos hosti obiicere oportebat. Hungari regis consilium parui habentes Franci, primas sibi pugnandi partes arrogant. Et lubrici per omnes voluptates, vino ludoq; indulgentes, bonis omnibus horrori habebãtur, ita vt dicere illis incolæ nõ dubitarent, male illis aliquãdo, propter eorum iniquitatẽ, concessurũ. Vbi ingentem Turcorũ multitudinem, nõ longe à castello Richo, in armis esse cognouerũt Franci, ductore Cõciaco, in eos, nihil

Reditus Armigniacorum ab Italia

Fœdus inter reges Franciæ & Angliæ

Expeditio in Hungariam

Insolentes Franci.

Turci.

metuentes incurrunt, ceduntque. Et castellum, adueniente, in adiutorium, Hungaro expugnant. Deinde Nicopolim, munitissimam ciuitatem, obsidet. Vbi cum dies XVIII. consedissent, quotidianis oppugnationibus, obsessos vexantes, nuncium accipiunt, de Turcorum aduentu: qui instructis militariter aciebus, in eos procederent. Igitur, cum Hungaro rege, de genere & modo præliandi, consultant. Atque imprimis gloriæ cupidi Franci, primam sibi aciem (renuente Hungaro) deposcunt, id maxime contendente Conestabili, qui grauiter ferebat, Conciatum, superiore prælio, se prætermisso, victoriam de Turcis habuisse. Itaque in prima se fronte collocant Franci, quam sibi deberi, rex contendebat: ob eas maxime causas, quas supra exposui: tum etiam, quòd Hungarus suorum mores spectatos habebat: audaciores fore, dum Francos post se pugnaturos considerent: neque terga daturos, metuentes à Francis sequentibus cogi. Si contra fiat, & ab iis, qui primam aciem ducerent, male depugnetur, Hungaros statim fugæ se commissuros. *Sano consilio, insani Franci, non acquieuerunt.* Igitur, dum, quid in castris Turcorum fieret, exploratum Hungarus mittit: acies instruuntur: Francis primam sibi arrogantibus. Erant in castris Francorum, ex priore victoria, Turci captiui complures, quibus tametsi (fide à Francis accepta) spes esset sui redimendi: eos tamen illico Franci necant. Constitutis in mutuo conspectu aciebus: signo dato, atrox pugna committitur: præliabantur acerrime Christiani: nec minus ferox Turcus depugnabat. Cōciacus & Iohannes Viennensis, primariam, in ea pugna, laudem meruere. Sed in Francos irrumpens Turcus, cùm nostrorum ordinem turbasset, multitudine militum superior, Christianum exercitum fudit, fugientibus Hungaris, qui in postetiore acie constiterant. Capti sunt ex Francis, & ad Turcorum ducem perducti, CCC. non mediocris conditionis, viri: inter quos Iohannes, comes Niuernensis: Conciacus, Bousficaudus, & Iohannes Viennensis. Ducebatur Conciacus interiore tantum tunica vestitus: & verberibus inter ducendum afficiebatur. Cui sic afflicto nudoque chlamys (diuináne an humana, nescitur, ope) iniecta est, quæ ad tegumentum illi fuit. Coram positis captiuis, Turcorum tyrannus, eos mox occidi, impręsentiarum iubet. Bousficaudo tantum & Iohanni Niuernensi, cum aliis duobus, & viginti proceribus parcitum est. Illi propterea, quòd Turcis in pari fortuna quandoque pepercisset: huic, quòd magus quidam inter Turcos, eum assereret auctorem futurum, maximæ Christianorum cædis. Nam hic Iohannes, Burgundiæ ducatum postea adeptus, mirabiles in Francia dissensiones, & ciuilia bella mortesque excitauit. Post tam male gestum prælium, cum Christianorum cadauera, iubente Turco, anno & mense vno, humi insepulta iacuissent, nec à fera vlla, nec ab auibus contacta sunt, arbitrantibus hostibus, id alimentum feras despuisse: Iohannis & suorum concaptiuorum redemptio, ducentorum millium aureorum nummûm fuit. Philippus verò Conestabilis, in ipsa captiuitate, atque item Conciacus interiit, priusquā de redemptionis precio conuenisset. Eius Philippi cadauer aromatibus conditum in Franciam relatum, in diui Laurentii templo, in oppido Deu, sepultum. Guido Trimolus, Rohodi defunctus est vita, & in eo loco, sepulchro inhumatus. Henricus Barrensis, orta in Venetiis pestilentia, mortuus est. Sub his diebus, ducis Britanniæ filius, Caroli filiam desponsauit: cui millia Francorum trecenta, in dotem promissa sunt. Sed non multo pòst, exactis mensibus, virgo defuncta est. Et Francorum regina, per eos dies, filium peperit Ludouicum: cui in baptismate, Ludouicus Aurelianorum dux, nomen dedit. Nauarro rege, vt supra memoraui, defuncto: filius pacti memor: quod cum Carolo pater inierat, Pampilonensem episcopum ad regem legat, terras repetens, quæ illi ex paterna hęreditate, in Normannia pertinebant. Consultante, de hoc, rege, post diuersas sententias, ea vicit, quæ restituendas Nauarro terras, aut ei alioquin satisfaciendum, dicebat. Itaque in Vastinio Nemorsum datum, & cùm antea comitatus esset, in ducatus dignitatem est sublimatum. Et in Campania, locis separatis, millia librarum decem, Nauarro assignata. Quo tempore Maria, regis soror, religionem, apud Puissiacum profitetur. Venere præterea à Constantinopolitano imperatore ad Carolum legati, aduersus Turcos opem postulantes. Quibus assensum est, orante Ludouico Aureliano-rum

Franci fide fragi

Caduntur à Turcis Franci

Nemorsum in ducatum erigitur.

horum duce,hanc sibi expeditionem committi.Et Baasacus Turcorum princeps, misso militiæ suæ præfecto,Carolum magnis muneribus donat.Venit quoq;(Carolo Remis agente) Boemorum rex,videndi Caroli tantum causa. Quem liberaliter exceptum,& donis cumulatum rex habuit.Benedictus vero,cui Franci in pontificatu fauebant,licet põtificatui cedere, crebris legationibus admoneretur:pertinax tamen contra perstabat. Quare conuentu sacerdotum procerumque Parisii contracto,à Benedicto secedendum esse,decretum est. *neque admittẽdas post hac gratias,ad beneficia adipiscenda:quas Romani expectatiuas dicunt.Ecclesias,quæ rectore carerent,à collatoribus petendas.Electiones confirmandas,etiam exemptarum ecclesiarum salua exemptionis libertate.*

Gratiæ expectatiuæ.

Ea,à Benedicto,discessione cognita,cardinales,qui cum illo Auinione erant,ad Nouamuillam,sex millibus passuum ab Auinione distãtem, se contulerunt:suo pontifice deserto.

Pseudomedici

Carolo,vt est à nobis memoratũ,mentis impoti,duo,ex ordine Augustinensiũ,fratres mederi se posse iactauerũt. Quod quia gratum quàm plurimis erat,ad valitudinarium regem introducti,capiti aliquot incisionibus factis,ex impotente,moribundũ reddiderunt.Idcirco cõpræhensi,cùm se medicinæ prorsus nescios esse,confiterentur:ex prudentum consilio, sacerdotii dignitate exutos,carnifex capite truncauit.Quos ad id scelus excitasse Philippum Burgundum,fama vulgauit:propterea, quòd Ludouicus Aurelianus, Iohannem Barrensem (qui Burgundi studio ducebatur, & magus erat) igne comburi procurasset. Ortis,eodem tempore,in Anglia,propter ducis Lencastriæ necem,seditionibus:Henricus,eius ducis nepos,cum in suspitionem,aduersus Richardum,coniurationis venisset,in Franciam se recepit,& à Carolo,honorifice est habitus. Et per id tempus,auctore Iohanne Cremaldo, Alexandrino patriarcha, decimam clerus persoluit.Superatis præterea alueis,adeo flumina exundauerunt, vt ædes,cum iis, qui eas incolebant,efferrent:perditis diluuio segitibus.

Dissensio inter Anglos.

Laboratum est etiam, grauissima, per omnem Franciam, pestilentia: labente anno salutis MCCCXCIX. Visus quoque est cometes,insolitæ magnitudinis, & vehementer ignitus. Superuenere præterea Anglis suæ calamitates,rebellantibus Wallis. In quos dum Richardus,Anglorum rex,copias ducit,non pauci ex nobilitate in eum conspirant,& Isabellam reginam imprimis in arcem munitissimam abducũt, duobus,ex omni eius Gallica familia,obsequio quotidiano,relictis.Seditione Anglorum cognita,Henricus, quem ad Carolum confugisse diximus,animum intendens: spem cœpit,res nouas moliendi.Clam igitur è Frãcia abiens,ad Anglos fertur. Allexit protenus in suas partes Richardi amicos,datisque ad ciuitates, litteris, quibus regem in multis criminabatur,paucis diebus,magno satellitum numero stipatus incessit,supplicio quosdam proceres afficiens,ita,vt partim metu,partim Richardi odio,populi magna pars Henrico obtemperaret.Vbi res apud Anglos innouari Richardus accepit Walia relicta,à suis quoque relictus est,qui eum in Henrici potestatem prodidere.

Produnt Angli Richardũ regem suum.

Non ob aliam causam magis,quàm quòd cum Francis amicitia contracta, Caroli filiam vxorem duxisset,Chereburgumque & Brestum restituisset,pace,præter populi voluntatẽ,concessa.His rationibus,in publico Anglorum conuentu,diffinitũ est:alio rege opus esse.Henricum magnis laudibus plerique efferebant, & ante omnes Cãtuariensis archipræsul, vt factionis iniquitatẽ, aliqua religione, palliaret, phialã promittit liquoris plenã, quã ad diuũ Thomã Cantuariẽsem,ad sacrãdos reges Anglos,cęlo allatã,asseuerat.Hẽrico,per simulatã religionẽ fauere,& cõciliatũ sibi populũ reddere,sacerdotẽ voluisse,credo.Eã phialã Hẽricus postea nũciis, quos ad eũ Carolus miserat,ostẽdit.

Figmentum sacerdotale.

Nec differt Richardũ tollere. Nã accitis,quos Richardo fidelissimos fuisse,nouerat:per eos Richardũ necat, seq; regẽ fauẽtibus Anglis instituit.Conscius tamẽ,quã indigne Richardi mortẽ Carolus ferret, oratores ad eũ legat,qui de pace,certo loco & tẽpore, cõponenda cõuenirẽt. Boloniã Carolus,Calisiũ Hẽricus suos misit.Qui de pace frustra disceptãtes,paucorũ dierũ inducias edixerũt.Acceptus est,eodẽ tẽpore,à Carolo honorificẽtissime,Cõstantinopoleos imperator: qui visẽdi regis causa,Parisiũ aduenerat.Quẽ apud Luparã diuersatũ,tantũ auctores scribũt,eius aduẽtus causam aliã nõ ponẽtes.Nõ est tamẽ dissimile vero,ea causa venisse,vt in Turcos Gręciæ minitãtes,Frãcos cõmoueret.

De

Oratores ab Henrico Anglo capti.

De Isabella, quæ Richardo nupserat, Carolus pater sollicitus, Gueuillum & Iohannem Blanchetum, ad Henricum mittit, qui eam ad se reducerent. Qui dum reginæ causam diligenter constanterque agunt, Anglus in carcere illos asseruari iubet: vbi Blanchetus, ægritudiue contracta moritur. Gueuillus, post diuturnam valitudinem, cruenti vomitus: sanitatem recuperat. Eo, ex Anglia, reuertente, Henricus Isabellam Calisium vocat: vbi receptam, Franci ad patrem perduxerunt.

Cœli tempestas.

Circiter id temporis, mense Maio, per Bellouacorum agrum, grando frequens, ad anserini oui magnitudinem, tonante cœlo, segetes quatit. Et cęlestis ignis, apud Vincennas, in reginæ puerperæ cubiculo decidens, thori cortinas concremauit. Sequenti mēse Iunio, per dies nundinarum, Dionysiani edicti, par grando tabernas atque officinas mercatorum complures cum bona, publicarū ædium, parte (quas hallas vulgus vocat) diruit, atque proculcat. Carolo non conualescente, duces Ludouicus Aurelianensis, Biturix & Burgundus, de administrandis regni negociis simultates

Simultas inter principes Francos.

exercebant: & Burgundus Ludouico maxime inuidebat. Iram insuper auxit Aurelianus dux, qui amicitia, cum duce Geldrensi, nescientibus principibus, comparata: Geldrensem, quingentis equitibus stipatum in Parisiorum agrum deduxerat. Nec inferiores copias Burgundus contraxit, ita, vt in apertas inimicitias odiū prodire nemo dubitaret. Biturigum tamen dux, tanto occurrens malo temporarium

Cometa.

remedium attulit, reconciliatis, ad tempus, furentibus principibus. Apparuit, per eos dies, à septentrione, ardentissimus cometes: qui timori multis fuit, nō ignorantibus, id prognosticon esse, grauioris, in republica, calamitatis. Enimuero, non multis pòst, Aurelianus dux, publicis gubernaculis à Carolo, qui tum meliusculus erat, præfectus est. Quam dignitatem consecutus, mox ad rapinas se conuertit, quosuis ad soluenda vectigalia & tributum compellens, clero ad eam seruitutem compulso. Re cognita, Remorum archipræsul, ducis auaritiæ occurrit. At contrà Senonensis archiepiscopus, excommunicatione feriebat, Aureliano non parentes. *Tam diuersa erant hominum studia, vt non lege, non charitate, sed concupiscentia sua, & sacerdotes, & proceres in diuersa traherentur.* Fauebat maxime Benedicto Aurelianus, & ab eo factam esse discessionem, moleste ferebat. Quamobrem scholæ Parisiensis odium in se contraxit. Nec diu post, rebus præfuit communibus: cōstituto Bur-

Nota de vniuersitate Parisiensi.

gundionum duce, qui regnū administraret. Recepto magistratu, nouam mox exigendę pecuniæ formam Philippus excogitauit, sed ab antistite Remensi admonitus, destitit. Aurelianus, postquam magistratu amotus est, ad Lucemburgum contendit. Et cùm Lothoringiæ dux, Mettensesque bello decertarent, solicitam nauauit operam, pacem componere, honorem inde muneraque non parua referens.

Vxor ducis Britonum viro mortuo, Henrico Anglo nubit.

Apud Britones defuncto duce, vxor eius, vidua, Henrico Anglo nubit. Quæ dum traiicere in Angliam, cum tribus, quos habebat, liberis parat: Philippus Burgūdus, magnis itineribus in Britanniam pergens, receptos filios, ad regem, perduxit, Iohannem, dico, Richardum, & Arturum. Auinione vero, cum Benedictus palatio non egrederetur, tametsi obsidione liberatus esset, veritus tamen inimicorum insidias, se in arce cōtinebat. Sed cùm id carceris speciem esse reputaret: Roberti Bra-

Carolus IV. nascitur.

quemontis ope, clam inde educitur. Nascitur hoc tempore anni M. CCCCII. ex Isabella regina, Carolus, filiorum regis Caroli, quartus. Cui, patre defuncto, regnum miserandis calamitatibus adactum obuenit. Constituitur item Conestabilis (mortuo Sancerro) Carolus Albritus. Qui adepto magistratu, arces nonnullas, in Lemouicibus, ex Anglorum dominatione eripuit. Renataque est inter Aurelianum Burgundumque, de administrandis rebus, controuersia. Quam, occurrentes viri sapientes, pro tempore, sedauerunt, vt nemini principum seorsum, sed omnibus pariter respublica crederetur: non secus, quàm si, ad paucorum moderationem, monarchia redacta esset. Tria, per id tempus, matrimonia contracta fuisse, inuenio. Carolus, Ludouici Aureliani filius, Isabellam, quæ Richardo Anglo nupta fuerat, vxorem accepit. Iohannes, Caroli regis secundogenitus, Bauari ducis, qui Hanno-

Iohannes Burgundiæ dux.

niæ comes erat, filiæ copulatus est. Margaretam autem, regis filiam, Iohannes Britonum dux, licet ætate minor, in matrimonium duxit. Et Philippus Burgundiæ dux, vltima naturæ persoluit, relicto Iohanne Niuernensi, multorum malorum futuro autore.

autore. Nam, patris loco Burgundus suffectus, postquam fidelitatis iura Carolo præstitit, perditorum hominum consilio ductus, aduersus Aurelianum ducem, inexpiabili odio ferebatur. Erat itaque Aurelianus excelsi animi,& magnarum rerum appetens, &, qui imperium affectaret. Propterea Lucemburgum profectus, aliquot oppida atque arces cœpit, de se opinionem bonam faciens, quasi imperio idoneus esset. Inde autem, quasi gloriæ satis suæ fecerit, digressus, Auinionem ad Benedictum venit, laturus opem pontifici, quem schola Parisiensis, dignitate amouendum, magnopere contendebat. Magni siquidem nominis, atque auctoritatis, per id tempus, schola ipsa habebatur, ita, vt scholasticum offendisse, piaculũ esset. Inter itaque multas simultates, cum res tota Francorum ad ciuilem discordiam inclinaret, nemo non fere studebat, scholæ fauorem atque beniuolentiam sibi comparare, eo melior æstimandus, quo literatorum maiore auctoritate iuuaretur. Erat ergo, per eos dies, Parisianis scholasticis, plurimum nominis atque æstimationis. Enimuero, dum ad diuam Catharinam, quæ scholasticorum appellatur, supplicationem haberent, quidam ex familia Caroli Sauosii, aurati equitis, equo per lutum vectus, vnum ex scholasticis luto inquinauit. Quem protenus ira feruens scholasticus pugno percutit. Ad vociferantem seruum cum reliqua Sauosii familia, armis instructa, procurreret, scholasticos insectans, cùm ad ecclesiæ vestibulum successisset, nescio quis sagittam temere ad maiorem vsque aram, dum ad rem diuinam se sacerdos parat, emittit. Quam scholastici iniuriam vlcisci properantes, ita apud iudices agunt, vt Sauosii ædes, vnde familia prodierat, solo tenus diruerentur, ipse vero exularet. *Ensceleratissimam sub Scholasticorũ laruæ nequitiam.* Inter principum simultates, regina ad Aurelianum ducem magis spectabat. Igitur Meldunum venandi causa (comitante eam duce) pergens, fratri suo Ludouico, Bauariæ duci, & Montacuto mandat, Dalphinum, cui Aquitania commissa erat, vxoremque eius, Burgundi filiam, ad se ducant. Nec caruit suspitione regina, id imperasse, vt filium Dalphinum vna cum vxore, duceque Aureliano in Germaniam traduceret. Ea re ad Iohannem Burgundum perlata, ipse contracta amicorum manu, interdiu noctuque perseueranti itinere, Parisium venit: ratus, Dalphini egressum præpedire. Postquam abiisse comperit, festinans, apud Giuisum, non procul à Corbolio vicum, euntes consequitur. Recusante Bauoro Dalphinum reducere, Burgundus vi facta, Dalphinum recipit, & apud arcem Luparam seruat. Quamobrem Aurelianus, collectis celeriter sex hominum millibus, Vincennas cum regina ingreditur. Iohãne Parisii agente, quem bona populi pars sequebatur, sperãs eius ope vectigalia tolli: res tota prorsus ad prælium inclinabat. Sed interueniente Montacuto, homine modesto & prudente, in gratiam duces redierunt. Et, ne eorum animi, renouato liuore, exulcerarentur, Aurelianus in Aquitaniam, aduersus Anglos: Burgundus ad Calisium expeditionem duxit. Extruxerat ad oppugnandum Calisium Iohannes, auctore Moncoquero, equite Aruerno, miræ magnitudinis, fabricam ligneam: quæ suppositis rotis, facile quoquouersum promoueri posset. Magna enim spe ducebatur oppidi capiendi. Aurelianus autem cum Burgum in Aquitania circumuallasset, audito, quòd à Burdegala auxilia obsessis venirent, obsidionem soluit. Nec multis post diebus, Carolus vtrunque ad se vocat: fati, sicut est mortale hominum genus, improuidus. *Mors Aureliani ducis.* Nam redeuntem noctu domum Aurelianum ducem, qui puerperæ reginæ gratificatus erat, satellites, duce Radulpho Auctouillo, interficiũt, proxime Barbetę portã, dextra manu amputata: in quem humi deiectum, cum ex ducis aulicis, vnus sese, domini protegendi causa prostrasset, ab interfectoribus trucidatus est. IX. Cal. Decemb. anno salutis MCCCCVII. Homicidæ verò, pessimo facinore patrato, in ædes Arthesii comitis, vbi Iohannes Burgundus diuersabatur, confugiunt. Excito, ad ducis necem, clamore atq; tumultu, vicini occisi corpus in proximas ædes inferunt: moxq; sceleris immanitas, per ciuitatẽ, circũfertur. Aduolãt repẽte Ludouicus Siciliæ rex, ducesq; Biturix & Borbonius, qui cari sui cadauere cõspecto, indignantur pariter, atq; illachrymant. Postera die, dux ad Cælestinorum monasterium, celebri pompa, effertur. Sepelitur in sacello, quod postea insigni pictura honestatũ est. Comitabantur funus, quos dixi, principes & dux ipse Burgundus: quem necis auctorem extitisse, nemo

nemo dubitauit. Nam, criminis inquisitores, Robertus Tuillerus, & Petrus Orfauerius, cognito, quod Auctouillus ad diuersorium Iohannis Burgũdi cum suis participibus profugisset (quia in principum domo hominem præhendere, absque domini assensu, non licebat) ad Burgundũ, qui apud Neellam, cum aliis ducibus, consilio aderat, se conferunt, pulsatoque ostio, interroganti quidnam vellent: ducis inquiunt, Burgundi petimus assensum, vt, eius bona cum venia, hominem sceleratũ, in eius ædibus, prehendamus. Hic erat, quẽ petebant, aquæ baiulus, cuius insidiis, atque arcanis delationibus, necis conscii, vsi ad homicidiũ fuerant. Cognito, quid peterent inquisitores, Burgundus expalluit. Quod Siciliæ rex callide percipiens, seorsum Iohannem rogat, si necis in se culpam vllam haberet. Iohannes vindice conscientia admonitus, lachrymas continere non potuit, seque & crimen aperit: moxque conclaui, tanquam corporis curandi causa egressus, ferocissimi equi ministerio vsus, se ex ciuitate, ad sancti Maxentii pontem, proripuit, quo transmisso, pontem diruere iubet, vt se persequentibus viam precluderet. Eo die Attrebatum peruenit: milliaribus fere centum à Parisiis distans. Elapso parricida, veritus Carolus, ne sceleri scelus Burgundus adiungeret, seque tuendi gratia Anglorum societatem expeteret, Biturigem ducem, Burgundi patruum, ad eum mittit, qui hominem bene sperare hortaretur, bellũ omnino dissuadens. Itaque Iohannes, tota hyeme, se absque vllius belli apparatu, nunc in Flandria, nunc in Arthesio continuit.

Cur Iohannes dux Burgundiæ Ludouicũ Aurelianẽsem occiderit.

Necis causas Burgundus complures diffamauit. Quod Aurelianus scilicet regnũ affectasset, & magos adhibuisset, a quibus gladios duos, & anulum acceperat, quæ Carolo regi, dum Beluaci ageret, ostẽsa, eum tota cæsarie expilatum, & paulo post decidentibus sensim vnguibus, imbecillem reddiderunt. Habuisse præter hec virgam, quæ semel à fœmina conspecta, eam efficiebat libidini ducis audientem. Fuisse quoque eorum ludorum autorem, vbi Carolus fere exustus est, iniiciente Aureliano facem in villosas vestes, quibus lusores personati chorisabant. Procurasse insuper, apud põtificem Benedictum XIII. Caroli à regio fastigio missionem, quòd vt mente impotens, ita corpore valitudinarius esset. His addebat Burgũdus grauia ab eo concepta & accepta vectigalia, quibus aduersus regem se potentem nimis exaltabat. Vtcumque hæc Burgundus resciuerit, ea tamen aliter, quàm comperta per Iohannem (cui parui cognomen fuit) theologum doctorem, publica contione, Parisii habita, disseminauit. Ipse nimirum existimo, inuidisse Aureliano Burgundum, ne reipublicæ præ se magis idoneus putaretur. *Inuidia siquidem pares maxime, exagitat.* Sed alia persequamur. Hyems autem per totos duos menses, Decembrẽ & Ianuarium, solito horridior fuit. Vbi autem se terra (incipiente vere) laxauit, & se flumina, glacie concreta, dissoluerunt, tanta glaciei fragmenta ingruerunt, vt, mole sua, pontes deiicerent, exundantesque amnes, domibus prostratis, incolas cum pecoribus abducerent.

Leodiensium strages.

Administrabat per id tempus Leodiensem ecclesiam Iohannes Bauarius, Guilliermi, Hollandiæ & Hannoniæ comitis, frater. Et cùm præsul & subdiaconus esset, nullo tamen die rem diuinam fecerat, suæ nobilitati detractũ iri forte ratus, si presbyterio more sacris se altaribus addixisset. Recusantem id, pro suo officio facere, Leodienses Traiecti pertinaci obsidione, concludũt. Igitur Guillermus, vt fratri subsidio esset, contractis, ex sua gente, copiis, Burgundum per nuncios orat, in auxilium venire festinet. Nam Guillermi soror, Burgũdo nupserat. Non aspernatus orantem Iohannes, exercitum cogit, seque cum Guillermo sociat. Præmittuntur in agrum Leodiensem, leuis armaturæ, milites qui sata vicosque incendant, vt hoc damno permoti Leodienses, communibus patrię incõmodis (obsidione dissoluta) succurrere cogerentur. Flagrantibus passim agris, Leodienses, qui in obsidione apud Traiectum erant, in hostem mouent, quem in planicie (cui Haisebagno vocabulum est) inuentum prælio adoriuntur & vincuntur, millibus sedecim, ex suis, occisis. Victoria, ad Carolum regem, perlata, timens ne Burgundus victorem exercitum ad Parisios duceret, quibus erat tunc temporis acceptissimus, assumpta cum suis liberis vxore, Turonum se transfert, comitantibus eum Francorum primoribus principibus. Quod vbi Iohannes Burgundus cognouit, Guillermum Hannoniæ comitem sollicitat, secum in Franciã, cum exercitu,

ercitu, proficisci: non aliam ob rem, quàm vt regem & Dalphinum, cui filia eius nupta esset: Parisium reuocaret. Erant Guillermo multæ causæ, quamobrem à bello abhorrebat, affinitas atq; cognatio. Burgundo enim Guillermi soror matrimonio coniuncta: reginæ autem consobrinus ipse erat, & filiam eius vnicam, sibi hæredem alter ex Caroli liberis desponsauerat. Eam ob rem, ad pacem procliuior, vltro citroq; oratoribus missis, regem Carnotum proficisci impetrat, quò Iohannes ad eum venire non differret. Carnoti conuentu habito, Burgundus cum Carolo, Aureliano duce, ducis occisi filio paciscitur, iurantq; vicissim duces, nunquā posthac inimicitias in alterutrum exercere. At longe secus, non multo pòst tempore, accidit. *Nec fidei obseruantia, nec iurisiurandi religio irritatis animis momentum habuit vllum.* Parisium tamen Carolus reuersus est. Quo tempore duos ex schola Parisiaca scholasticos, propter cædem à se factam, cùm Guillermus Tignonuillus, Parisianus præses, ad patibulum noctu appensos strangulare iussisset, ne, si segnius fecisset, homicidæ liberarentur: coactus est (schola apud iudices suam ignominiā persequente) scholasticos patibulo depositos (osculo mortuis exhibito) & lecticæ impositos ecclesiæ restituere, aurigante carnifice, qui equo insidens, lineam, instar sacerdotis, vestem induerat. Eorum scholasticorum etiam nunc sepulchrum, in porticu diui Maturini Parisiensis, cum epigrammate visitur. Eadem tempestate Boussicaudus (qui Genuensibus, Caroli nomine præfectus erat) copiis indigens, Gaucurtum, à Carolo ad se, cum valida manu missum, in Pedemontes excepit: duxitq; Placentiam, qua recepta Pado traiecto, Mediolanum mouet. Cui Iohannesmaria, Mediolani dux, pacato animo occurrit: atq; in ciuitatem admisit, fide illi subiectionis & obedientiæ, tanquam regis vicario, præstita. Dum hæc Mediolani à Boussicaudo geruntur, Marchio Montisferrati, & comes Franciscus (proditoribus aliquot Genuensibus) ciuitatem occupant, occisis Francis, quos inuentos habuerunt. Et arce (quam Castelletum vocant) recepta, Tholetonem, arcis præfectũ, interimunt. Quod vbi Mediolani nunciatum est: ciues in Francos cædem meditantur. Sed eius rei certior factus Boussicaudus, militem in armis, per eam noctem, excubare iubet. Nec cessat continenter per vrbem cum armatis incedere. Mane facto, ducis fidei ciuitatem sub iureiurando committit: atq; ita ciuitate egreditur. Abeuntibus Francis, mox à fide atque iureiurando Mediolanenses desciscunt, & Francos, qui laxandi animi causa, Mediolani restiterant, deprahensos, Iohannesmaria, perfidus, suis canibus deuorandos obiecit. Boussicaudus Genuam recuperare conatus, cùm frustra se niti intellexit: ad Pedemontium principem, cum Gaucurto & copiis profectus est. Quorum egregia opera, contra Marchionem, Montisferrati vsus princeps: nonnulla oppida arcesq; cùm cepisset, Franci, Alpibus superatis, ad Carolum reuertuntur. Erat tum Parisii Nauarrus rex, qui cum Burgundo societate inita, turbatiora omnia fecit. Montagutum enim, regii palatii, præfectum: qui illorum cœptis obsistebat, grauis & fidus inprimis consiliarius, capite damnant, censore Petro Essaro, Parisiorum præposito. Qui mox, ex Nauarri atq; Burgundi sententia, ærarii regiæ pecuniæ administrationem vsurpauit: deputatis ex sua cognatione, qui Carolo in officiis palatinis obsequerentur. Officio quidam amoti, & suis fortunis spoliati, ad Aurelianum ducem Carolum abierunt, de duce Burgundo querimoniam proferentes: qui nihil eorum, quæ Carnoti iurata erant, obseruaret. Quare percitus ira Aurelianus: suarum partium proceres accersit. Conuenere ad eum in arce Vicestriæ, non longe à Parisio, duces Biturix, Borbonius & Alenconius: comites verò Richemontus, Alibretus, Conestabilis, Argminiacus: & alii non pauci proceres. Quibus animus erat, suorum iniuriam vlciscendi. At contrà Burgundus, non ignarus, quid aduersus eum Aurelianus moliretur, Parisium petit, copias secum ducens: castris inter Siluanectũ Luparamq; vicum positis. Burgundo frater erat, Anthonius, dux Brabantinus, qui solertissimo studio curauit, du cum controuersias cōponere. Nec destitit, donec mutuo se amore principes complexi, animos ferociamq; ponerent. Rebus vtcunq; sedatis, Burgundus in Picardiam abiit, relicto Parisii Petro Essaro, qui ciuitatem moderaretur. Hic ad suam tutelam lanios, quos ministerio vsuq; sanguinarios esse sciebat, in consortium admit-

Parisiani scholastici quicquid libet, facere licet.

Lombardorũ in Francos perfidia.

Rex Nauarræ Burgundi socius.

Macellarii Parisienses.

tit, aduersus Aurelianæ partis sectatores. Præhendit imprimis Vinetum Despinosum, equitem auratum: quem capite truncatum, patibulo tandem suspendit: quòd Aureliano faueret. Quam Aurelianus iniuriam non ferens: collecto exercitu, Hanum primas copias ad præsidium mittit, imperans, vt Burgundi inceptationibus obsisterent. Qua re cognita, Burgundus, contractis ex Flandria sexdecim hominũ millibus, obsidere Hanum festinat. Concussa mox tormentis porta, quæ ad sanctum Quintinum ducit, cùm corruisset: hi, qui intra oppidum erant, ad Aurelianũ ducem, qui apud Channium agebat, se recipiunt. Desertum præsidio Hannum, postquam Flammingi populati sunt, in Flandriam conuersi, non vi, non precibus, neq; vllis minis à Burgundo retineri potuere. Eapropter ad Anglos missis nunciis, auxilium impetrat. Aurelianus autem, ratus per Burgundi absentiam Parisios sibi audituros: ponte, apud Verberiam, facto, Isaram amnem transmittit. Inde ad sanctum Dionysium, quam Auraicensis princeps, Iohannes Cabilonus, Burgundi nomine occupabat, mouet. At, quia non multum munitus locus erat, deditione facta, princeps Auraicensis iureiurando adigitur: nullo vnquam tempore, aduersus Aurelianum arma capturum. Interim Gaucurtus, sancti Clodoaldi pontem nocte suffuratus est. Id vbi Aurelianus cognouit, suarum copiarum partem ad pontis præsidium collocat. Nec segnior Burgundus, per pontem Melentum, Parisium vadens: postridie, quàm ad ciuitatẽ venit, sancti Clodoaldi pontem recuperat: occisis mille prope Britonibus, pontis præsidio ab Aureliano deputatis. Quibus priusquam subsidio adueniret, ponte iam Burgundus potiebatur. Nocte insequenti remeante Parisium Burgundo: Aurelianus extructo, è conspectu sancti Dionysii, supra Sequanam, ponte, Casteldunum propere se contulit. At Burgundus, assumpto Carolo rege: atq; Dalphino, Stampas mouet: oppidumq; occupat. Præmisit inde Puisetum, Belsiæ oppidum, cum duobus hominum millibus Iacobum, Marchiæ comitem: in quem Barbazanus cum Gaucurto, quadringentis militibus stipatus, ex Aurelianis adueniens: comitem capit, captum in arce Bituricensi seruat. Reliqui audito comitis infortunio, Stampas ad Burgundum redierunt. Qui vna cum rege & Dalphino ad Parisios se conuertit, dimisso domum exercitu, Anglisq;. Duces autem Biturix & Aurelianus, animaduertentes Burgundum auxiliares sibi fecisse Anglos, & nunc dimisisse, Albretum confestim, ad Henricum Angliæ regem, ire iubent: qui auxilium ab eo petat. Audiuit non illiberaliter Anglus Albretum, & Thomam, filium suũ, Clarentiæ ducem, & cum eo Eboracensem, Iohannem quoque Cornubiensem, cum octingentis equitibus, & sagittariis mille in Franciam ad duces mittit. Interea dum hæc aguntur, Iohannes Burgundus conceperat animo, Bituriges obsidere: atq; ob id ipsum dominum de Heli, cum bona militum manu, Linieras præmiserat. Quod vbi dux Borbonius accepit, ex Bituricensi ciuitate, sub lucem, mouens, copiarum ductorem inuadit. Sed dilapsus in arcem, suos prædæ Borboniorum obiecit. At Burgundus assidue regem Dalphinumq; secum ducens: dum de obsidendis Biturigibus cogitat: Dunum regium sexto à Biturigibus lapide in primis capit. Deinde, postquam ad vnam ciuitatis portam, dies quadraginta frustra consedit: alteram (quæ sancti Priuati dicitur) circunuallat. Eò ad eum se contulit cum sexcentis millibus Siciliæ rex, Ludouicus, qui partium eius erat. Cæterum, vbi Dalphinus certum de Anglorum aduentu nuncium accepit, molitur, priusquam se cum Biturigibus hostis coniungeret, discordias componere. Itaq; conuenientibus ad colloquium, apud Rochas, non longè à Charitate, principibus: cum se Vanteram, vbi rex agebat, conuenire promisissent, non comparuere: propterea, quòd delatum eis fuerat, si eò proficiscerentur, capiendos esse, & Antissiodorum in custodiam mittendos, & tandem necandos. Tanto autem flagitio cum Petrus Essarus magnopere repugnaret, de re ipsa duces certiores effecerat. At Angli, Ligere traiecto, audientes principũ reconciliationem, cum nemo illis stipendiũ solueret: Bellum locum cũ monasterio populantur, & abbatem captiuũ abducunt. Angolismorum præterea comitem, quem in Angliam missum, centum millium librarum pecuniæ loco, quæ eis debita esse dicebant, obsidem tenuerunt, annos duos & triginta. Erat autem ducis Aureliæ frater. Burgundorum factio, Conestabilem

eo tempore sancti Pauli comitem instituerat: qui apud sanctum Remigium de Planis, Normanniæ vicum, Gaucurtum prælio superauit: quadringentis alterius factionis occisis: anno salutis MCCCCXIII. Quo anno lanii & carnifices Parisiorum (quos scoriatores illa ætas appellauit) autore Burgundo, seditione facta, Simonem Cabocheum & Iaqueuillum cum Iohanne Trecensi medico, sibi ducem præficiunt: atque his ductoribus, ad ducis Aquitani ædes profecti, complures ex aulicis, quos nomine scriptos habebant, furentes sibi tradi petunt. Eius clamoris causas nesciens Dalphinus, ad Burgundum, qui coram aderat, orationem vertens: familiam, inquit, meam, quam hic furens populus deposcit, tuæ fidei, Iohannes, ducendam, quò voles, committo: donec ferocia hæc desuescat. Recepit Burgundus ex ducis familia, quos carnifices voluerunt, eosq; domum suam Præsenem duxit. Eodem die Petrus Essarus, qui sancti Anthonii propugnaculo præerat, fide à Burgundo accepta, quòd nullo incommodo vexaretur, propugnaculo egressus, captus & in vinculis habitus est: moxque propugnaculum recipientes, Latrinolus & Enguerrandus Bournouillus, cuncta, quæ Essari erant, prædantur & exportant. Præhensionis Essari causas Burgundus in vulgus dissеminat, illum regiis officiis abusum contra leges esse: Monetam diminuisse, ex quo furto peculium sibi ingens, diuitiasq; comparasset. *Pulchre equidem in prouerbio Galli habent: canem tum rabidum dici, cum illum paterfamilias mactare decreuit.* Ducitur ad supplicium Essarus & capite plectitur. Obtinuere tamen amici, vt sepulchro inferretur, quod apud diui Maturini Parisiensis ædem, iuxta primarium altare, visitur. Nec satis fuit Burgundo, Iacobum Riuerium, equitem nominatissimum, in vinculis interiisse: vel (vt creditum est) trucidatum esse, nisi etiam mortuo caput fuisset amputatum. Necatus est præterea Petimenillus, ex ducis Aquitani familia, genere illustris. In nobiles quoque fœminas, quæ reginæ famulabantur, carnificum sæuitia grassata est: Burgundo auctore: cui maxime assentabatur Iaqueuillus, publicam administrationem affectans. Sed hæc flagitia non ferentes Henricus de Mala, primus Parlamenti præses: & Iohannes Iuuenellus, aggregata sibi ciuium non imbecilli manu, regem Dalphinumq; adeunt, manifestantes præsentis temporis iniquam conditionem, necis plena omnia esse, apud perditos homines regnum atq; imperium extare. Magistratibus tantum licere: quantum illi permitterent: ducem Aurelianum Vernone cum suis in armis esse, qui concordiam bonis legibus non recusaret. Periculis nisi occurratur, rempublicam pessum breui ire. Præsidentis oratione excitus Dalphinus, ducibus Biturige & Borbonio accersitis: vna cum populo, qui ad eum conuenerat, egressus: familiam à se abductam, & reginæ fœminas, recusante Burgundo, vinculis emittit. Carnifices autem, Dalphini potentiam metuentes, hac atq; illac dispersi, in Burgundi terras perfugerunt. Nec cunctatus Dalphinus, Aurelianum ducem ad se vocat. Quod postquam Burgundus accepit, veritus, ne aduenіens hostis, de paterna nece, iudicium postularet: ciuitate abire constituit: explorans, quo id modo, sine suspitione, facere posset. Itaque per Carolum Sauensum, regi admodum familiarem, regem venatum in Bondisium saltum educit: quo cum & ipse pergens, animum induxerat, in Picardiam regem traducere. Sed stipatus rex magna Parisiensium ciuium manu, abduci non potuit: atque ita Burgundus per Compendium Suessionemque iter faciens, præsidiis impositis, Arthesium petit. Interim Aurelianus aduenіens, Parisii hibernauit: cui se belli & pacis socios Ludouicus, Siciliæ rex, & dux Andegauus coniunxerunt: remissa Burgundo filia, quam Ludouici filius desponsauerat. Et quò amicitiæ arctius vinculum esset, Carolus, regis filiorum quartus, Mariam, Andegaui filiam, accepit vxorem. Principibus mutua amicitia conciliatis: rex Compendium (quod à Burgundo præsidio tenebatur) recepit. Inde Suessionem ducens, quia (dum ciuitas oppugnatur) Nothus quidam, ex Borboniorum familia, sagitta iugulo ictus, interiisset: Suessio in prædam militi data est. Nec ab ecclesiis temperauit furor militaris. Suessione direpta, Carolus Laudunum se contulit. Quò Niuernensis comes, Burgundi frater, aduenіens: regi fidem dat: nullo tempore suppetias laturum fratri. Profectus inde rex ad sanctum Quintinum, Viromanduorum validissi-

Burgundi Iohannis nequitia.

Essarius necatur cum aliis.

Suessio diripitur.

mum oppidum, nuncium accipit de Burgundorum aduentu: quos Iohannes Ad Attrebatum venire iussisset. Aduersum quos, prodeuntibus Barri Borboniique ducibus, cum Alenconii atque Armigniaci comitibus: captis, inter fugandum, aliquot Burgundis & Guidone de Barro: reliqui tandem Attrebatum peruenere. Quò rex mouens, obsidione Attrebatum circuncingit. Demum per Hollandiæ dominam, quæ Burgundi soror erat, rebus compositis, rex Parisium remeauit. Eodem tempore apud Constantiam, Rheni ciuitatem, synodus vniuersalis habita est. Vbi Iohannes XXIII. ob crimina sibi obiecta, in insula Marci, prope Constantiam, custodiæ traditus, pontificatu priuatur. Nec multo pòst, Gregorius XII. & Benedictus XIII. qui se pontifices pertinacissime prædicabant, dignitate pontificia se abdicantes, liberam, eligendi pontificem, potestatem concilio præbuerunt. Electusq; est Otho Columna, qui Martinus V. appellatus est: postquam annos circiter XL. ecclesia vero pastore caruisset. Et venientes ab Henrico Angliæ rege, ad Carolum oratores, cum peterent, Catharinam, Caroli filiam, suo regi dari vxorem, responsum acceperunt, non esse Carolo ocium, huic rei animum intendendi. Quamobrem discedere in Angliam parati oratores, duci se Harfleum petunt, non quòd breuior (vt ipsi simulabant) per eum portum nauigatio esset, sed reuera, quia nouerant Henricum classem, ad traiiciendum in Franciam exercitum, instructam habere: cupere propterea locum exploratum sibi esse, vt portus naturam munitionemque suo regi referret. Non multo post tempore, Henricus Harfleum adnauigat. Vbi Stoteuilla, arcis Beluacensis præfectus, Baqueuilla & Lionetus Braquemontus, præsidio affuerunt, concedente, paulo post, ad eos Gaucurto. Astabat ad subsidium, apud Caudebecum, cum mille quingentis equitibus, Boussicaudus, apudq; Honfleum (quæ arx in conspectu Harflei sita est) agebat cum totidem armatis Albretus Conestabilis, vt egressos nauibus ad frumentationem, & pabulationem, Anglos prohiberent atq; interciperent. Sed nihil commeatus, discedens domo, Henricus omiserat. Adeo enim rebus necessariis classem oppleuerat, vt nihil foris petendum esset. Itaq; tam pertinaci obsidione Franci circunsepti, Harfleum hosti dedunt. Ea lege, vt tunc liberi facti, si, priusquam Henricus Calisium repeteret, à Francis nō inuaderetur, se captiuos Calisii repræsentarent. Relictis ad Harflei custodiam præsidiis, Henricus, Calisium versus, cum suis contendit. Id postquam Conestabilis Albretus cognouit, Carolo indicat. Igitur mittuntur per omnem Franciam nuncii, qui nobilitatem ad arma vocent, aduersus Anglos: quibus cum, priusquam Arthesio abirent, prælio decertare, Carolus constituisset. Interim Albretus, & Boussicaudus Marescallus, Abauillam petentes, quindecim totos dies Anglum transmittere Sommam amnē prohibent. Deniq; inuento, inter Corbiam Peronamq;, traiectu, amnem Henricus transmittit. Indignati propterea Franci, quòd hostis, sine vlla concertatione, ab eis dilaberetur, duces Barri atq; Borbonii & Niuernensis comes, Anglo diem, ad præliandum, per caduceatorem dicunt. Qui rem sibi acceptam esse simulans, prœliandi se potestatem facturum esse promisit. Sed fefellit Henricus expectantes Francos, & per Bellamquercum Calisium petere properabat. Qua re cognita, duces viam hosti præcludunt, atq; ad regem, qui Rothomagi erat, mittunt: precantes, prælio adesse curet. At Biturigum dux, non contentus, totis copiis, vno in loco, pugnam indictam esse, memorq; cladis, apud Pictauos, acceptæ: Carolum Rothomagi continuit, satius esse dictitans, prælio tantum vinci, quàm & prælium vna cum rege amittere. Nihilominus Franci castra apud Blangium metantes, hostem vltra progredi prohibebant, parati omnimodo manu prælium conserere. Verum Anglus, impetratis, vsq; in crastinum, induciis, acies interim instruxit. Venit interea ad Francorum exercitum Aurelianus dux, cum duce Brabantino, confluentibus insuper vndiq; militibus Francis. Prius tamen, quàm acies procurrerent, duces ad hostem misere Guiscardum, Dalphinum, Hugonem de Trassi & Petrum de Heli: sciscitatū, quid daturus esset, si liber abire in Angliam permitteretur. Responsi (præter Aurelianū ducem) nemo conscius fuit. Ad insequentem autem modum suas Franci acies ordinauerunt. Primam frontem agebant Albretus & Boussicaudus Marescallus, tria equitum

Attrebatum obsidetur.

Blangiana pugna et clades.

equitum millia habentes. Hos sequebantur imprimis Aurelianus dux, cũ sexcentis equitibus: dux Borbonius, mille ducentos equites ducens: Edouardus, dux Barri, sexcẽtis militibus stipatus: Niuernensis comes, mille ducentorum hominum ductor. Post hos, ordine composito, incedebant Robertus Barrensis & Daumallus comes, cum quadringentis equitibus. Comes Deu, trecentis præerat. Totidem ducebat Vandemontus comes. Rossius comes, ducentos. Aderat quoq; Anthonius, Brabantinus dux, frater Iohannis Burgundi: quem Hannonienses sequebantur. Nam, ex suis perpaucos eduxerat: Iohanni Barrensi, Lothoringi ducis fratri, ducenti parebant. In subsidiis dextrum cornu Richemontus comes, & cum eo sexcenti equites, tuebantur. Sinistrum, Vindocinensis comes, totidem stipatus armatis asseruabat. Armatorum summa, Nobilium decem millium fuit, præter peditum, & humilis conditionis hominum, ingentem multitudinem. In Anglorum exercitu mille quingentos equites, & peditum sagittariorũq; octodecim millia esse, fama referebat. Ordinatis aciebus, Albretus, validam equitum manum Anglos adoriri, imperauerat, ducibus Gaufrido, Boussicaudo, Grauilla, Trimolo, Heliqueto Brabantino, Iohanne Dangeno, Aleammo Champeo, Roberto Thralo, & Pichone de turre. Qui protenus mouentes, neglecto Albreti imperio, ad primum conflictum, fugæ, perpetuo dedecore, se commiserunt. Anglus autem, explorato Francorum statu, cum eos negligenter agere, quosdam ad ignem (velut frigentes) torpere (id enim sub extremo Octobri Mense gerebatur) alios per agrum palantes, equos curare, & ad pascendum ducere, quasi hostem tam propinquum parui æstimarent: ipse in incompositos, signo dato, repente suos eduxit. Mox atroci commisso prælio, cecidere Francorum millia quatuor, genere illustri. Anglorum quadringenti, cum duce Eboracensi, Henrici fratre. In hostis potestatem viui venere Aurelianus & Borbonius, duces. Comites Deu, Vindocinensis & Richemontus, cum Boussicaudo Marescallo: quos in Angliam Henricus captiuos duxit. Prælio non affuit dux Britonum, licet librarum centum millia, ad stipendium militum, à rege, cum ciuitate Maclouiensi, accepisset: donatus insuper esset aureo equo, cuius frenum sellaq; gemmis plurimis atq; preciosis ornata erant. Eius equi precium, quinquaginta millium aureorum, fuit. Blangiana clade affectus rex Francus, Armigniacum comitem, Conestabilem instituit: hominem potentem, atq; armis strennuum. Qui Armigniacensium copiis instructus, ad regem confestim venit. Per eosdem dies, Iohannes Burgundorum dux, contracto exercitu, cum Trecas accessisset, missis ad eum Reginaldo Dangeno, & Iohanne Malestreto, Brioci episcopo, offert Carolus Picardiæ administrationem, si, in Anglos bellum gerere, non recuset. His respondet, se propterea venisse, vt regem Dalphinumq;, generum suum, conueniat. Reuertentibus nunciis, rex, cum hominem armatum ad se admittere nollet, literas illico ad vicinas vrbes dat, ne Burgundum accipiant. Latiniaci tamen, qui ad Sequanam Parisiensis agri sunt, ducem & exercitum intra oppidum admiserunt: vbi ab Idibus Nouembribus, vsq; Martii Nonas hibernauit. Interim, circiter dominicum natalem, Dalphinus obiit mortem: tumulo, apud diuam Mariam Parisiensem, impositus. Defuncto Dalphino, Armigniacus & Tanguidus de castro, Parisianus prætor, ciuitatis custodiæ designantur, & Carolus, Pontiuiaci comes, regis filius, præfectus Parisiorũ (quem capitaneum appellant) institutus, missis ad Hannoniæ comitem oratoribus, vt Carolum, qui Dalphinus iam esset, & cuius curam gerebat, ad præfecturam obeundã, Parisium deduceret: modo Burgundus absit, qui rerum administrationem magnopere affectabat. Tradunt historici Sigismundum, Alemanniæ imperatorem, eodem anno, qui fuit domini quadringentesimus decimussextus supra millesimum, ad Carolum, deinde ad Henricum, conciliandæ pacis causa, incassum venisse. Quo tempore apud Valemontem Armigniacus cum Vicecomite Narbonensi Anglos fugauit, quadringentis occisis. Fugientem Dorseti comitem, Henrici patruelem, dum Marescallus Longuiacus incautius persequitur, ducentos ex suis, è cõspectu Arflei amisit. Sigismundus cùm in Anglia esset, venere ad Henricum nuncii, de suorum, apud Valemontem, cæde. Eapropter animo æger, atq; indignabundus, imperatorem de pace non audiuit.

Interim male à Francis, aduersus Anglos, nauali bello, ad Sequanæ ostia, pugnatum est: duce vicecomite Narbonensi & Montenaio. Eius incommodi causa, in Piquetum de Haia, & Riuerium Boulignum, refertur: qui cùm instruendæ classi, & soluendis militum stipendiis præpositi essent, segniter agentes, nec militem nauibus imposuerant, nec à terra aliquot onerarias naues subduxerant, cùm in conspectu hostis apparuit. A Rothomagis insuper seditio surrexit, occisoq; Carolo Gaucurto, ciuitatis prætore, arcem ciues circunsederant, cuius præfectus erat Iohannes Borbonius, Pratelli dominus. Erat eo tempore Andegauiæ Dalphinus, ad curandum funus soceri sui, Siciliæ regis: qui Rothomagensium defectione cognita, Carnutum se contulit, vbi nuncium accepit, Burgundos S. Florentinum obsedisse. Igitur aduersus illos, Guidonem Torseium cum octingentis equitibus & balistariis mille, confestim mittit. Occupauerant iam oppidum Burgundi, oppidanis se illis sponte dedentibus. Propter ea Franci, imposito arci firmissimo præsidio, discesserunt. Rothomagenses autem, cognito Dalphini aduentu, demissiores effecti, seditionis culpam in milites transferebant, à quibus quotidianis affecti essent iniuriis. Admissis Rothomagensium excusationibus, Dalphinus eis veniam dat, instituto Daumallo comite, qui ciuitati atq; arci præsideret. Interea, dum Rothomagi hæc à Dalphino geruntur, Angli ad Touquam (quæ validissima est, in Normannia, arx) castris positis, eam timide segniterq; ab iis, qui intus erant, defensam, capiunt. Et Burgundus eodem tempore nunciabatur, Parisium, cum ingenti exercitu, aduentare. Inter hæc dubius Dalphinus, cui potissimum occurreret, decreuit Parisium proficisci. Vix ciuitatem intrauerat, ecce Burgundus Vannis & apud Burgum reginæ, castra facit. Armigniacus autem, & qui cum eo Parisii erant, quotidianis illum eruptionibus lacessentes, damnificantesq;, castra mutare coegerũt. Propterea ad montem Lericum mouens, castellum certis conditionibus recepit. Inde in Vastinium contendens, cum Pussiacum frustra obsideret, Carnutum copias mouit, quam sciebat à Dalphino recenter defecisse. Angli præterea Cadomum, Fallesiam, Baiocas, & S. Laudum subiugant. Nec stetit in fide coniugali regina, causam sumens, quòd à Dalphino atq; Armigniaco, damnis iniuriisq;, offensa fuisset. Nam, cùm grandem pecuniam, diuersis templis seruandam, credidisset, cancellario eius, & Guillermo Canteo, & Iohanne Picardo scriba, thesaurum prodentibus, Armigniacus & prouinciæ præses, Iohannes Louuetus, ea sibi rapuerant. His causis excita mulier, Burgundum ex Carnoto accersit. Qui festinantissimis itineribus ad regem profectus, à Turonensibus recipitur: captis thesauri proditoribus, qui multa se pecunia redemerunt. Et, cum Iohannes Vinonetus arci præesset, eam, nulla vi impulsus, Burgundo permisit. Mox per Turonorum loca dispositis præsidiis, reginã, cum filia eius Catharina, Carnotum adduxit. Inde Ioingni se contulit. Quem, ad Ionam amnem vsque, cum sexcentis supra mille equitibus persecutus Armigniacus, quia increscentem imbribus amnem transmittere non poterat, retro conuersus est. Senonenses tunc temporis Burgundorum partes secuti, à rege defecerant. Eam ob rem, Parisiani, duce Tanguido, eorum prætore, ciuitatem illorum obsident. Qui circunsessione arctati, cùm, de deditione facienda, obsides dedissent, audientes, subsidium illis à Burgundia venire, deditionem, ad obsidum perniciem, omiserunt. Nam, eorum obsidibus, capita securi percussa sunt. In linguam Occitanam per id tempus Auraicensis princeps, Burgundæ factionis opinatissimus sectator, expeditionem desumpsit. In quem, dum Aruerni Viuarienses que, arma parant, ipse magnam regionis partem occupat, præter Villamnouam & Bellocarum. Anno deinde Christianæ gratiæ MCCCCXVIII. Mense Maio, Iohannes Villerius, insulæ Adæ dominus, trecentis bellacibus atque sanguinariis satellitibus stipatus, noctu Parisium ingreditur, patefaciente ciuitatis portam Perreneto clerico fabro ferrario, qui patri clauem ciuitatis sustulerat. Iamque ad mediam ciuitatem, nullo percipiente, peruenerat: cum suos clamare pacem & salutem Burgundo Villerius iubet. Ad pacis nomen, ii, qui Burgundæ factionis erant, excitati, Andreana protinus cruce desumpta (id enim erat eius factionis signum) Villerio se adiungunt. Aurelianorum vero partium studiosi, abditis lo-

Touqua arx ab Anglis capitur.

Auraicensis princeps.

Iohãnis Villerii crudelitas.

tis locis, vtcunque melius poterant, se credebant. Ea persecutione cognita, Dalphinus, & qui cum eo erant, in sancti Anthonii propugnaculum se recipiunt. Erant autem cum Iohanne Villerio veteres regii officiales, & ministri, qui magistratu fuerant amoti, qui ad regem cum Villerio venientes, innouata cum eo familiaritate atque beniuolentia, hominem mentis impotem, equo impositum, per vrbem circunducunt, ad populi fauorem sibi conciliandum. Nec mora, in omnes, quos sibi hostes esse arbitrarentur, desæuiunt. Atq; imprimis Armigniacum, Henricum de Marla, Franciæ cancellarium, comitem de Grandiprato, & quamplurimos, variæ dignitatis & potentiæ, homines quos in custodia diuerso carcere distinebant, interimunt. Nam, misso ad eos lictore, cum perditis hominibus, qui ex agris ad eos defluxerant, eos è fenestris, vel pinnis, præcipites in pauimentũ desilire compellebant, Iohanne Burgundo Parisii agente: auctoribus quoque (quem dixi) Villerio, Iohanne Lucenburgo, Carolo de Lens, Claudio Castello, & Guidoni Barrensi. Interemptorum, per hanc tyrannidem, numerum millium quatuor fuisse, relatum est. Causa necis satis erat, alternæ miserationis signum, aut, si quis sua perdidisse quereretur. Nam, qui regis erant, Armigniaci: qui Burgundi, Burgundiones per ignominiam appellabantur. Dalphinus autem, cum ex propugnaculo sancti Anthonii Meldunum peruenisset, accitis belli præfectis, Petrus de Rieux, Marescallus Francus: & Barbazanus compluresque alii, armatorum ductores, ad eum profecti sunt. Quibus cum propugnaculum Anthonianum repetens, tentat Parisios recuperare. Progressi itaque per sancti Anthonii militarem viam, iam ad Bauderii portum venerant, cum domos ciuium ingredientes, prædas agere milites cœperunt. Quamobrem irritatis in se ciuibus, cœpto destiterunt. Et Dalphinus, spe, recuperandæ vrbis, deposita, Meldunum rediit: committitque Tanguido Campaniæ & Briæ finitimarumque vrbium administrationem. Instituit quoque linguæ Occitanæ rectorem, comitem Fuxi: qui magistratu adepto, nihil moratus, contractis copiis Auraicensem regione, ad Nimatensem vsq; vrbem, & Sancti Spiritus pontem, extrudit. Interim Dalphinus in Turonos progrediens, ciuitatẽ recepit, ciuibus nullo damno affectis. Præerat per hos dies Conciaco castro Petrus de Santatrila, Vasco, centum equites habens. Quem ancilla, quam sibi seruientem domi habebat, hosti (vt protenus dicam) prodit. Erat in vinculis homo, ancillæ notus, eadem, qua mulier, patria oriundus. Hæc cùm ad captiuum interdum verba faceret, captiuus fidem interponit, si se liberaret, eam in vxorem accepturum. Ancilla spe nuptiarum ducta, sub puluinari quiescentis domini claues areis noctu surripit, & carcere recluso, vinctisque emissis, illi ad præfecti cubiculum irrumpentes, hominem iugulant, atque opibus direptis, arce potiuntur: accersito festinanter Iohanne Lucemburgo, qui in Viromandia agebat. Illucescente sole, Petri milites solitudinem arcis è proximo vico admirantes, inscensis equis, pars montem acutum, pars Guisam in Terracia petiuere: duos præficientes sibi belli duces, Stephanum Vignolum (qui & Hirus appellatus est) & Potonem de Santatrila, armis, per omnem ætatem, instructos, & apprime belli peritos. Qui mox in agrum Suessionum ducentes, cum equitibus quadraginta tantum, Longauallum, quadringentis militibus superbum, fundunt. Eadem quoq; fortuna vsi, Hectorem Saueusum, mille armatorum ductorem, in territorio Laudunensi, superauere.

Cædes. *Insolentes milites.* *Proditio ab ancilla.* *Hirus.*

Pontisaram Franci, per id tempus, ex Anglorum subiectione, funibus in muros scandentes, noctu recuperarunt. Henricus autem Angliæ rex, primo vere insequentis anni, qui erat Christianæ salutis MCCCCXIX. Rothomagum, circunducto milite, obsedit, occasione accepta, ex ciuium seditione, qui præfectum suum, Daumalum comitem, cum multa Normannorum nobilitate, ciuitate, expulerant, admissis Burgundis, cum duce eorum Guidone Boutilerio. Septem totos menses Anglus obsidionem continuauit: nihil omittens, quod ad expugnationem pertineret. Nec minus constanter obsessi resistebant, ita, vt commeatus pœnuria tabescentes, muribus vescerentur: sperantes, vel Burgundorum, vel Dalphini subsidio propediem iuuari. Sed neuter opem tulit. Nam, Burgundus neglexit: Dalphinus

Pontisara recuperata. *Rothomagus obsessus.*

autem adolescens, occupantibus Anglis Sequanæ amnis aditus, suppetias mittere non potuit. Et erat illi aliunde, aduersus Iohannem Burgundum, sollicitum negocium, cui, copiis non satis potens, obsistere nequibat. Igitur deserti auxilio Rothomagenses, in hostis potestatem venere. Interea Burgundus diu varius animo, Anglorum ne an Dalphini amicitiam sibi compararet, tandem Dalphini partes sequi constituit: hortantibus maxime Philippo Iosquino, & Iohanne Tholongo cum nobili fœmina, domina de Grat. Est oppidum cum arce, vbi amnis Iona Sequanam influit, cui Monsteriolum nomen est, pontem, ad vtranq; fluminis ripam, habens, cum sublicio tabulato, quod in portæ formam, pro rerum & temporum conditione, sublatum, viam præcludit, intrare vel egredi oppido, volentibus. In eo loco dies principum conuentioni dictus est. Congressuris principibus, ne ab aulicis alter alterius principis tumultus oriretur, placuit tabulatum erigi, atq; obfirmari, & ad pontis caput, oppidum versus, ex tignis & sublicis tabernaculum extruit, in quod cum singulis principibus Dalphino atq; Burgundo decem delecti proceres tantum introirent. Conuentu inito, cum hinc atq; hinc multa de præteritis iniuriis refricarent, subito excandens vnus, qui cum Dalphino aderat, Iohannem Burgundum necat. Hic fuisse creditus est Tanguidus de castro, Aureliani ducis, qui Parisii imperante Burgundo interemptus est, maxime olim familiaris. Eius necis auctorem fuisse Carolum Dalphinum quamuis nonnulli putauerint, adolescentis tamen innocentia hinc coniectari potest, quòd ad cædem expauit, faciem à percussoribus auertens. Neq; ętas hoc suspicari permittit, quam mansuetam agit semper & clementem. Iohanne necato, Philippus, eius filius, qui Parisii agebat, Anglis se coniungit: Carolumq; regem, cum regina & Catharina filia, quos in potestate pater viuens habebat, Henrico Anglo tradit. Parisios quoq;, Briam, Campaniam, atq; Burgundiam adiungit. Quibus auctus Henricus, Catharinam, Caroli filiam, Trecis vxorem accepit, non reclamante populo, qui spem acceperat libertatis, cum tot potentes ad pacem coniunctos principes videret. *Facile siquidem populus fidem constantiamque, proposita sibi libertate, commutat.* Dalphinus, dum hæc aguntur, in linguam se Occitanam confert, vbi recepto vi ponte Sancti Spiritus, & Nimatensi vrbe recepta, comitem Fuxi magistratu amouet, instituto in eius locum Carolo Borbonio, Claromontensi comite. Qui Biterras à Fuxensibus occupatas, mox obsedit cœpitq;. Dalphinus autem, his gestis, ad Bituriges Turonosq; festinus accessit. Henricus vero ex Trecensibus Senones adoritur, Scotorum regem, quem captiuum habebat, secum ducens: ratus Scotos, qui auxiliares Dalphino venerant, captiui regis fortunã miseraturos, & cum eo in Scotiam reuersuros. Sed illi, parui habito rege, Dalphinũ secuti sunt. Subiugatis Senonibus, Moretum Monsteriolumq; capit. Inde Meldunum circumcingẽs, latus oppidi, quod ad siluam respicit, Anglus obsidet. Alterum, vbi est diui Petri templum, Burgundi tenuerunt. In præsidio erat Barbazanus, qui Meldunum egregie tuebatur: qui tandem frumenti copia defectus, dedere se Anglorum potestati compulsus est: libertate inde abeundi omnibus proposita, præter eos, qui Iohannis Burgundi necis conscii haberentur. Oppido recepto, quos voluit, reos Henricus depræhendit, & imprimis Barbasanum & aliquot militum præfectos, cum alicuius nominis & potentiæ incolis, quos Parisium in custodiam misit. Meldam quoque paulo post Anglus circunuallat, & suppetias obsessis ferentem Dauphemontum, dum in ciuitatem irrumpere festinat, capit. Desperato subsidio, obsessi, cùm dissidium inter se concitassent, deditionem faciunt: data potestate militibus abeundi, præterquam notho de Vauru eiusque vicario, quos Henricus ad arborem vlmum, quæ in via militari, Parisium versus, procera erat, suspendere iussit. Paucis pòst diebus, ipse cum vxore in Angliam traiecit, vbi, prægnans regina Henricum peperit. Quo tempore comes de Pointieure, Britonum ducem captum, in custodia seruauit. Et Clarentiæ dux, Henrici frater, ex Normannia Andegauiam, cum valida armatorum phalange profectus, castra, apud Bellifortum, metatus est. Qui ex Scotis frumentatoribus captis cognito inter prandendum, quòd apud Baugeum Franci cum Scotis in armis essent, à conuiuio surgens: Adoriamur, inquit, illos: in no-

Burgundi ducis cædes.

Henricus Anglus, Catharinam, Caroli filiam, ducit vxorem.

Meldunum capitur.

Meldis capitur.

Henricus ex Catharina nascitur.

in nostra sunt potestate. Nec pedites vlli, sed equites tantum nos comitentur. Progredientibus Anglis ad vicum, cui paruus baugius vocabulum est: Iohannem de cruce, strennuum equitem Gallum offendunt. Qui conspecto hoste, raptim cum suis templum ingressus, offirmatis in hostem portis, in turrim ecclesiæ conscendit. Vbi dum frustra Clarentiæ dux sedet: reliquos inuadere Francos approperat. Præcedebat aciem dux, super galeam sertum aureum, gemmis honestatum, portans. Quem in se irruentem Franci inter primos necant: & cum eo complures proceres Anglos. Captis comitibus Hantitono & Sombressto: necnon Thoma Beauforti, Sombresseti fratre, reliqui fuga dilapsi sunt. Qui Cœnomannum petentes, cum effractum pontem comperissent: desumptis candidis, Francorum more, crucibus, se Francos simulantes: ruricolas pontem instaurare compellunt: quos, transmisso ponte, protenus trucidarunt: seq; in Normanniam contulere. Interim Dalphinus, ex Pictauis, Turonum veniens: comitem Bousicaudum Scotum, Conestabilem creat: & aduersus Burgundos ducens, Montemmiraldum Gallardonemq; in Cœnomannia capit. Cæterum, Henricus ex Anglia (accepta fratris sui, Clarentiæ ducis, morte) maioribus copiis eductis: Druydes, id est, Drocas capit, & deinceps Vindocinas adorsus, Baugentium contendit. Sed, cum ad vada Ligeris castris positis Anglum transitu Franci prohibent: Henricus commeatu destitutus, secundum Ligerim iter faciens, in Belsiam exercitum ducit, hortensibus herbis, atq; holeribus tantum vitam sustentantem. In ea regione Reugemontem à se captum incendit: supplicio affecto, cum suis commilitonibus, arcis præfecto. Post hæc, ad Villamnouam (quæ ad amnem Ionem sita est) contendens, oppidum vi occupat. Atq; inde Vindocinas versus se conuertens: fame pestilentiaq; vexatus, quatuor ex suis millia amisit: auium ferarumq; pabula, quę per agros scilicet inhumata iacuerunt. His ipsis diebus, Iohannes Forestanus, Rochebaronis dominus, Burgundæ factionis, Aruernos, ductis in eos copiis, variis incursionibus vexauit. Verum complures Aruerni proceres, ex Anicio, duce Carolo, Perdriaci comite, in hostem progressi sunt. Quos vbi venientes ad se, hostes conspiciunt: in oppidum (quod Serueretam incolæ vocant) se conferunt. Franci autem nihil cunctati, proxime oppidum, castra metantur. Interim castris egressus sagittarius quidam, molendinum, quod iuxta erat, petit: quippiam prædæ sperans. Nec diu moratus, molendino ignem intulit: quo mox oppido conflagrante, Burgundi partim ad Pedriaci comitem, & Francos, veniam petentes, confugerunt: partim cum Forestano, per montana Rochebaronem petiuere. Quos persecuti Franci: Rochebaronem & alias, quæ Forestani arces erant, receperunt. Conenses autem, qui Ligerim accolunt, cùm à Francis obsiderentur: de oppido dedendo, obsides tradiderũt, si, intra constitutum diem, subsidio non iuuarentur. Henricus opem Conensibus laturus, morbo (quem Fiacrii esse vulgus credit) Corbolii decumbens, non multis pòst diebus defunctus est: At nihilominus Bethforti dux, Conensibus suppetias tulit, & Franci acceptos obsides restituerunt. Ex Conensibus Bethfortus dum Bituriges adoriri contendit: audita Henrici morte: cœptis desistens, in Angliam: Burgundi in Burgundiam redierunt. Inter hæc belli incommoda, Carolus rex, vltima naturæ persoluit: apud sanctum Dionysium sepultus, anno salutis MCCCCXXII. quo etiam anno Henricus mortem obierat.


Clarētia dux occiditur.

Seruereta oppidũ capitur à Francis.

Henricus moritur.

Caroli VI. mors.

ROBERTI GAGVINI
HISTORIAE FRANCORVM
LIBER DECIMVS.

Cap. I. RIVM, proxime præcedentium, regum fortuna, aduersitatis quidem atque miserationis plena fuit. Sed, quemadmodum solidum & vegetum corpus, malæ valitudinis non confestim sentit incommoda: ita superioris temporis locuples & diuitiarum oppletus populus, tolerandis aduersitatibus primum sufficiens: frequentia tandem calamitatum attritus, tabescere, & quasi obstupescere cœpit. Nam, toto regno, hinc à Burgundionibus, inde ab Anglis, mox ab his, qui se rebus consulere dicebant, ita tumultuabatur: vt dicere difficile esset, hostisne, an Francus plus damni miserabili populo importaret. Eò quoque fortunæ iniquitas processit, vt Carolo eius temporis regi (de quo scribere incipio) Bituriges tantum parerent, & Biturigensis rex ipse ab hostibus vocaretur. Quæ enim militum cohortes, & præfecti, sparsis locis arces & aliquot loca tenebant, nullo stipendio sustentati, sicut ab hoste cum poterant, rapiebant: ita ab amico atque obtemperante, pro eorum libidine auferebant. Per has igitur malorum omnium tempestates, Carolus Caroli VI. filius, rex appellatus est. Henricus præterea (patre Henrico defuncto) regium Franciæ nomen vsurpabat: Franciæ Angliæque se regem, publicis priuatisque literis, & forensi sigillo, monetaque, quam nouam cudit, appellans. Ita, cùm ex vetustissima Odouardi III. querela, tum ex ea, quam nunc dicam, causa, Franciæ regnum Henricus vendicare se iactabat. Nam dum Catharina, Caroli VI. filia, Henrico, huius Henrici patri, nubit: hæ matrimonio leges, authore Philippo Burgundo, dictæ sunt. *Si præ Henrico vita defungeretur Carolus, Franciæ regnum Henricus adiret: Sin contrà, & ex Henrico virilis proles superstes foret, Carolo deficiente, Henrici filius Franciæ principatum adipisceretur.* Nulla de Carolo, cuius nunc gesta scribere aggredimur, legitimo licet hærede, mentione habita, tanquam ad eum nulla regni portio attineret. Itaque in regia & primaria Francorum ciuitate, mortuo patre Henrico, Henricus ipse temporaria ambitione superbiens, quanquam in Anglia, vnum annum agens, educaretur: regia appellatione atque administratione vsus est, hebetis quidem ingenii, nec satis ad regiam maiestatem idonei. Cui tametsi illustre exordium fortuna concessit: deseruit tamen, & vtroque tandem regno extrusum, misera seruitute senescentem affecit. Ad primas Henrici gloriolas, & fastus, Carolus intentiore animo nixuque erectus, armis ius tueri, & hostem extrudere regno tentauit, victis aliquando, atque interdum vincentibus Francis. Nusquam tamen, eos dies, totis copiis pugnatum est. Sed, vt casu se milites offendebant, occasione captata, repentina prælia committebant. *Est enim miles Francus ad subitaneos casus audax, & promptus, & plerunque fœlix. In diu meditatis minus feruens, & raro bene fortunatus.* Igitur illud miserabile fuit, quòd à Salsebériensi & Suffor-to, Anglis comitibus, dum Crauantum obsident, commissum est. Vbi dum Boucatius Conestabilis, & Almaricus, Seueracus Senescallus à Carolo missi, liberare obsessos, magnis viribus contendunt, duobus, ex suis millibus, occisis: ipse Conestabilis viuus capitur. Quo fere tempore aliud, contraria admodum sorte, à Iohanne Haricurto, comite Daumallo, apud Brossimeram, aduersus Anglos, quasi ludente fortuna, gestum memoratur. Ex Normannia, duce Thoma Poullo, Angli profecti: incursionibus per Andegauensem Cœnomannumq; agrum, factis: cum apud Segreium castrum, aliquot dies castra habuissent, obsidibus acceptis, captiuisque abductis, & abactis pecoribus, Normanniam repetere constituerunt. In eo igitur vinculo, instructa acie, se sistens Gaumalus, hostem expectat: præmissis octoginta equitibus, duce Ambrosio Deloro, & Ludouico Tromargo: qui hostis

Biturigũ rex.

Carolus VII. rex.

Henricus Anglus, pseudo-rex.

Franci superantur.

Haricurtus Anglos vincit.

hostis aduentum explorarent. Quem vbi conspexere, animosi in eum feruntur. Sed, qui in prima fronte Angli pedites incedebant, singuli singulos præacutos sibi palos, veteri suo more, præstituunt. Quare Franci equites, à pedite Anglo, sensim diuertentes, in postremam aciem incurrunt, ita, vt turbatis ordinibus, peditem Anglum, simul cum equitibus pugnare coegerint. Interim aduenïens cum suis Daumallus, prælium acerrime committit, fuditque hostem, recuperatis obsidibus atque captiuis, cum millibus boum duodecim. Ex Anglis, eo prælio quadringenti supra mille ceciderunt: præter eos, qui fugientes, necati sunt. Ex Francis, eques vnus auratus, Iohannes Ruffus, cum aliis paucis desideratus est. Ex Anglorum toto numero, centum omnino euasere: capto in fuga Thomà Poullo, & Thoma Clitone. Victoria potitus Daumallus, in Normanniam, per Abrincas, ad sanctum Laudum vsque progressus: tandem in Cœnomanniam reuersus est: præda onustus & gloria clarus. Per id tempus, Salsebeṙiensis comes, Anglus Sedanam Briæ oppidum circunsedit, & expugnauit: occisis inter oppugnandum quadraginta Francis, cum eorum præfecto Guillermo Marino: & totidem ex imperio comitis furcis suspensis. In Normannia vero, cum sancti Michaëlis montem, qui in æstuario maris est, Britanniam versus, Anglus circunuallaret, turriculis ex materia, ad militis stationem, per montis ambitum, extructis: magnisque nauibus & milite commeatu instructis: ne quid ad obsessos importari posset, mirabili rerum pœnuria incolas affecit: donec comparata, apud sanctum Malum, classe Bellifortus, Britonum Admiraldus, Anglos inuadere fœliciter tentauit. Nam ita nauali prælio superior extitit: vt Anglis copioso numero occisis, obsidionem dissoluerit. Ab obsidione dimoti Angli, Ardonem, tribus passuum millibus à monte distantem, fugientes, in eo loco propugnaculum (quod Bastildam vulgus appellat) extruunt. Ex quo in arenas frequentes progressi, leuia, cum iis, qui in præsidio apud S. Michaëlem erant, prælia committebant: donec Iohannes Conlonceus, Normannus eques (sicut inter eum & Michelianos conuenerat) statuto die adueniens, repertos in arena Anglos, ad ducentos occidit: capto Nicolao Bourdeto Anglo, opulento homine. Venit eodem tempore Rupellam comes Glascuensis, Scotus: quinque armatorum millia ducens, vt Carolo regi auxiliaris esset: quem rex beniuolo affectu, & multo honore suscepit. Dux autem Bethfortus, quem Franciæ regentem Anglicana factio appellabat, Iuerum, Normanniæ arcem, obsidens: postquam menses tres in negocio perseuerat, Giraudum, loci præfectum, eò necessitatis perducit: vt intra definitū diem si sibi non auxiliarentur Franci, arcem dederet. Quod cum Giraudus regi, per caduceatorem nunciasset, Carolus ex Turonis Iohannem, Alenconii ducem, deputat: qui vna cum comite Glascuensi, comite Boucano, comite Daumallo: & vicecomite Narbonensi, Bethfortum ab Iuero propulsarent. Illi per Carnutes magnis copiis iter facientes, certi facti sunt, Giraudum arcem Bethforto dedidisse. Diuersi igitur ab Iuero, Vernolium, quam Anglus tenebat, capiunt: quæ cum ad Alenconii ducis ius pertineret: eam duci restituunt. Ibi dum de futuro bello gerendo consultant: Bethfortus in eos mouere nunciatur. Fuere qui prælium detrectarent, superiorum incommodorum non obliti, quæ & apud Creciacum, & deinde apud Blagium Franci accepissent. Alii, quibus odiosus erat Anglorum principatus, prælium suadebant: dedecori illis atq; timori datum iri, si in proximo habentes hostem, pugna abstinerent. Nam si nullo commisso prælio inde abeant: fugæ similem discessum eorum esse. Vicit sententia hæc: quæ infœlicem habuit exitum. Egressi Vernolio Franci, in proximo agro acies instruunt. Et vtrique cornu equitatus partem distribuunt. Bethfortus interim, ordinato agmine incedens, mox vbi in conspectu astitit: Franci prælium conserunt. Lombardi equites, numero quadringenti, quibus mandatum erat, in primam hostium aciem irrumpere, cum primos in fronte obuios fudissent, prædæ auidi, ad diripienda castra magis, quàm ad feriendum hostem, operam nauauerunt. Qui autem alteri cornu præerant equites Franci, cum se in primā sagittariorū frontē intulissent, Anglos fundūt, dissipant occiduntq;. Ita vt facile hostis existimaret victoriā penes Francos esse. Sed Bethfortus suos reuocans, & fortiter pugnare cohorta

Sedana ab Anglis capitur.

Mons sancti Michaëlis obsidetur.

Pugna apud Vernolium.

tus: prælium instaurat Francosq; euincit. Ex quibus cecidere Glascuensis comes, cum filio Iameto: Comes Boucanus: Daumallus vicecomes Narbonensis: comes Vantadorus: Grauilla: Belsautus: Carolus Bonus: Anthonius Cahorsus Malicornus: Guillermus de palude: alii præterea ad numerum quinq; millium. Capti fuere Alenconius dux, & eius nothus: & Traietanus Franciæ Marescallus. Potiti victoria Angli, Vernolium recipiunt, dimissis libere Francis, qui oppidum tenebant. Salberiensis post hæc comes collectis copiis dum Cœnomanum, eius obsidendæ causa, pergit: Guillermus Porcus, eques, ex insidiis, quas non procul à Sagio posuerat: in Anglos insiliens, complures nullo suo damno interemit, & cepit.

Cœnomannũ capitur.

Nihilo tamen segnius Salberiensis præteriens Cœnomanum duxit: quam tormentis labefactam tandem subiugat: data Francis abeundi potestate: cum ei mille quingentos aureos persoluissent. Mouit inde ad sacram Susannam, eiusdem regionis validum oppidum. Cui Ambrosius Delorus præfectus erat. Dura obsidio fuit, quippe quæ & Anglorum continua oppugnatione, & Francorum virili defensione, vulnerum & mortis plena extitit. Habebat Anglus tormenta nouem, quas bombordas dicunt: quibus oppidi muros continenter quatiebat, ita, vt paucis diebus tantũ muri deiecerit, quantum arcu emitti sagitta potest. Igitur compulsus necessitate Delorus, deditionem fecit, duobus scutorum millibus, pro sua suorumq; libertate, hosti persolutis. Cepit præterea Salseberiensis arcem [illegible]enam, cui Inhes nomen incolæ dicunt: cepit & Feritatem Bernardi, quarto mense, postquam eam circunsedisset.

Arturus Richemontus ex Anglia liberatus, Conestabilis à Carolo constituitur.

Liberatus eodem tempore ex Anglorum potestate Arturus, Richemontus comes, Britonum ducis frater, ad Carolum, qui Andegauis agebat, ex Anglia venit, & salutandi regis & ei obsequendi causa. Quem perbenigne Carolus habuit, eumq; Conestabilatus dignitate affecit, mortuo in Vernoliana pugna Boucano: qui eundem magistratum gesserat. Paucis pòst diebus exactis, Angli cum sanctã Iamam, dirutum olim oppidum, & Britonibus finitimum, instaurassent, posito illic robustissimo ex suis præsidio, Arturus Conestabilis, collectis viginti hominum millibus, sanctam Iamam circunsidere pergit. Dum autem quatuor totas horas in oppugnatione consumit, Angli per posticum, quod ad lacum oppido proximum est, eruptione facta: eius partis insultores partim pellunt, partim interimunt: alios, in ipso lacu mersos extinguunt. Igitur omissa oppugnatione, cum in castra Franci reuertissent, exorto, media nocte, tumultu, omnes desertis castris tormentisq;, reclamante Arturo, in sua quisq; remeant. In Andegauiam tamen non multo post ducens, Guellerandum cepit. Contra vero Angli Remefortum arcem Cœnomanensibus abstulerunt. Quam paucis post diebus Sableius præfectus & Belmanorius, adiutore Ambrosio Deloro, vi receperunt: & deinde Malicornum. Hos inter euentus Guionus cum centum equitibus Francis ex Sableio profectus, via militari, quæ à Cœnomannia Alenconium ducit, Guillermũ Hodebalum, viginti equitibus Anglis stipatum, obuium forte habet: in quos dum protenus irruere Guionus festinat, Angli ex equis desilientes, aduersus hostẽ, virili se audacia instruunt: atq; ita tuentur, vt seruato ordine, & loco præliantes, complures ex Francis confoderint, & aliquot captiuos, recipientibus se Cœnomaniam Francis abduxerint. Ad hunc modum composita, & sibi constans virtus, gloriabundam stultamq; interdum temeritatem exuperat.

Giacus thesaurarius demergitur.

Quo tempore Giacus, inter regis consiliarios primarius, delatus, quòd regis fiscum thesaurosq; ad suos vsus magis, quàm reipublicæ vtilitatem, dispensaret, Arturi iussu capitur, & in profluento demergitur. Obsidentibus, per eos dies, Montisargum Anglis, oppidumq; perseueranti oppugnatione prementibus, mittit Arturus, ad obsidionem soluendam, equites armatos Grauillam & Gaucurtum Stephanumq; Vignolum, Hirum. Hi accepta forti militum manu, dum ad Montisargum peruenere, effractis munitionibus, quibus se hostis circunsepserat, plurimis occisis, Anglos fugant. Non dissimili fortuna apud Ambrietas pugnauit Ambrosius Delorus, aduersus Henricum Blancum, Anglum: ducentis, supra mille, armatis stipatum, cum ipse Delorus centum tantum & sexaginta equites haberet.

Alenconii dux de captiuitate redit.

Eadem tempestate Alenconii dux, qui apud Vernolium captus fuerat, ex Anglia liberatus est, solutis, ob redemptionem eius, ducentis

centis aureorũ millibus,quæ partim pęrstò impendit,datis,pro his quæ dissoluenda restarent, obsidibus.Inter hęc Cœnomanenses Anglorũ principatũ perosi, aliquot præfectis Francis accitis,eos in ciuitatẽ clam admittũt, comite Doruallo atq; Albreto negociũ gerẽtibus.Hostes,cognito Francorũ ingressu in turrẽ(cui Orbẽdellæ nomen est) iuxta sancti Vincentii portã,propere se recipiunt,mittentes festinanter ad Tabellotũ, qui Alẽconium tenebat, vt suppetias illis ferat:dum spes extabat recuperandæ ciuitatis. Tallebotus,cui paratæ in armis copiæ erant, audito suorum periculo,magnis itineribus Cœnomannos petit.At Franci,quasi securi rerum suarum,in diuersoriis delicate se curantes,quid hostis moliretur,parũ aduertebant.Itaq; veniens Tallebotus,& à suis receptus,per eam,quam ipsi occupabant, portam,ciuitatem inuadit,recepitq; exturbatis Francis:& iis, qui deditionis causa fuerant, ciuibus supplicio affectis. Nec diu moratus Tallebotus, Pontorsonem à Richemonto instauratã,& valido præsidio munitam,obsidet atque expugnat. Aurelianum quoque Salsebriensis comes,& cum eo Tallebotus, & comes Suffocus, contracto ingenti exercitu,angustissime circumcingit:ædificatis,per gyrum, quatuor firmissimis propugnaculis, quibus, importari quicquam in ciuitatem, facile prohibebant.Nam,quę ad Ligerim amnem,supra Aurelianũ,infraq; oppida sunt, Anglo parebant.Fuit tamen Aurelianensibus animus semper erectus, & Anglicæ dominationis impatiens.Quibus præterea Carolus rex,quã poterat maxime,erat, sine intermissione,subsidio.Et Aureliani ducis nothus, Iohannes, homo apprime militaris,egregiam nauabat operã,tuendæ ciuitati. Boussacus quoque Francię Marescallus,cum Stephano Hiro,ciuitatem cõtinenter tutabatur.Erant ea parte, qua in Belsiam via est,grandia suburbia,& complures ædes sacræ. Quæ omnia Franci, ne hosti commodum afferrent, diruerunt. Angli vero ad alteram Ligeris ripam, suburbiũ,cum propugnaculo pontis,occupabant.Non tamen ita omnia complectebantur,quin inter propugnaculum grande (cui Londoniæ nomen hostis indiderat) & id quod ad sanctum Lupum erat,multum spacii intercederet, quà ad obsessos via patebat. Igitur vt laboranti ciuitati subueniretur,dux Borbonius, & cum eo Struatus Conestabilis Scotus:Doruallus pręterea & Stephanus Hirus,collecto iusto exercitu,dum Aurelianis suppetiari constituunt:nunciũ accipiunt, Iohannẽ Fastolum,Anglum equitem,commeatum ex Parisiis copiosum desumpsisse,& ad eos,qui in obsidione agebant, deducere : adiutore Simone Morhiero Parisiorum prætore.Spe autem intercipiendi cõmeatus adducti Franci, in Iohannem Fastolũ iter conuertunt.Ea re cognita,Fastolus ex tempore consiliũ sumens, curribus atq; vehiculis,se suosque non procul ab Lenuilla,Belsiæ oppidulo,circũsepit,& relictis equis,pedes pugnat.Idẽ Struatus & Doruallus,cum bona Francorũ parte,faciunt. Cessit Fastolo victoria Struato Dorualloq; cum ducentis suorũ occisis.Borbonius vero Aurelianũ contendit.Per eam obsidionẽ,Salseberiensis comes(ex propugnaculi fenestra,quod ad extremũ pontem est) ciuitatis situm contemplatus, agitabat animo,quonã pacto vrbem expugnaret.Cui vnus ex copiarum præfectis, ei assentans,cum dixisset:Tuam here ciuitatem nunc libere conspicere potes:lapis ex tormento,à ciuitate,incerto autore,emissus,labrũ fenestræ concutit. Cuius fragmenta in Salseberiensis faciem dissipata,mortẽ homini,post insequens biduũ,intulere. Haud tamen segnius Angli in obsidione perstiterunt,curãte omnia diligẽter Guillermo Glassida,genere quidem non sublimi,sed prudentia & rerum gerendarũ peritia,inter suos,illustri.Longa obsidione vexati Aurelianenses,consilium capiunt, qua se via ab hoste liberarent,suadentibus quibusdam,nulla deditione facta pecuniam Anglis dare:aliis vero deditionem vtilem fore,si Burgundo duci ciuitas permitteretur:qui Franco genere ortus, speraretur ab Anglis aliquando discessurus. Potior hæc senteẽia visa est, missusq; est ad Burgundũ Potonus Santralliensis,cum certis conditionibus.Legatione accepta,Burgundus quidẽ(si Bethfortus non cõtraueniat)ciuitatem æquis se legibus recepturum,respõdit : mittitq; ad Bethfortũ, de re ipsa,nũcios. Audita legatione,Bethfortus non ego, inquit, dumos sentesque discussi,vt alter auibus potiatur. Aurelianenses,pro mea voluntate subiugatos,recipiam,& quas per totam obsidionẽ impensas feci,eas cõpensabunt.Id vbi ad Bur

Franci negligentes.

Aurelianum ab Anglis obsessum.

Mors Salsberiensis comitis

gundũ perlatũ est, Potonus, re infecta, Aurelianũ reuertitur. Et ab hinc cepit Burgundus animum ab Anglis aliquando discedendi, quia eos videret glorię eius inuidere.

Iohannæ puellæ ad Carolũ aduentus.

Erat illis diebus, apud Vallicolorẽ, annos xx. nata, Iohanna: quæ patre Iacobo Darco, matre Isabella, in vico Dampremo genita, ob corporis perpetuam integritatem, puellę appellationem obtinuit. Ea rerum pręsentium aduersitatibus, deo autore, compatiens: Robertum Baudricurtum, oppidi præfectum: aliosq; complures præsidii equites, duce auunculo suo, crebrò adibat, eos admonens, vt ad Carolum eam deducerent, allaturam rebus desperatis non minimam opem. Mulierem Baudricurtus parui à se æstimatam, iterum atque iterum aspernatus, perseuerantẽ demum exaudiuit, datisq; puellæ corporis custodibus, eam ad regẽ duci iubet. Ad Carolum veniens puella, tametsi nullo illum tempore vidisset, ipseq; cæteris aulicis, veste minus ornatus, data opera, esset, reuerenter tamen, atq; vrbane regem intuita, salue, inquit, generosissime rex, detque vitam tibi prosperam deus. Cui, cum se regem esse Carolus pernegasset, ah, inquit puella, tu ipse rex es Francorũ nobilissimus. Ad hæc verba spem cœpit rex cuiuspiam fortunæ melioris. Itaque selectis prudentibus aliquot viris, qui eam diligentius probarent, illa se ideo venisse constanter affirmat, vt Carolum in regnũ restituat: deum ita decreuisse, vt se duce Aurelianenses obsidione liberentur, & Angli Francia tandem extrudantur, perductu rã se Carolũ ad Remos, vbi more maiorũ, sacra vnctione liniatur: de quibus omnibus oracula diuinitus accepisset. Tantũ copiis opus esse, quas illi ducendas Carolus cõmittat. Et dum aliis arduis, & ad religionẽ Christianam pertinentibus, multa accurate rogaretur, supra fœminæ sensum respondebat. Siue enim de diuinitate, siue de bello quæreretur, non muliebriter, sed scite, & quasi perita, loquebatur, *ita vt* mulier admirationi esset multis. Perpẽso igitur cõsilio, visum est optimũ factu esse, si auspicio eius Carolus ad bellũ vteretur. De importando Aureliã commeatu, primum mandatũ puella accepit, quam Raius & Delorus, aureæ militiæ equites, valida armatorum manu stipati, comitabãtur. Profectis Blesam, obuii adueniunt Reginaldus Chartrus, Remorũ pontifex, Francię cancellarius, Aurelianensis nothus, Stephanus Hirus, aliiq; non pauci electi milites. Commeatu curribus imposito, & milite instructo, ex Blesis, per Solonam, Iohanna mouet, atq; postridie, Aurelianũ versus progreditur.

Iohannæ gladius.

Vtebatur puella in expeditionibus gladio, quem hoc modo nacta erat. Est templum in agro Turonensi, diuę Catharinæ dicatũ, genti regionis illius plurimũ venerabile: vbi donaria plurima atque vetustissima visuntur. In eo tẽplo, antiquum ensem, inter sacras oblationes, vtraque parte liliis insculptum extare, Carolo Iohanna patefacit: petens, vt misso ad templum armorum fabro, gladiũ illi dono perferat. Admiratus Carolus, si templum illud aliquando Iohanna inuisisset, percunctatur mulierem, qualiter id norit. Neq;, inquit puella, locum noui, neque humano ad hoc auctore vsa sum. Deus est, qui reuelauit. Mittit rex opificem, qui inuentũ ad se gladium ferat. Profectus ad templũ faber, ensem, inter squalentia alia arma, rubiginosum ad Carolum perfert. Quo mox Iohãnam rex donauit. Sed de Anglis orationem persequamur. Angli, qui ad propugnaculum sancti Iohannis Blanci erant, Francos venire audientes, loco deserto, ad fratrum Augustinensiũ ædes, quæ ad extremũ pontem in diui Laurentii suburbio spectant, se receperunt. Puella vero per medios hostes, flumine traiecto, quem vehebat, commeatũ in vrbem importauit. At, quandoquidem victualia tenuia erant, Raius & Delorus cum suis Blesam remeantes, ciuitatis periculum cancellario narrant, cui nisi succurratur, venturã esse in hostiũ potestatem.

Aurelianensis obsidio.


Et Iohãnes Auralinnensis nothus, magnopere orabat, laborantibus ciuibus suppetiatũ iri. Stetit omniũ sententia, copiosissimũ commeatũ ad obsessos ferre, & iter facere per Blesam, qua parte obsidio ciuitatem magis vrgebat. Copiis igitur, vecturisq; rite ad iter ordinatis, Frãci dimidia (quę est inter Blesam, Aurelianũq;) via confecta, castra ponentes, restiterunt, se suaq; corpora curantes. Crastino diluculo insequentis diei, cùm ad duo passuũ millia ciuitati successissent, Iohanna, assumptis aliquot, cum valida manu, præfectis, vrbe egressa, venientibus obuiam pergit. Atque ita exercitibus coniunctis, cum Franci inferiores hoste nõ essent, in cõspectu Anglorũ prætereũtes, in ciuitatẽ recepti sunt.

Victualibus

Victualibus ciuitate confortata, Iohanna armis egregie inſtructa, ad propugnaculum (quod ſancti Lupi appellabatur) mouens, Anglos, qui in eo erāt, potenter oppugnat, atque vincit, nemine ſuperſtite, qui vel occiſus, vel captus non fuerit. Hęc cum in conſpectu maioris propugnaculi gererentur, tētauere hoſtes eruptionem facere, & ſuis auxiliari: ſed mox in propugnaculum ſe receperunt. Franci minore propugnaculo diſſoluto, poſtquam in vrbem rediere, multis coitionibus clam habitis, an Londonias propugnaculum oppugnatum irent, cōmunicato tandē cum Iohanna cōſilio, illa ſuccēſens, nihil me, inquit, proceres celaueritis, potis ſum hæc & maiora animo condita meo ſilere. Tacuerant ſiquidem proceres, ne muliebri leuitate res in vulgum prodiret, quòd propugnaculum oppugnandum ſimularēt, vt Anglos, qui Salonam verſus in obſidione erant, in alteram Ligeris ripam allicerent, dum ſuis auxilio venire feſtinarent: quibus à ſua ſeſſione mouentibus, Franci eorum ſtationes occuparent. Nec iram Iohanna poſuit, donec Iohannes Aurelianus nothus, id quod conſilio definitum eſſet, illi enarrauit. Cognito decreto, ſententiam, inquit puella, laudo, ſi opus reuera aſſit. Nam, cum cordata eſſet, & confidens deo mulier, multa, quæ à præfectis de bello conſulebantur, improbabat: nihil obſidionis tempore, ſiniſtre aut infœliciter gerens. Aderat enim prælìantibus, ſuis armis inſtructa, equo vſa potenti & animoſo, in quem expedite, inſtar expediti militis, cōſcendebat. Igitur multa omnino cogitans, operæprecium cenſet, ſi hoſtem inuadat, qui ad extremum pontem, ad ſancti Laurētii ſuburbana ſedebat. Erant in flumine naues non paucæ muris ciuitatis deligatæ. In eis multo milite impoſito, Ligerim tranſmittit: copiaſq; in cotinentem exponit, inſultū factura in hoſtē. Pugna tum illic eſt, donec occumbente fere ſole, receptui ſignum puella dat. Regredientes in naues Francos, Anglus adoritur. Eam ob rem puella ſuos cohortata, hoſti reſiſtit, propulſatq; perſequēs eū, vſq; ad Auguſtinenſiū ædes: quàs licet Anglus munitiſſimas feciſſet, captas tamen, fugato hoſte, Franci occupauerunt. Erat ad eum (quem dixi) pontem, proxime Auguſtinenſes, turris, ex quadrato lapide, cum propugnaculo & foſſa. In eo loco fugiens Anglus, ſe recepit. Vbi excubias cōtinua nocte habens Iohanna, cùm illuxiſſet, propugnaculum oppugnare iubet, aſſerens tēpus proxime adeſſe, cū Anglus vincendus atq; regno expellendus erat. Dum hinc Francus inſtat, illinc hoſtis acriter ſe tuetur. Iohāna in humero, ſcorpione, ex propugnaculo, miſſo vulneratur: quo vulnere neq; triſtior, neq; negligētior fuit, ſtans continenter ad foſſæ labrum, & militem fortiter agere admonens. Continuata obſidione, cū adveſperaſceret, Francus in foſſam omnibus partibus dilapſus in propugnaculū ſcandens, vi expugnat: quadringētis Anglis interemptis, cum prȩfectis tribus, Mollino, Iohānne Pommaro, & Guillermo Glaſſida. Cȩteri omnes capti, in poteſtatē venere Francorū. Hæc à Iohanna geſta, hoſtis, qui Belſiam verſus, grādè propugnaculū habebat, proſpicere facile poterat. Caſu igitur ſuorum perterriti hoſtes, poſtquā ab vrbe campanas, toto claſſico, velut in cōmuni lȩticia, pulſari exaudiunt, mane facto, Magdunū (deſerta obſidione) cōfugiunt. Ad hunc modū, diſſoluta obſidio eſt, & ciuitas ab hoſtis poteſtate erepta. Quod maximū momentum ad Caroli fortunā fuit. Tallebotus autē, ægre ferens, ſe Aurelianenſi circumuallatione fruſtratū, damnum cōpenſaturus, Lauallū aggreditur, arcem oppidūq;, nocturno furto inuadens. Cæpit ibidem Lauallū comitē, quē donec quinq; & viginti ſcutorū millia illi exſoluiſſet, in vinculis habuit. Interim Iohāna Carolū regē ſollicitat, maiores copias cogere, & ſibi recuperare, quȩ in agro Aurelianenſi ab hoſte occupabātur. Vocato propterea ad ſe Alenconii duce, Carolus, Gergeū petere imperat. Affuerūt mox Iohānes Aurelianēſis nothus, Bouſſacus Mareſcallus, Grauilla, Culautus Admiraldus, Ambroſius Delorus, Vignolus Hirus, & Guillermus Bruſſacus: qui tametſi ſtipendio regio nō iuuarentur, viſendæ tamē Iohannæ cauſa, quā diuinitus miſſam arbitrabātur, militare nō recuſabant. Itaq; Gergeū profecti oppidū poſt octauū obſidionis diē expugnāt. Nec multis interpoſitis pòſt diebus, Magdunū auctis copiis, Carolo iubente, mouentes: pontē cum turri capiunt, poſitoque præſidio Bogentiū protenus cōtendere. Audito Francorū aduentu, Angli relicto oppido, in arcē (quȩ eſt ad pontē ſupra Ligerim amnē) cōfugiūt, quā (dimiſſis libere

abire Anglis) Franci receperunt. Recepta arce, rumor per Francorum castra increbruit, Tallebotum & Iohannem Fastolũ, cum quinq; Anglorũ millibus, apud Ienuillam, in Belsia, visos esse: qui Magdunũ proficiscerentur. Missis exploratoribus, postquã id verũ esse Franci cognouerũt, cõposito agmine, in hostẽ mouẽt, & apud Pataium, propter quod tẽplum illic munitissimũ erat, castrametantur. Stabãt in excubiis Belmanorus, Ambrosius Delorus, Hirus, Potonusq; hostis aduentũ explorãtes. Quos non longe cũ iusto exercitu sequebantur Alenconius dux Richemõtus Conestabilis, Vindocinensis comes, Iohannes Aurelianensis, nothus, & Iohanna puella. Angli vero, dũ viã pergũt, cõspectis Francis, ad proximũ nemus iter cõuertunt, pugnandi locũ sibi idoneũ captãtes. At, qui in excubiis erant, nullo, se colligẽdi, spacio hosti dato, prælium cõmisere: ita, vt equitatũ omnẽ Anglorum in fugã coegerint. *Anglorum cædes.* Pedites quidã, visa equitũ fuga, in nemus & viculũ, qui iuxtà erat, dilapsi, nemoris beneficio, vt quisq; poterat, se tuebãtur. Interim Alenconii dux, acie instructa, aduenit. Tria circiter millia hostiũ in ea pugna cecidere, captis ex Anglorũ nobilitate, cum Tabelloto quãplurimis. *Tabellotus capitur.* Tũ in Caroli potestatẽ venit Ienuilla, & alia quædã per Belsiã loca. Mense Iunio, insequẽtis anni, qui fuit Christianæ gratiæ CCCCXXIX. supra M. Iohanna puella, Carolũ conueniẽs, iã inquit, serenissime rex, hoste superior esse incipis. *Initium consecrationis Caroli VII.* Multas vrbes atq; arces ex Anglis ereptas, tibi audientes videmus, nunc tuę cõsecrationis tẽpus aduenit. Diuinæ dignationi placet, ad Remos proficiscaris, vbi more maiorũ, sacra vnctione delibutus, diadema suscipias. Qua re vna, venerabilius Frãco populo tuũ nomẽ erit, & hosti formidabile. Nihil te perterreat, quòd Cãpania, & reliqui fere Belgæ omnes, ab hoste tenentur: viã tibi propiciatore deo parabimus. Tantũ copias cõtrahe, & dei decretũ exequamur. Hæc Iohãnæ verba, spẽ omnibus magnã faciebant, propterea quòd vitæ puritate puella prę se ferebat sanctitatẽ, & nihil muliebriter agebat, aut loquebatur. Enimuero, sacerdotali cõfessione quaq; fere hebdomada, cõscientiã purgabat, & diuinã eucharistiã desumebat. Igitur collecto, apud Gien, nõ mediocri exercitu, Carolus Remos, per Campaniã, petere cõstituit, præmissa cũ aliquot prę̨fectis Iohanna puella, qui obstantẽ forte hostẽ impedirent. Proxime Antissiodorũ Carolus cũ venisset, *Antissiodorus* prodiere illi obuiã aliquot ciues, sed in ciuitatẽ non admiserũt. Erat illis diebus Trimolus, qui multa apud regem auctoritate habebatur. Hunc ab Antissiodorensibus pecuniam accepisse, constans fama fuit, vt illis liceret induciarum beneficio frui. Itaq; ciuitati nihil incommodatum est, cibos exercitui ministrãtibus incolis, dum precium solueretur. Præterita Antissiodoro, Carolus S. Florentinum recepit, oppidanis se libere dedẽtibus. *Sanctus Florentinus.* Trecas inde profectus, post sextum diem quàm illic, desperata deditione, sedisset. *Trecenses.* Laboratum est in exercitu fame, ita vt plærique fabis, & triticeis spicis tantum milites vescerentur. Rerum pœnuria cognita, Carolus primores exercitus ad contionem vocans, petit, quid ipsi faciendum esse censerent. Nemo omnium fuit, qui reducendum exercitũ esse non diceret, cum neque commeatus, neque stipendiũ militi sufficeret. Vnus tamen Robertus Massonus, quamquam ab hac sententia non abhorreret, vellent, inquit, Iohãnam de hac re audire. Quæ enim præsentis expeditionis auctor fuit, ipsa suis consiliis paratum forte auxilium feret. Igitur vocata Iohanna, rogata sententiam ad Carolum conuersa: Si ego, inquit, quod verum teneo, eloquar, an mihi rex credideris? Id cum secundò quæreret: Tibi, inquit rex, si quod profuturum sit, dicas, credam. Trecenses, inquit puella, tui sunt & intra proximum biduum se ciuitatemque tibi dedent. Credulus fœminæ rex, stare loco copias iubet. At Iohanna confestim equum inscendens, quemque militem cogit, ea, quæ ad oppugnationẽ necessaria erant, ad muros importare. Quod animaduertentes Trecenses, loci antistitem cum ciuibus aliquot, & militum quibusdã præfectis ad Carolum legant, ciuitatẽ dedituros, si miles Anglus inde abire cum iis, quos captiuos habebat, libere permittatur. *Nota in rege fidem.* Cõditione accepta, rex postridie Trecas ingreditur. Egrediẽtes vrbe hostes, Iohãna captiuos abducere, vetat. Quorũ redẽptionis preciũ, ne fidei & positæ cũ hoste legi detraheret, rex exsoluit. *Cathalaunũ.* Ordinatis apud Trecas magistratibus, Cathalaunos petit, qui eũ cõmuni omniũ lętícia excipientes, ministros reipublicę, quos Carolus instituit, admiserũt.

Inde



Inde Remos, qui Anglo parebant, adoritur, quos nulla vi recepit, lætis, proculdubio, ciuibus suum regem excipere. Eò venere dux Barrensis & Lotharingię: Commersiensis quoque dominus: non paucas copias ducētes, vt regi inseruirent. Itaq; Carolus & vnctus & coronatus est, à Reginaldo Chartrēsi, Remorum antistite, assistente puella, quæ militare vexillum manu gerebat, nimirum exultans, quòd se vna hortante, Carolus regni diadema & sacram vnctionem, loco celebri, atq; huiusmodi sacris multos per annos, ad id muneris designato, recepisset. Sacratione absoluta, relictis Remis, Vellium iter agens, oppido libere potitus est. Nec Suessiones signum vllum rebellionis ostenderunt. *Vellium. Suessio.* Simili quoque modo, per Briā nonnulla fortia loca fecere deditionē. Priuino oppido cū Carolus ageret, Bethfortus *Priuinum.* cū XII. armatorū millibus ex Parisiis ducens, Corbolium accessit, animo (vt ipse iactabat) pugnam cum Carolo conserendi. Id vbi regi cognitum est: Priuino discedens ad castellum (cui Mota nomen est) exercitum duxit, non ob aliam causam, quam vt Anglo pugnandi faceret potestatem. At Bethforto mens fuit, Parisios repetendi. Constituerat Carolus Sequana amne traiecto, Braium proficisci, promittentibus oppidanis, transitum se concessuros. *Braium.* Sed Francis Anglisque concurrentibus, eodem tempore, ad ripam, vt traiicerent, leui commisso prælio Carolus suos transire prohibuit. Exactis pòst non multis diebus, Castrum Thiericum profectus, *Castrum Thiericum.* mox per Valesium Crespeiumque præteriens, castra in campo, iuxta Dammartinum ponit, spe animoque erectus, Parisium recuperandi. Cognito, quòd ad se Carolus aduentaret, Bethfortus ad vicum Mitriacum copias eduxit, sex à Dammartino millibus passuum distantem. Vbi loco, natura munitissimo, militem continet. Præmissis aliquot equitibus, duce Stephano Hiro, qui Anglos adequitarent: vbi resciuit, hostē loci munitionibus confidere, Carolus suos vltra progredi vetat. Bethfortus autem Parisiū citissime reuersus est. Miserat, per hos dies, Carolus, ad Compendium Beluacensesque nonnullos ex suis fidissimos: exploratum, quo in se animo incolæ essent. Cognoueratque illos cupere maxime, ab Anglorū seruitute liberari: eique obtemperare, qui verus rex esset. Proinde Barronem Siluanectensis agri vicum, vt Compendium peteret, profectus: cognoscit, Bethfortum maioribus copiis auctum, in se ducere. *Improbus sacerdos & sacrilegus.* Patruelis siquidem Henrici, Anglorum regis per superiores dies Romanus cardinalis, à pōtifice Romano legationem, ad Anglos receperat, pecuniam militemque cogēdi, aduersus Bohemos: qui de Christi doctrina & fide non recte crederent. Qui millibus quatuor armatorum in Galliam traductis, se cum Bethforto coniunxerat, in Francos arma conuertens: quæ in Christianæ religionis hostes, simularat accepisse. Igitur, vt de Bethforti accessu certior Carolus redderetur, Ambrosium Delorum, cum viginti tantum equitibus, exploratum, quid apud hostem geratur, mittit. Qui iter ingressus, videt procul densissimum puluerem in aërem ferri, nec dubius fuit, id progredientis agminis indicium esse: moxque paulo vltra pergens, Anglos manifeste conspicatur, idque per caduceatorem Carolo festinanter renūciat. Ea re cognita, Carolus acie ordinata, Siluanectum iter facere constituens, apud montem Piliolum (qui mons contemplationis aliquando dictus est) cum venisset, redeunte Ambrosio Deloro, accepit Anglos Barronem ducere, per riuum, qui ex Siluanecto perfluit, sed eos magnopere impediri vadi angustia, per quod vix bini euadere possent. In ea traiiciēdi difficultate: ratus Carolus, hostem intercipi posse: primam aciem incedere iubet. Sed iam magnam sui exercitus partem Anglus trāsmiserat. Quamobrem Carolus suas acies in cōspectu hostis habuit: moxque leuibus cōmissis digladiationibus: cum sol condere se inciperet: Angli, ad ripam fluenti, castra posuere, aggere, vallo sudibusque sese munientes. Habentes præterea à tergo lacum. Rex autem in monte Piliolo suos continuit. Postridie cum illuxisset: Carolus quaterna acie instructus, in Anglos ducit. Primam Alenconii dux, & Vindocinensis comes, administrabant. Secundæ præerat dux Barri. Tertiam ducebat Raius & Boussacus, Franci Marescalli. Quartam, quę ad excursiones instituta erat, & cui frequenter locum mutare necesse esset, moderabantur Albretus, Iohānes Aurelianensis nothus, Iohanna puella & Hirus. Sagittariorum balistariorumque curam gerebant Grauilla & Iohan-

nes, Foucaudus Lemouicẽsis. Regis custodiam, Borboniorum dux Trimolusque receperant. Aciebus, ad hunc modum, instructis: decretum erat, Anglos adoriri. Sed cognito, quantum illis locus adiumento esset, leuibus aliquot prœliis ante castra vtrinque cõmissis: cum neque conuitiis, neque prouocationibus, è castris excitari hostis posset, Francus tandem ad hostiũ castra proxime profectus: manu tan diu conseruit, donec aduesperascente, & multo puluere cælo caligante, fuerit prœlio desistere coactus. Mane facto, rex Crespeium: Bethfortus Parisiũ petiit. Biduo pòst recepit Carolus Compendium, vbi prȩfectum posuit, Guillermum Flauium, loci indigenam. Eò quoque Beluacenses conuenere, regis potestati se permittentes. Idem fecere Siluanectenses, qui misso ad Carolum suo, cum aliquot ciuibus, antistite, ciuitatẽ dedidere: quò rex paulo pòst se ipse contulit. Bethfortus prouidens animo, quã benignior fortuna Caroli rebus arrideret: Parisio abire cõstituens, Ludouicum Luxemburgũ, Morinorum episcopum, quẽ Franciæ cancellariũ, Anglorum factio appellabat: & Iohannẽ Rachetũ, equitẽ Anglũ, vnà cum Simone Morhiero, Parisianũ prætorẽ, ciuitati administratorẽ prȩposuit, cum duobus armatorum millibus, ad prȩsidiũ, relictis. Reliquũ vero exercitũ, ad Normãnos profectus cõpluribus, suæ factionis, locis dispartiuit. *Sanctus Dionysius.* Igitur cognito Bethforti discessũ, Carolus ad sanctũ Dionysiũ ex Siluanecto mouens, oppidũ (excipientibus eum ciuibus) ingressus est. Tertio pòst die, Franci, Caroli iussu, ad vicũ (cui capellæ appellatio est) castris constitutis: cum ibi pernoctassent: eruptione in eos à Parisiacis facta, crebris præliis cõsertarunt: non secus, ac si prȩludia quædã armorũ agitarent. *Pugna ad sancti Honorati Parisiensis portam.* Repetẽtibus tandẽ ciuitatẽ Parisianis: Frãci, duce Alenconio, ad sancti Honorati portam copias promouere, expugnantes confestim propugnaculũ, quod pro porta extructũ erat. Qua spe adducta Iohãna: ciuitatem quoq; oppugnare, præter omniũ opinionẽ, constituit. Est ab ea parte duplex fossa, & inter vtrãq; ager. In priorẽ, neq; aqua neq; luto impeditam, cũ facile Franci descendissent, alteram fossam superare bor fuit: propterea, ꝙ latior & aquæ affatim plena esset. Importatã vndiq; materiã cũ Iohanna in fossam opplendã iacit, è muro sagitta in crure percutitur: nec eo tardius in opere perseuerat, commilitones pȩrseuerare cohortãs. Nec potuit inde reuocari, donec Alenconius negociosam mulierẽ per se reduxit. Signo receptui dato, Franci ad sanctũ Dionysium iter cõuerterunt. Quo tẽpore ex Latiniaco ad Carolum nuncii conuenere, qui oppidũ tradere pollicentur. *Latiniacum.* Quare missus Latiniacũ Ambrosius Delorus, oppidũ recepit. Carolus autẽ è sancto Dionysio digredi volens: ducem Borboniũ admistratorẽ instituit, earum ciuitatũ, quas à tempore suæ vnctionis in Belgis receperat: relicto, cũ firmis copiis, apud sanctũ Dionysiũ, Vindocinensi comite, & Cullanto. Atq; inde Latiniacũ profectus: mox montem Argi præteriens: Ligerim traiecit. Abeunte Carolo, Angli Burgundiq; sanctũ Dionysiũ recuperant: Siluanectũ petentibus iis, qui ex Caroli instituto, ad præsidiũ relicti erãt. Mouit præterea hostis ad Latiniacũ copias. Sed egressus oppido Delorus cum Iohanne Foucaudo, ita hostem distinuit, vt nulla illi fuerit potestas, proxime oppidum castra admouendi. Quare admirati resistentiam hostes, Parisiũ remearũt. *Lauallum.* Cepere per id tempus Lauallũ tres Normanni equites, Homerus, Bochetus & Ferrerius, adiutore multore quodam, qui molendino præerat, In amne Marona: qui proxime oppidũ perfluit. Et Ambrosius Delorus Foucaudusq; de capienda Rothomago, clam consultantes, freti ope magni Petri, qui Rothomagensis erat, magna spe ducebantur intercipiendæ ciuitatis. Sed definita die, cum iter noctu copiæ faciũt, *Error militis.* tenebris falsi, alii Rothomagũ: alii aliò, errãtes, diuerterũt. Fuitq; eorũ inceptatio ad hunc modum irrita. Per eos dies, miles Francus, qui in vrbibus, recenter in fide *Solitudo per agros & vicos.* Caroli receptus erat, mirũ in modũ vexare incolas & ciues cepit, nemini parcens, & in omnem rapinam dissolutus. Qua iniquitate factum est, vt diffugientibus colonis, agri compluribus locis, inculti remanerent, &, quæ terræ frugũ feracissimæ erant, sentibus ruscisq; squalerent, in saltus & siluas cõuersæ. Ingentes vici, & iidẽ populosissimi, sine incolis, dilabẽtibus structuris, deserti vacuiq; mox ferarum lustra fuere. Quæ animaduertens Borboniorum dux, domũ se contulit: relicto Siluanecti Vindocinensi comite, cui paulo post Carolus Boussacũ cum octingẽtis armatis

matis misit, præficiens illũ regioni, quam Borbonius reliquerat. Iohãna vero puella, sub eisdẽ diebus, sanctum Petrũ Monsteriensem cepit. Inde cùm ad Charitatem copias promouisset, irritam obsidionẽ habuit, amissis plerisque tormentis, machinisque bellicis. Erat castellũ sancti Selerini, in principatu Aleconii ducis, vetus & longe desolatum: quod instaurare dux cùm cœpisset, aduocato ad se, ex Latiniaco Ambrosio Deloro, castellũ illi cum valido præsidio commẽdat. Recepto castello, Ambrosius mira admodum diligentia locum munit: nihil omittens, quod ad arcis custodiã pertinere arbitraretur. Verumenimuero, Angli, priusquam munitiones absoluerentur, castellũ circumsident. Pressis obsidione Francis, Delorus precibus suorum victus, simulata eruptione, noctu cũ quinq; armatis Chinonem profectus est, nuncians regi, quæ ad sancti Selerini arcẽ gerebantur. Quibus cognitis, Carolus copias per Cœnomanniã, aduersus Anglos, ire iubet. Id vbi Anglus accepit, omnia in celeritate ponens, arcem confestim acerrime oppugnat. Quod cùm haud satis procederet, altera die obsidionem soluit. Idem quoq; dum apud Latiniacum facere aggreditur, intentione sua frustratus est: oppidũ egregie tuentibus Foucaudo Marescallo & Quennodo, Scoto equite. *Castellum sancti Selerini.*

HIS diebus puella, cùm Latiniacũ accessisset, cognito quòd quadringenti ex Anglorũ copiis nõ procul à Latiniaco in Franciã contenderent: assumpto Foucaudo & Iohanne de sancto Albino, & aliis ex Latiniaci præsidio, hostẽ adoritur, omnes ad vnũ necans. Sed non multis pòst diebus, dissimilis apud Compendiũ fortuna illi fuit. Nã Anglis Burgũdionibusq;, in Cõpendii obsidione, sedentibus, Iohãna subsidiũ obsessis ferẽs, cum oppidũ ingressa esset: & paulo post eruptione in hostẽ facta, res non prospere sibi succederet: dum oppidum repetit, & militũ pressura adi tum præcluderet, capitur à Iohãne Luxẽburgo: qui eã Anglis venũdedit. A quibus hostiliter habita, Rothomagi cremata est, odio videlicet, nominis Franci, &, quòd virili veste fœmina vsa esset. Prius tamen, quam sententiã diceret hostis, frequenti foro & crebris cõsultationibus puellã tẽtat: de fide atq; religiõe Christi multa scrutatus. Arbitrabatur enim, mulierẽ magia aliqua edoctã, à Carolo rege assumptã esse: & propterea à Catholica veritate Carolũ aberrasse: indignũq; esse, cui regnũ deberetur. Sed suprà fœminæ vires fuit: pluribus cũ hoste (vt est nõnullorũ mos) per assentationẽ sentientibus, præualere: quamquã se, & quęcũq; gessisset, Apostolicę sedis examini permitteret. *Apud tyrãnos semper fuere iniqui cõsultores, qui affectione mala, vel assentatione cæci, insontes pro nocẽtibus, vt cũ principibus gratiã inirent, damnare magis, quã absoluere curarẽt. In eam enim partẽ propensiores sunt, in quã principis animũ procliuẽ vident.* Obiit puella dominicæ pietatis anno MCCCXXX. mense Maio. Sexto, ab obsidione, mense: laborãtibus Cõpendianis victualiũ pœnuria, Iametus Tillaius cum centum equitibus oppidũ, laturus suppetias, ingreditur. Eius loci Guillermus Flauius custodiam gerebat: & ei assistebat Philippus Gemacheus, sancti Pharonis Meldensis abbas: homo genere illustri: qui obsessis & animos faciebat, & spẽ adiiciebat victoriæ. Interim Vindocinensis comes, & Boussacus, quingentis, supra mille armatis contractis mouentes: turrẽ ligneam grandẽ, in quam se Angli, obsidionis tempore, recipiebant, expugnant. Dumque eam Angli oppugnant: Iametus, eruptione facta, alteram turrem (quæ siluam versus extructa erat, & Burgundionum præsidio tenebatur) inuadit. Qui cum quadringenti essent, vniuersi interemti sunt. Hostis tanto damno affectus: nocte insequenti, desertis castris, atque obsidione dissoluta: alter Normanniã, Picardiam alter remigrauit. Eodem ferme tempore, Meldunenses, occasionem libertatis nacti: ab hoste discessere. Qui enim, in præsidio apud illos erant, Angli atque Burgundiones: oppido aduersus Francos cum excessissent, paucis in pręsidio relictis, oppidani, leuis contentionis causa aduersus præsidium suscepta, arma capiunt. Erat tum Melduni tubicen quidam, vetulus: qui Carolo aliquando seruierat. Hic rixæ casum intelligens, ciuibus signum tuba dat rem gerendi. Itaque fugatus oppido hostis, in arcem se recepit. Meldunenses vero, id quòd apud eos gereretur, festinanter renũciant Geresmo, Rhodii ordinis cõmẽdatario, & Dionysio Challio, qui eo tẽpore in Bria erãt, cohortes aliquot militũ habẽtes. Hi nihil morati, Meldunũ proficiscẽtes, arcẽ, post duodecimũ

Cap. 2

Puellæ Iohannæ fortuna mala apud Compendium.

Compendium recuperatur.

circumseptionis diem, recipiunt. Neque pigritantes, priuignum cum arce, per idē tempus vi ab Anglis extorquent. Recuperant præterea per Briam regionem, oppida atque arces, cum Corbolio & Vincennis. Et apud Cathalaunenses, ingens de hoste cædes facta est.

Cædes Anglorum apud Cathalaunum.

Itaque ducentibus Anglis Burgundionibusque octo millia armatorum, vt per Campaniam grassarentur, & prædas agerent: Barbasanus Cathalauni tunc agens, cognito, quòd hostis apud diuam Mariam de Spina castra haberet, accersitis vicinarum arcium præfectis, cum se iustum exercitū habere confideret, hostem adoriri festinat: misso ad Burgum Vignolum, Hiri fratrem nūcio, qui apud castellum Serreium erat, vt pugnæ adesset. Quo veniente, actior pugna commissa est, & hostis superatus.

Rex Henricus Hērici filius, Parisium ex Anglia venit.

Nondum sub illis diebus, Henricus, Angliæ rex, patre Henrico defuncto, in Franciam traiecerat. Anno autē salutis MCCCCXXXI. cum annorum esset XII. multa nobilium caterua, copiisque stipatus, Parisium aduenit: vbi magnis honoribus exceptus, in diuæ Mariæ templo, regni diadema, cardinalis Vicestrensis ministerio, suscepit. Hic enim cardinalis, cum Henrico, eius gratia, aduenerat. Dum hæc Parisii agūtur, princeps Auraicensis, à Gaucurto (qui Dalphinatibus præerat) fugatur multis Burgundionibus occisis. At in Bellouacis alia fortunæ conditio fuit. Darondellus enim comes Anglus, constitutis non longe à ciuitate duorum millium armatorum insidiis, præmissisq; expeditis quibusdam militibus, qui Beluacenses ad eruptionem prouocarent: Boussicaudum & Santrallum, Vasconem, qui in præsidio erant, ciuitate egressos adoritur, multosque occidit, eorū præsertim, qui pedites ex Bellouacis concurrissent: quibus cum ipse Santrallus interiit.

Renati ducis Barrensis dira fortuna.

Fuit & iniqua Renato, Barri duci, fortuna. Barbasano quoque, qui cum eo militabat. Nam apud Barrū in obsidione sedentibus, cum accepissent Valdemontensium comitem, & Burgundionum Marescallum, cum valida Anglorū manu, in eos aduentare, relicta obsidione, hostem vallo carrisque circunuallatum impetunt. Capitur eo prælio Renatus, & Barbasanus, cum aliis plurimis, necatur. Renatus Philippo, Burgundo duci traditur: à quo, pro ipsius Renati liberatione, Casleti vallem, in perpetuam ditionem, dux accepit, & ad hunc vsque diem possident eius, in Flandria, successores.

Sancti Selerini Castellum ab Anglis obsessum.

Per eam tempestatem Vilbius nothus, Salsebetiensis, & Matogotus Angli, coacta suorum ingenti multitudine, sancti Selerini arcem appetentes, locum circūcludunt, vbi Ambrosii Delori vicarius erat, Iohannes Armengnus: qui obsidionem magno animo tulit, arcem potenter tutatus. Cognito obsidionis periculo, Delorus, qui illis diebus apud regem erat, obsessis subsidium mitti, solicite procurabat. Igitur Bueillus, & ipse, à Carolo, præmittūtur. Qui Belmontem Vicontum profecti, illic tantisper morati sunt, donec reliquæ copiæ conuenissent. Tertio die, postquam in eo loco restitissent, venere interim aliæ Francorum cohortes, quæ in vico (cui nomen est Binaiugus) tribus passuum millibus à Belmonte distanti, consedere. Inter Francorum cohortes, quæ ducētorum, supra mille, armatorū erant, fluebat Sattra amnis, qui ponte vno, non procul à Belmonte, transiri poterat. Angli vero, qui in obsidione sancti Selerini agebant, de Francorum conuentu certiores facti, pars intermissa obsidione, ad Francos, qui castra habebant, noctu ducunt, nec morati, præliantur. Excito mox, ex re insperata, clamore, Buellus, & qui cum eo apud Belmontem armati excubabant, ponte transmisso, laborantibus Francis dum opē ferre contendit, iam Angli victores, militaria signa extra vicum emiserant, parsque obligandis captiuis, pars recipiendis equis, & sarcinis conuehendis distinebatur. Hostem sic impeditum Franci inuadunt. Fit atrox prælium, vt deiectis vtrinque militaribus signis, diu sit dubitatum, quorum melior conditio esset. Denique victor Francus extitit, sexcentis Anglis interfectis, quam plurimis insuper cum Matagotho in captiuitatem abductis. Ex Francis triginta desiderati sunt, & paulominus capti. Inter quos fuit Delorus, diro vulnere perculsus. Paulo post tamen instaurantibus bellū Francis, recuperatus est. Huius cladis nuncio accepto, Vilbius cum reliquis sancti Selerini obsessoribus, Alenconium fugientes petiuerunt.

Carnotes.

Apud Carnotum res quoque prospere Francis cessit. Nam positis, tribus locis, insidiis, Aurelianensis nothus, Florētinum Dillerium, iuxta sancti Michaelis portam, in primis insidiis locat: secundas paulo à porta longius constituit.

Ipse

Ipse & Hirus, cum quingentis equitibus, sexcētis fere passuum millibus à ciuitate, tertias insidias agit. Ordinatos autē, & ad hoc à se edoctos aurigas cum curribus, qui pisces Allosas vehebant, sub lucem ad vrbem mittit, quos non secus, ac victualium vectores, in ciuitatē admittere ciues, simile vero erat. Aurigæ verò, cum quibusdam sibi notis ianitoribus pridie in colloquium venerant, & se illis allosas daturos promiserant, si diluculo venientibus patefacerēt ingressum. Igitur ianitores, vt appropinquantes aurigas cōspexere, socios adhortati, vt, festinanter aperta porta, piscibus potirentur, portam reserant: quam ex proximis insidiis Dillerius prodiens occupat, subsequentibus iis, qui in secundis insidiis erant: atque ita ante diuę Mariæ templum progressi, regium vexillum statuunt: Iohannē nothum expectantes. Concursantibus vero per vrbem armatis: loci antistes, qui Burgundus natione erat, occiditur. Laubespinus autem, ciuitatis præfectus, muros vrbis transgressus, aufugit. Ad hunc modum Carnotū receptum est. Obsessum est rursus, à Bethforto, Latiniacum, & magnis viribus frustra oppugnatum: Foucaudo Quennedoq;, *Latiniacum.* & Tenaldo de sancto Iohanne oppidum defendentibus. Extruxerat enim Bethfortus, ad pontis initium, ligneam turrim, & ad alteram oppidi partem, munitiones latissimas, ad stationem militum. Addiderat quoque sublicium pontem, qui à turre ad munitiones peruius esset, atque ita circūseptum exiguum oppidum, paucis diebus expugnare sperabat: quatiens crebris tormentis muros. Sed Franci ducibus Aurelianensi notho, Iohanne Raio, Iohanne Gaucurto, & Roderico Vallendrano, Hispano, Sequana transmisso, cum per Matronam commeatum nauibus important, obsessis, eruptione facta, oppidani Anglos, qui ad ligneā turrim, in pontis capite stabant, adoriuntur. Pars vero Francorum, quæ in alteram Matronę ripam nauigabat, turrim oppugnare festinabat. Expugnato propugnaculo, hostis partim capitur, partim trucidatur. Et veniens Bethfortus, suppetias laturus suis, haud profuit, sed repulsus, in munitiones se recipit. Franci quidem, commeatu in oppidum importato, Gaucurtum, ad oppidi custodiā, deputant. Reliqui per Franciam incedentes, aliquot arces captas solotenus deiiciunt. Francorū discessu cognito, Bethfortus veritus, ne in Parisios ducerent, dissoluta confestim obsidione, castrisque desertis, Parisium ire accelerat. Fuit per hos dies apud Argētonum, agri *Argentonum* Sagiensis, prælium pertinax atque admirabile, Francis triginta aduersus totidē An *in Diœcesi Sa-* glos pugnantibus. Nemo enim non vulneratus prælio excessit. Tādem nouem ex *giensi.* hostium numero, cum Argentonii Marescallo interemptis, reliqui Angli fugæ se commiserunt. Ex Francis cecidere Ambrosius Frolaus, Galterus Lapostus, & Dorus Rossaus: reliquis omnibus grauiter vulneratis. Fuere præterea, diuersis per Andegauiam locis, singularia quædam certamina, de quibus scribere superuacaneū iudicaui. Excursionem subiiciam, quam in Normannia Ambrosius Delorus prospere consummauit. Est apud Cadomēses annuus mercatus, quò Normanni, &, ex finitimis locis quamplurimi, vendendi emendique causa, in diui Michaelis festo, in campo ante beati Stephani cœnobium, conueniunt. Id cum non nesciret Delo- *Prosper in-* rus, accersitis finitimis militum præfectis, Petro Ialleto, & Ferrebonto, copias ex *cursus in Nor* sancto Selerino mouens, Orna amne superato, copiarum partem ad diripiendas *manniā à Frā* nundinas mittit: ipse cum equitibus quinquaginta, & sagittariis cētum, in subsidiis *cis.* stabat, aduersus Anglos, qui Cadomum tenebant, ne oppido erumpētes, reliquos interciperent. Itaque direptis mercibus, cum magno captiuorum numero, se recipientes Franci, postquam fluentum Ornam traiecere, ad lapideam crucem stare copias Delorus iubet. Ibi recensitis captiuis, omnes sacerdotes, senesque cum mulieribus, & pueris: & pauperes insuper agricolas, domum dimittit: cæteros, qui alicuius pensi erant, octingentos abduxit. Addam deinceps rem, inter seria, risu non *Ridiculum.* indignam. Venerat ad Feugeram, Cœnomanniæ vicum Guillermus de sancto Albino, cum octoginta equitibus Francis: vbi dum diuersatur, Angli in eum irruentes, non modice Francos terruerunt, ita, vt nothus quidam Bosaprestus, eques protenus fugiens, in rubo se occuluerit. Fit nihilominus apud Feugeram atrox pugna, & Angli superantur. Quorum duo profugi, ad rubum, quò Bosaprestus se abdiderat, euadunt. Ratus Bosaprestus persecutores esse, qui eum peterent,

peterent: qui, inquit, estis? Respondentibus Anglis, qui non minus pertimescerent se Anglos esse, eiusque potestati sese permittere, intellexit, rem prospere à Francis esse gestam. Vnde ab Anglis fide accepta, Bosaprestus, tanquam egregiam operam prælio nauasset, eos ad Guillermum de sancto Albino, captiuos perduxit. At ille, cuius ignauia nota esset, irrisus est, & captiuis priuatus. Est apud Fracos peruetusta consuetudo, grandem aliquem ramum vel procerum arbusculum frondosum, ad Maias Calendas, ludi causa, pro portis amicorum defigere. Id vt obseruarēt Angli, qui Frenumuicōtem occupabant, assumptum de more ramum, in conspectu arcis sancti Selerini, vbi Delorus in præsidio erat, in terra defigunt, protenus abeuntes. Quos mox Delorus insequens, euulso, quem hostis detulerat, ramo, eundem proxime propugnaculū Freniuicontis, per leuis armaturę milites, plantare iubet: præmisso Iohanne Armengno cum octoginta peditibus, qui singulos virentes ramos manibus gestarent, ad fallendum hostem. Delorus vero in insidiis non longe delituit. Postquam pedites nō procul ab arce, pone densissimam sepem, cum ramis se collocassent, Angli, vbi frondosum stipitem, pro portis arcis, defixum cōspiciunt, protenus arce egressi, eos qui ramum humo defixerant, acriter persequuntur, donec ad Delori insidias peruenere. Prodit confestim in hostem Delorus, & prælio *Anglorum cædes* cum hoste contendit. Qui vero pedites ad sepem stabant, se inter arcem Anglosque medios locant, atque hoc pacto interceptum hostem fundunt, occiduntque compluribus captis. Eadem fortunæ benignitate vsus est, apud Sillum Guillermi, Delorus. Anglos enim ex arce sanctæ Susannæ, in Sillum Guillermi, mouentes, cùm prædas fecissent, superueniens Delorus ducentos ex hostibus interimit, ablatis spoliis, captiuisque receptis. Neque deteriorem fortunam expertus est, aduersus comitem Darondellum, in pratis amnis Satrensis, secus vicum, quem Gratalum incolæ vocant. Nam cum sexaginta, supra centum, equitibus aduersus tria An*Hirus capitur* glorū millia præliari audens, prædas ex hoste reportauit. Contra accidit, apud Louerium, Hiro. Qui ab Anglis obsessus, dum, quærēdi subsidii causa, loco egreditur, à Iohanne Marsio, Dordani præfecto, captus est, & Louerium ab Anglis subiugatum. Sancti præterea Selerini castellum, interemptis Iohanne Armengno, & Guillermo de sancto Albino, Darondellus, post trimestrem obsidionem, cœpit. Inde ad Sillum Guillermi ducens, obsides, de oppido dedendo, accepit: ea lege, vt eos, si, intra quadragesimum diem, Francorum subsidio obsessi iuuarentur, saluos dimitteret: alioquin deditione facta, oppido ipse potiretur. Erant ad id tēporis Francorum copiæ in armis paratæ, quas Ambrosius Delorus, ad sanctum Selerinū ducere, sperauerat: quibus prærant Alenconius, & Andegauus duces, & cum illis Richemontus Conestabilis. Hi cum suis ad Lomellum (sicut inter Sillenses Anglosq; conuenerat) proficiscuntur. Stabat vterque exercitus in alterutrius conspectu. Vnde & congressus & prælia commissa sunt, non quidem integra acie, sed cohortibus hinc atque hinc in se concursantibus, & interdum occidentibus. Nam, quandoquidem Angli loco se munitissimo continebant, visum non fuit Francis, eos totis copiis impetere. Sed, misso ad illos caduceatore, petunt, aut pugnandi potestatem faciant, aut obsides reddant Sillensibus. Obsides Anglus restituit, & Franci domū *Perfidus Anglus.* rediere, rati hostem idem facturum. *Sed vix obliuiscitur perfidiæ, qui fraudulentus est.* Itaque abeuntibus Francis, hostis ad Sillum se contulit, arcem summis viribus oppugnans. Nec multum abfuit, quin expugnaret. Discedens inde Darondellus, per Cœnomanniam Andegauiamque excursiones faciens, arces duas cœpit, Mellaiū & sanctum Laurentium de mortariis. Vbi præsidiis impositis, in Normanniam re*Gerberoium.* uertitur, paucis post diebus moriturus. Est in Bellouacis, octauo ab vrbe milliario distans Gerberoium, in colle mediocriter edito. Ea arx, supra multos annos, diruta desertaque cùm fuisset, Hirus Potonusque, mille circiter assumptis militibus, ex Beluacensibus profectus, arcem instaurare constituunt. In quo opere nihil pigrè agentes, muros munitionesque diligentissime extruebāt. Qua re cognita, Darondellus, festinanter cum copiis ex Normannia aduenieus, locū circumcingere properat. Id postquam Hirus conspexit, suos in concionem vocans: Vos, inquit, commilitones, in hanc collapsam arcem perduxi, vt eam instauratam habentes, ea, qua

si

ſi propugnaculo,vteremur aduerſus hoſtem. Sed dum muniendæ arci animum intendimus,Anglus nos præpedit. Itaque non arx nobis curanda eſt,ſed vita protegenda. Hoſtium multitudinem,per agros, ad nos,hoc loco, velùt in pedica,concludendos properare conſpicitis. Si viri eſtis, res in promptu gerenda eſt,priuſquã ſtationem ſibi hoſtis in obſidione perfecerit.Itaque cenſeo infeſto agmine erumpendum eſſe,& hoſtem adhuc venientem,& partim occupatum adoriri. Hiri approbato cõſilio, miles ad rem gerendã accingitur. Fit eruptio & acerrime Darondellus inuaditur:qui tametſi viriliter reſtiterit,ſauciatus tamen captus eſt,& ſui fuſi.Ex eo vulnere paulo poſt Darondellus interiit. Superato hoſte, Franci Gerberoium reuerterunt,opus cœptum exequentes.Sub his diebus,cum Trimolus apud Carolum plus cæteris aulicis poſſet,inuidiam in ſe multorum excitauit.Caroli præſertim Andegauenſis,Bueili,Caluimontis, atque Coitiui. Hi tres, quos poſterius dixi,in arcem Chinonem,per poſticum,ab Oliuerio Fretarto,noctu admiſſi,Trimolum in cubiculo depręhenſum, in caſtellum Monteſaurum traduxerũt, inſcio rege, qui tum Chinone erat. Ad quem,ex nocturno tumultu pauentem,Bueilus Coitiuuſque accedentes,nihil eſt,inquiunt,ſereniſſime rex,quòd expaueſcas. Captus eſt Trimolus,tibi reique publicæ apprime nocens. Abducto Trimolo,Carolus Andegauenſis apud regem cõtinenter conuerſatus eſt, in eius beniuolentiam ſe ſolerter inſinuans:ita,vt concilio apud Turonos aduocato, rex Trimoli depræhenſionem laudauerit,compræhenſoreſque inter primores aulicos habuerit.Qui tamen non longo tempore in gratia permanſere, à curiæ negociis ſemoti. Trimolus autem, quatuor mutonum aureorum millibus Bueilo perſolutis, carcere liberatus eſt.Et Normanni,agri Conſtantienſis,qui mare accolunt,cum ab Anglis arma aduerſus Carolum regem ferre cogerentur: ipſi, hortante Quantepio,multis hominum millibus,ex plebe & aliquot nobilibus, collectis, in Anglos ſe cõuerterunt:atque Cadomum ducentes,ab inſidiantibus Anglis intercepti, partim occubuere,reliquis fugientibus. Quorum reliquias, miſſo Ambroſio Deloro, Alenconius dux,ad arma reuocauit:ipſeque mox Abrincas cum plebeia multitudine profectus, cum nihil proficeret, aſſumpta quantula, inualidi exercitus,parte, in Cœnomanniam ſe cõtulit.Nec durauit in armis plebs, ſed ſenſim dilapſa, domum repetiuit. Caleti quoque armis aduerſus Anglos deſumptis, Carnierum ductorem ſequentes,illi obtemperabant.Quo tempore Petrus de Rupeforti,Franciæ Mareſcallus,Galterus Bruſacus & Carlotus Mareſius,Dieppã Anglis noctu ſuſtulerunt. Qua occupata,cum Caletis iuncto exercitu,Fiſcanũ,Harfleum,Montiuilliarium, Tancaruillam,& inſulam Bonam,in Caroli ditionem reduxere. Sed diſſoluta militari diſciplina,milites Petro Mareſcallo non audiebant. Petulce illiberaliterque viuentes,prędas non mitius à Francis,quàm ab hoſte facientes,mulieribus iniurii, monaſteriorum violatores,& contemptores religionis. Hæc militum impietas agros ſpoliauit cultoribus,& domos effecit deſertas. Præter arces & munitas vrbes nihil habitabatur. Igitur nihil parturientibus agris, miles annona deſtitutus,alius aliò diuertebat.Quidam Carolum conuenerunt,opem ab eo,vitæque alimoniam flagitantes,quandoquidem fortunas ſuas omnes,eius cauſa detriuiſſent. Prouidit illis pius rex, &,cui bene antea ſeruitũ fuiſſet,deinceps quoque illi miles obedientior fuit.Itaque Venablo Anglo, ducentorum, ſupra mille, armatorum præfecto, ſancti Eligii cœnobio,quod in inferiore Normannia munitum eſt,occupante: Andreas Lualli comes,& Loheacus cum Ambroſio Deloro Anglos noctu petunt,& cœnobii parte intercepta,ducentos ex hoſtibus interimunt. Mox,cum Venablus inde ſuos eduxiſſet, Loheacus Deloruſque Lazaium vſque progreſſi,poſt atrociſſimum prælium,hoſtem ſuperarunt,mortem oppetentibus ducẽtis:præter eos, qui in Francorum poteſtatem viui peruenere. Venablus autem, cum aufugiſſet,paulo poſt in ſuſpitionem veniens,à ſuarũ partium Anglis capitis ſupplicio affectus eſt.

Darondellus moritur. *Trimolus cõprahenditur.* *Plebis inconſtantia.* *Dieppa à Francis capta.* *Militum inſolentia.* *Sancti Eligii cœnobium capitur.*

CAP. 3. PER eam tempeſtatem Borbonius dux Corbolium,& Vicennas,data præfectis locorum pecunia,recepit.Et Potonus in Picardiam excurrens, abactis multis pecoribus, aduerſante maxime comite Lucemburgo, prædam incolumis abduxit. Sanctũ quoq; Dionyſium,nocturnis inſidiis, ceperunt Iohannes nothus Aurelia-

nenſis,

nensis,& Petrus de Rupeforti, Anglis inde extrusis. Vbi,conseruandi oppidi causa,Petrus cum præsidio mansit,abeunte Iohanne notho,qui, aduersus Anglos, copias compararet. Moleste enim hostis ferebat,in conspectu fere Parisiorum,habere loco munitissimo militem Francum. Propterea contracto validissimo exercitu, ex Parisio mouens,sanctum Dionysium circumuallat. Conuenerat ex finitimis agris in oppidum ingens rusticorum turba, qui vna cum præsidio muros tuebatur: sperans,venturum eis à Iohanne notho subsidium. Atque equidem Iohannes ipse milite stipatus,ad pontem Meulanum iam venerat,cum certus factus est,quasdam Anglorum turmas,ex Gisortio iter ad sanctum Dionysium facere, easque ducere Mathagonem & Thomam Kyrielum. Eam ob rem ipse assumptis Loheaco Bueiloque & Ambrosio Deloro,hosti obuiam pergens, Anglos partim cædit, partimq; capit,& mox ad pontem,vnde venerat, cum præda reuertitur. Eius autem pontis atque arcis ad Caroli ditionem conuersio recens erat, procurata quidem à Ramboello,& Petro Iallardo,viris nobilibus. Erat à muro prominens ad amnem Sequanam latrina,in quam conscendentes Locamus Ferrandusque piscatores,viã Francis fecere,seducto pecunia custode Anglo,qui pontis tutelæ erat præpositus. Fallendi Angli auctor extitit Francus quidam,cui nomen erat,imperator. Ponte recepto,ii qui in arce erant,deditione facta,liberi abierunt. Interim dum Iohannes nothus Aurelianensis apud pontem Meulanũ moratur, durior indies erat sancti Dionysii obsidio,ita,vt desperantibus auxilium obsessis, cum nec esset vnde militi stipendium solueretur,nec multorum dierum commeatus adesset: Petrus de Rupeforti,viginti dierum inducias cum hoste constituit, vt si intra eosdem dies suppetiæ à Carolo non venirent,oppidum hosti permitteret. Per has obsidionis angustias,viri cœnobitę,monasterii diui Dionysii,miserti fortunæ obsessorum,in stipẽdium militi,argenti marcas quadringentas,libere contulerunt. Interea dum subsidium expectatur,Angli non ignorantes,quid Aurelianensis nothus de suppetiando obsessis appararet, fossam sibi circumdant in quam ex fluento, quòd extra oppidum est,tantam diuersis riuulis aquam deriuant,vt ad castelletum, quod maiori ecclesiæ vicinum est,redũdaret: extructis quatuor firmissimis propugnaculis,quibus adorientes se arcere possent. Exactis induciis,cum subsidii spe destitutum se Petrus intellexit,deditionem fecit,militemque vita fortunisque saluis eduxit. Recepto oppido,Anglus muros munitionesq; deiecit,præter eas,quę ad monasterii tutamen pertinebant. Parisiani verò, Anglo parentes,cum crebris incursionibus se à Francis premi grauiter ferrent, Vilbium Anglum, qui apud Põtisaram in pręsidio erat,orant: ciuitatis custodiam recipiat. Qui Pontisaræ constituto sibi vicario,Parisium,cum bona Anglorum manu,se contulit. Nec multis pòst diebus,per Vilbii absentiam, Pontisarenses, Anglos exosi,ad Caroli partes considerationem suam conuerterunt. Igitur die quadam egrediente præsidio, quod apud eos erat, siue vt frumentationem faceret,siue vt ex hoste spolia prædasque reportaret,cum paucissimos in oppido cum suo præfecto Iohanne Ripello relictos esse adnimaduertissent,ipsi,sumptis armis,portas omnes oppidi obsirmantes, Anglos sine vlla tumultuatione compræhendunt. Pręter tres,qui cum Ripello in proximam portam euaserant. Vnde tegulis lapidibusque iactis, postquam frustra se tueri considerant, in Pontisarensium potestatem transiere. Qui confestim accito Iohanne insulæ Adæ domino,hominem orant,oppidum, Burgundi ducis nomine, custodiendum recipiat. Consulto duce Iohannes Pontisaram in custodiam accepit. Iam enim intercesserant collocutiones, cõponendæ pacis,conueneratq;,vt ad diem prædefinitũ legati Attrebatum mitterentur, reconciliationis faciendæ potestatem habentes. Quamobrem,anno salutis MCCCCXXXV. Attrebati pacis tractatores consedere. Imprimis affuit cardinalis sanctæ crucis, Romanus legatus, ordine Cartusiensis Nicolaus nomine: cardinalis Cyprius: quos episcopi sex comitabantur, & Abbas Veselaus. Caroli oratores fuere Borboniorum dux, comes Richemontus Conestabilis: Remorũ archipręsul cancellarius: Vindocinẽsis comes, regii hospitii primarius magister: Christophorus Haricurtus: Adam de Cambray, parlamenti senatus primarius præses: Guillermus Quadrigarius, parlamenteus consul, ecclesiæ Parisiensis

Liberalitas religiosorum in obsessos.

Conuentio apud Attrebatum, vbi leges pacis cum Burgundo positæ sunt.

siensis decanus:& alii permulti ex Francorum nobilitate,non obscuri. Nec defuere Britonum ducis, Alenconiiq; & Barri oratores. Anglorum legationis hi principes conuenerunt, Cardinalis Vicestrensis: Eboracensis archiepiscopus. Comites, Hontitonus & Suffortus, & nonnulli ex dignitate ecclesiastica viri, cum permultis Angliæ nobilibus. Burgundionum ducis hi primores fuisse traduntur. Leodius, Cameracensium & Attrebatensium antistites: Nicolaus Raulinus, ducis cancellarius: Gheldrensis: Stampensis: sancti Pauli: Vandemontensis, Niuernensisq; comites,& alii inferioris nominis proceres,quorum frequens numerus erat, præter Flandrensium oratores. Considentibus,pacis gratia,cuiusq; partis,legatis:tametsi sanctæ crucis Cardinalis plurimum eniteretur, irritatos præteritis bellis animos,ad concordiam pacemq; ducere:nulla ratione Anglorum pertinaciam flectere potuit,vt cum Carolo, Francorum rege, paciscerentur. Sed concilio abierunt re infecta,promittentes,se alia aliqua die conuenturos. Absentibus Anglis, cardinalis non propterea cœptum prætermisit:de Burgundi cum Carolo reconciliatione,mox afferens mentionem. Quæ res,sicut grata oratoribus fuit,ita finem habuit optatum. Nam,postquam Nicolaus Raulinus,Burgundus cancellarius, sui principis nomine,longam orationem habuisset,multa edisserens,quæ à Carolo rege dari concedique duci Philippo meritò deberent (quanquam omnia in rem ducis essent) nihil de petitis detractum est. Itaq; pleraq; loca, Burgundiæ finitima, quæ regis, Campaniam versus, erant, ad ducis ditionem peruenere. Arthesio quoq; adiunctæ sunt Ambianis ciuitas, Corbia, Mondesiderius, Perona, S. Quintinus, & Abbatisuilla,cum Pontiuiaco & Boloniç comitatibus. Quas terras,sub Caroli imperio,Parlamenteiq; senatus ditione,dux possideret. Eas autem ciuitates, quas posterius nominauimus,quæ ad amnem Sommonobriam sitæ sunt, redimere Carolus poterat,quadringentis aureorum millibus. Fuere aliæ,ad pacem,conditiones: quæ quandoquidem absolutæ hactenus non sunt,nec eas perficiendi spes vlla manet,mortuis principibus:silentio à me prætereuntur. Permulta siquidem, concordiæ gratia,Franci oratores admisere,quæ si completa omnia fuerint, quemadmodum Carolo oneri erant:ita honori atq; maiestati eius forent indecora. Sed reuera rerum omniũ ea turbatio & calamitas, per id tempus, fuit, vt iuri regio aliquid adnuendum esset. Si enim ab Anglis Burgundus non discessisset: longe difficillimum Carolo erat, vtrunq; hostem peruincere. Et Philippus Burgundus, Anglorum superbiam veritus, quos sibi aliquando dominari formidabat, libens ab eis secessit. Rebus fœliciter compositis,oratores,in legati Romani conspectu, iurant, illibata seruare,quæ de pace dicta diffinitaq; extitissent:atq; ita pax, per caduceatores, magna omnium exultatione,vulgata est. Moritur eodem tempore Isabella Caroli VI. vxor:fortunis(si reginam consideres)tenuis & pauper. Quippe,quç sub Anglorum principatu degens,eorum arbitratu vitam agebat,priuatæ fœminæ non absimilis: patientissima quidem,& ad temporis qualitatem se accommodans. Nulla re magis irritata,quàm,quòd Carolum regem, eius filium, incesto concubitu natum, Anglus diffamabat. Cadauer nobilissimæ mulieris, quatuor tantum comitibus,naui aduectum,apud sanctum Dionysium,sine vlla pompa,sepelitur. Liberatur eisdem diebus Renatus, dux Barri: qui apud Diuionem, Burgundiæ primarium oppidum, à Philippo in custodia habebatur. Ex eo tempore solus hostis Anglus erat, aduersus quem Franci belligerarent. Igitur,apud Pontisaram,agẽte Conestabili, & cum eo Aurelianensi notho,illò se contulere,cum quingentis equitibus,Philippi iussu, dominus de Ternando,& Simon Lallanus, strennuus, auratæ militiæ, eques: quibus Pontisaræ relictis, Conestabilis, ad sanctum Dionysium, ab Anglis desertam, proficisci constituit:oppidi instaurandi causa. Qua re comperta: Anglus ex Parisiis obuiam pergens, à Conestabili (Francis à Pontisara mouentibus) duriter excipitur, ad lapideum pontem, qui, non procul à sancto Dionysio, ad Sequanam pertinet:vbi quadringenti Angli periere,multis cum Thoma Belmonte, militum præfecto, captis. Prælio fœliciter gesto, Conestabilis sanctum Dionysium occupat: & turrim,quæ veneni nomẽ habet, in quam aliquot ex fuga Angli se receperant, circunsepit. Ibiq; relictis,qui obsidionem continuarent:cum certum haberet, quos-

Mors Isabellæ, Caroli matris.

Cæduntur Angli.

Parisiani Francos admittunt.

dam Parisianos ciues, pertæsos esse Anglorum dominationis: atq; cupere, Carolum sibi regẽ asciscere: assumpto Aurelianensi notho, aliisq; militum ductoribus, per Possiacum noctu Sequanam transmittens, ad Carturienses (qui extra diui Michaëlis portam sunt) castra posuit. De cuius aduentu clam prædocti, Michaël Lailerius, Iohannes Fontanus, & aliquot alii ciues, cùm illuxisset, populum in hostem concitant: ad quos confestim conuenientes Thomas Pigacheus, Iohannes de sancto Benedicto: Nicolaus Louuerius, & Iacobus Bergerius, magni inter suos nominis, Anglos partim cædunt, partim fugant capiuntq;. Quorum pleriq;, sancti Dionysii portam occupare, frustra nisi sunt. Nam ferreæ cathenæ, quæ per omnia fere viarum vrbis compita erant, protenus transuersum tensæ sunt, & iter hosti præreptum. Ad hoc, ex fenestris & tectis ædium, nemo non in diffugientes Anglos saxa & omnis generis materiam demittebat. Alii, per viam inuentum hostem armis adoriebantur. Morinorum autem episcopus, qui Anglorum se cancellarium gerebat, cum Vilbio & Mohiero, mercatorum præposito, populi seditionem declinantes, in sancti Anthonii propugnaculum se citissime receperunt. Fugientem præpositum, dum pistor quidam, amicus illi, & perfamiliaris, vt eum populo reconciliaret, reducere conatur: à præposito, vibrata in eũ hasta, occisus est. Exaudito, qui in vrbe erat, clamore Conestabilis, & qui cum eo Franci erant, alii porta sancti Iacobi refracta, alii superatis muris, pleriq; nauibus, quas in flumine Sequana repererunt, in vrbem peruadunt, nulla cæde facta: sed propugnaculum, quo se hostis tuebatur, obsessum est. Ex quo iamiam Mohierus delapsus, ad pontem Charentonum diffugerat: vbi à suis proditus, in potestatem venit Dionysii de Chailli, *equitis* Franci: à quo non multo post, precio redemptionis accepto, liberatus *est. Erat* huius Mohierii nepos, Bricantheus: qui turrim veneni apud sanctum Dionysium, à Francis obsessam, tuebatur, Anglorum partes pertinacissime secutus. Huic vt fidem facerent Franci, Parisiorum deditionis, auunculi mulam illi repræsentant. Qua conspecta, Brichanteus spem euadendi capiens: è turris pinna, in subiectam se fossam præcipitat: vbi ab iis, qui rure in oppidum conuenerant, sine mora trucidatur: atq; ita turris recepta est, &, qui in ea erant, vel occisi vel capti. Pacato Parisiorum tumultu, Angli, qui propugnaculum obtinebant, salutem desperantes, de deditione colloquium habuere. Itaq; loco cedentes, abire liberi permissi sunt: irridente eos plebe, quòd non per ciuitatem, sed foras muros facerent iter. Confirmatis in Caroli fide Parisiis: Conestabilis ad Creolium mouens, postquam quindecim dierum obsidionem frustra fecisset: inde abiit, & sancti Germani in Saia arcem recepit: data præfecto, vt illam dimitteret, pecunia. Eodem anno, qui erat Christianæ gratiæ CCCCXXXVI. supra M. Ludouicus, Caroli filius, Viennensis Dalphinus, Margaretam, Scotorum regis filiam, vxorem Turonis accepit. Neq; post dies multos Angli Pontisaram cepere: Francis extrusis. Erat enim tum hyems horrida: & oppidi fossæ glaciatæ: & altissima niue terra albicabat. Igitur Angli, niuis beneficio admoniti, lintheis candidis se amicientes, in ipsa niue cùm decubuissent: fallentes oppidanos, in fossas gelu concretas demissi: inde in muros atq; oppidum repente inuaserunt: negligenter excubantibus Francis: qui tametsi venturos in se Anglos accepissent, tamen neq; vigilias facere: neq; fossarum glaciem effringere curauerunt. E Pontisara se vix saluum proripuit Iohannes Villerius: & Varembonus, Burgundæ cohortis ductor. Fratres autem duo, genere non obscuri, Ludouicus atq; Indetus, cognomento Guitri, portam (quæ Daucri nominatur) cum aliquot ex suis occupantes, postquam diu viriliterq; Anglorum oppugnationem pertulissent: subsidii spe defecti, salui permittente hoste abeuntes: portam reliquere: duobus tantum Anglorum potestati permissis, quos graui, nescio quo, crimine delatos, capitis amputatione affecerunt. Cepere præterea montẽ Argi & castella quædam, quæ omnia, paucis interactis diebus, Franci (ære præfectis impartito) receperunt. Missusq; à Carolo Conestabilis ad castrum Laudunum, locum expugnauit. Cepit deinceps Nemorsum, & deinde Monsterolum, ad amnem Ionam, obsedit: ad quam obsidionem veniente Carolo, confestim oppidum vi receptum est, & mox arx, in quam Thomas Guerardus, Anglus confugerat, Caroli se potestati sum-

Pontisara ab Anglis capitur.

summisit: data præfecto facultate abeundi. Philippus item, Burgundionum dux, Anglos Callisium occupare permoleste ferens: quòd & sibi inimici essent: & ad aliquid à finitimis surripiendum promptissimi: grandi, ex Flandria præsertim, exercitu contracto: Callisium obsidere maturauit. Vbi postquam menses duos consedisset, præliis compluribus militariter perpetratis, tumultuante Flamingo exercitu: vix à suo duce Flandrenses temperauerunt: indignati, quòd tanto tempore domo abessent, præsertim, in quotidiano periculo agentes. Itaq; occiso Iohanne Horno, nobilissimo equite: quem Philippus peramabat: ipsi dimissa obsidione, & Philippo cum paucis relicto, nullo ordine Flandriam petiuerunt. *Laboris siquidem impatiens Flandrus est: &, crapulæ assuetus, in armis non durat.* Dux nihilominus strenue agens: cum in se prodeuntes Anglos sustinuisset, repulissetq;: cum ea, quam habebat, militum manu, domum profectus est. Porro Angli, receptis ex Anglia maioribus copiis, in Arthesium Flandriamq; incursantes, mirum in modum grassati sunt, incendia prædasque facientes. Quos tandem Burgundus miles adorsus, Callisium repetere coegit. Tentauit quoq; Philippus Crotoium arcem ab Anglis recipere, lignea turre ad oppugnationem fabricata, cuius præfectus fuit, Iohannes de Croio. Sed mouentibus in eum, ex Normannia, Anglis: relicta obsidione, copias reduxit. Eadem tempestate & fames & pestilentia Parisios vexauit. Frumentaria enim mensura, quæ est apud illos sextarius, libris Turonorum nouem vęniebat. Et per agros tanta erat armatorum in agricolas impietas: vt vicis villisq; desertis, in ciuitatem confugerent: nec erat illis Anglorum quàm Francorum melior conditio. Itaq; in hospitali domo Parisiensi (quæ Dei nomen habet) non pauciores fame, quàm pestilentia periere. Eam ob rem ciuitatis primores, & in primis Richemontus, alii aliò se contulere, tribus tantum ad ciuitatis custodiam relictis: Adam Cambracensi, Parlamenti primo præsidente, Ambrosio Deloro prætore, & Simone Carolo, rationum regiarum præfecto, quem computorum præsidentem appellant: viris quidem auctoritate, prudentia, atq; in regem fide præstantibus. Quibus inter cætera aduersa, illud molestissimum maxime fuit: quòd milites Franci, qui in præsidiis per munitissima territorii Parisiensis & finitimarum arcium loca erant, pecora sibi abigebant, ex agri colonis prædas non minus quàm hostis facientes. Neq; huic frequenti malo aliter, quàm precio raptoribus soluto occurrere poterant: præsidio videlicet militum destituti, qui pestilentem ciuitatem non incolebant. Itaque & agri colonis, & ciuibus ciuitas prope deserta erat. Accedebant tot malis luporum crebræ in vrbem incursiones, qui super octoginta homines cum per agros deuorassent: in vrbanos quoq; sæuiebant. Aduersus hanc beluam lege definitum præmium est: vt pro singulis captis lupis, solidi viginti ex fisco captori soluerētur: præter publicam erogationem, quam plebs sua sponte venatoribus impendisset. Nec defuit per id tempus Philippo, Burgundo duci à Brugensibus aduersitas: quem ad se receptum, clausis portis, Brugenses persecuti sunt: multis ex eius aulicis trucidatis: inter quos Adam Villerius, insulæ Adæ dominus, dum oppidi portam effringere contendit, occiditur. Quam temerariam seditionem, ducentis Riderorum aureorum millibus, apud ducem postea Brugenses purgauerunt, præter munera, quæ eius vxori Isabellæ Portugallensi, vt virum placaret, contulere. Hæc cùm Brugis geruntur, Carolus apud Bituriges conuentu habito, pragmaticam sanctionem, ad insequentem modum, Basiliensis Concilii ductus auctoritate, condixit. Apud Basileam Eugenii IIII. Romani pontificis assensu, congregato concilio, ii, quibus ecclesiasticam tueri dignitatem mandatū erat, leges, communi omnium sententia, rite digestas sanxerunt, quas à Carolo admitti, missis eius rei causa oratoribus petierunt. Legum hæc capita fuere.

Callisium à Burgundo obsidetur.

Misera Parisiorū conditio.

Francorū militū inhumanitas.

Luporum incursus.

Brugensium seditio.

Pragmatica sanctionis capita.

1 *Romanus pontifex, quoq; decennio, generalem synodum, loco, quem volet, posthac congregato. Si negligens erit, potestas esto patribus, id designandi. Conuocati concilii locum, nisi necessum erit, pontifex non mutato.*

2 *Basiliensis concionis auctoritas, & ipsius decretorum constantia perpetua esto: quæ nemo vnquam, nec ipse Romanus pontifex tollere, infirmare, aut transferre præsumito.*

3 *Romanus pontifex, maiores ecclesias, Metropoles scilicet, atq; episcopales collegiatasq;, aut*

eas quibus abbates præficiuntur, & ecclesiasticas dignitates, quæ per electionem sibi deligere rectorem consueuerunt, nemini reseruato. Præter eas, quæ iure scripto, vel Romani principatus causa, sibi permittuntur. Huic decreto non contrauenito. Si intercedet causa, præter legem faciendi, ab apostolicis rescriptis exprimito. Idq; dum ad pontificatum quipiam assumetur, se seruaturum iurato.

4 *Ecclesia pastore destituta, ii, penes quos est eligendi potestas, die & loco definito co nueniunto: Peccatorum suorum confessionem agunto: Et eucharistiam sumunto. Mox considentes, præmisso iureiurando, non negligenter, non dolose, non timide, eum qui gerendæ dignitati sit idoneus, eligunto. Principibus fas non esto, pro quopiam commendando molestis precibus, aut violenta comminatione premere aut cogere electores.*

5 *Electionis formam, & electi merita, confirmatores prælati inquirunto. Scribæ, notarii moderatum salarium accipiunto.*

6 *Romanus pontifex, quem sanctitatis normam præ se ferre oportet, huic sanctioni nequaquam derogato. Si contemnet, & inde scandalum exurgat, ad subsequens vniuersale concilium deferatur.*

7 *Electiones, tametsi pro canonum autoritate legitimæ esse videbuntur, si inde aut ecclesia aut patria, vel respublica turbari formidabitur, cùm huiusmodi electio ad Romanum pontificem forte refertur, & ea diligenter examinata, nulla dici merebitur, alterã electionem, iis, quorum refert, indicito. Electum vero confirmari, aut benedici ab alio, quàm ab eo, qui sine medio electo superior est, fas nõ esto. Si in pontificis curia præsens electus erit, à pontifice benedictionem, si volet, recipito. Iuramentum postea suo præstato. Secus qui faciet, centum aureorum mulcta eum castigato.*

8 *Vniuersali synodo, eiusq; definitionibus, & decretis, omnis catholicus, etiam Romanus pontifex, ea tenus obedito, quatenus fides & schismatum explodenda seditio postulat.*

9 *Quæ synodus, sancto spiritu autore vocata, consedit: eam, sicuti Constantianæ concionis patres diffiniere, à Christo Deo, autoritatem protenus obtinere credito.*

10 *Ecclesiis Dei eos sacerdotes & pastores præficito, qui doctrina sint & vita illustres, vt creditum sibi populum sollicite instituant: & Deo obedientem gratumq; reddant.*

11 *Expectatiuis propterea gratiis, vnde plurima oriri mala constat, locum esse non sinito.*

12 *Beneficia (viuo eorum rectore) nemini reseruato. Cum autem administratore vacabunt: eorum, quibus conferre oportebit, mores & merita, graduatíne sint, an secus, cognoscito.*

13 *Decretum de Theologo, per quasq; Metropoles præbendando, ad episcopales quoq; ecclesias extendito: vt in illis præbenda Theologo conferatur, qui in aliqua generali Academia decennem literis operam nauauit. Beneficio donatus, verbum Dei prædicato: & per quasq; hebdomadas, semel atq; iterũ, sacras literas audire volentibus explanato. Negligenti, quotidiana ecclesiæ stipendia substrahito.*

14 *Porrò, de iis qui gradu alicuius disciplinæ prouecti sunt, hunc ordinem obseruato. Primum post hanc sanctionem vacuum possessore beneficium Doctori vel Licentiato vel Baccalario conferto. Duo deinceps, quæ rectore carebunt, bene merentibus clericis concedito. Quod his duobus successiuum erit, illud graduatus obtineto.*

Igitur scholastici gradu insignes, sua nomina beneficiorum collatoribus, dum quadragesima agitur, scripta quotannis tradunto.

Beneficiorum, præter hoc decretum, collatio facta, inanis esto.

E locis, quæ ab vrbe quatuor dierum itinere distant, in ius vocandi Romam, nisi in maioribus causis, fas non esto.

Qui damno aut iniuria grauabitur, eum, qui proximus est superior, appellato, si tale est damnum, quod per eius sententiam restitui possit. Alioquin si ad Romanam ecclesiam iudex per exemptionem pertinebit, causam definiendam, ad eum, qui eiusdem regionis est, iudicem (si metus abest) pontifex committito.

A grauamine, aut interlocutione iudicis, secundo non prouocato. Eum qui frustra atq; inaniter ante latam sententiam appellat, quindecim florenis, præter cæteras litis impensas, mulctato.

Triennem alicuius beneficii & quietum possessorem non turbato: Nisi hostilitate, metu, vel graui impedimento tardatus eris, ne per triennium impetere potueris possidentem.

Cardi-

Cardinales XXIIII. tantum, diuina & humana scientia eruditos, annorum XXX. boni nominis & generis legitimi: qui reipublicæ Christianæ consulere possint, pontifex de suorum fratrum consilio præficito.

De dignitatibus & beneficiis ecclesiasticis quibusuis, collatis aut conferendis, nihil prorsus, sed neque annatam, neq; fructuum primitias, neq; (vt vulgo dicitur) deportum pontifex exigito. Notariis & scribis mercedem, qui beneficium recipit, soluito. Huius decreti præuaricatori pœnam Simoniacis debitam infligito. Nihil præterea iuris aut tituli in beneficiis, contra hanc prohibitionem impetratis, sibi acquisitum intelligat.

Clerici, qui ecclesiarum & diuini cultus obsequiis deputantur, rem omnem diuinam & Dei laudes sanctè, distinctè & grauiter celebranto. Ad Iesu nomen caput reuerenter demittunto. Decanos & reliquos per ecclesias præfectos huius statuti præuaricatores castigato.

Consuetudinem, qua inductum est, eum qui in aliqua horarum choro abfuerit, omnium distributionum participem esse, tollito. Idq; ad decanos & præpositos, qui suarum prætextu dignitatum, rei diuinæ non assunt, extendito.

Quos noueris, dum res diuina agitur, per ecclesiam, aut iuxta illam deambulare, aut confabulari, totius diei, quo hoc fecerint, distributionibus priuato.

Iterum verò in hoc ipso delinquentes, vnius mensis stipendiis mulctato.

Tabulam, vbi designentur ii, qui definitis hebdomadibus sua officia exequi debebunt, in choro appendito. Negligenti, totius diei stipem denegato. Fidei symbolum non truncato, sed ad verbum absolute decantato.

Camœnas vulgi, in ecclesia canere laicos prohibeto.

Rem diuinam (quam missam appellamus) sine ministro nunquam celebrato. Dum eam facis, vocem exaltato, quæ à circunstantibus exaudiri possit. Secus agentem corripito.

Canonici qui se creditoribus obnoxios ita constituunt, vt statuto die, debito se non absoluerint, interdicto rei diuinæ cohibentor, &, à stipendiis ecclesiæ, toto trimestri abstinento. Nec quicquam inde, quandiu diuinis abstinebunt, percipiunto.

Solennibus diebus, dum maior missa fieri debet, capitulũ non cogito. Per integram alioquin hebdomadam, transgressores quotidiana stipe priuato.

Spectacula, ludos, comessationes, choreas, nundinationes, ludibria, & laruatas personas incedere, ab ecclesiâ & sacris locis arceto. Contemptorem clerum, trimestri prouentu abstinere iubeto. Reliquos censura ecclesiastica cohibeto.

Clerico cuiusuis status, concubinam fouenti, à secunda huius sanctionis promulgatione non resipiscenti, beneficiorum suorum perceptione menses tres interdicito, & eos fructus in ecclesiarum, vnde percipiuntur, vtilitatem impendito. Hanc autem constitutionem in synodis & capitulis promulgari quotannis imperato. Nec minus laicos admoneto, nullam, præter legitimam vxorem, turpi copula contingere. Excommunicatos ante latam sententiam, & reuera denunciatam, non vitato, nisi tam notoria excommunicatio erit, quæ non valeat ignorari.

Nulli omnino genti communitati, vel loco, vel, sacris interdicito, nisi per semet, aut per priuatos, aut officiales, id est, per suos magistratus culpam admisit. Iniquum siquidem est, ob vniuscuiusq; priuati hominis delictum, ferire insontes.

Nullius literis, quibus quempiam beneficio aut suo iure se abdicasse narratur, nisi testibus aut fideli documento, id factum esse, constet, credito.

Hæc cum Carolus satis enucleata digestaq; esse comperisset, indicto apud Bituriges concilio, pragmaticam (quam vocant) sanctionem tulit. Eamq; in Parlamenti senatu promulgari mandat, anno Christianæ salutis CCCCXXXVIII. supra M. Nonis Iulii. Quam regiam (auctoritate Basiliensis synodi) factam constitutionem, qui deinceps fuere Romani pontifices, non secus ac perniciosam hæresim execrati sunt, quòd eam nemo pontificum dissoluto Basiliensi conuentu probauerit. Vetustissima enim contentio de vniuersali consiliario, & Romano pontifice, vtrum maius sit, hactenus inter ecclesiasticos perseuerat. Quo mea sententia factum est, vt generales synodos cogere pontifices detractent, formidantes suam tam late patentem (ne dicam vsurpatam) auctoritatem consiliorum decretis cohiberi. Itaq; ea est hodie illorum sublimitas & amplitudo, vt parui habitis regibus, li-

cere eis omnia glorientur. Neq; quispiam ad pontificatum mea ætate venit; qui dignitate adepta, non statim suos nepotes magnis opibus & principatu donauerit. Eodem anno Richemontus Meldim ciuitatem, post quindecimum obsidionis diē, multis Anglis interemptis expugnat. Mercatum autem, in quo erat validum præsidium, hostis fortissime tutatus est, aduenientibus præsidio Dorceto comite, atq; Talleboto, qui nacta in flumine Matrona naui, in mercatum nouum præsidium induxerunt, post biduum inde abeuntes. Cæterum diligenti oppugnatione attriti Angli, suis fortunis saluis deditionem fecere. Mercato à Francis recepto, cum rex Parisii esset, accito Richemonto, eum cum ingenti exercitu in Normanniam mittit, quem mox secuti sunt Alenconii dux Iohannes & Andreas Lauallus Marescallus, multis armatis stipati. Hi omnes Abrincas petentes, ciuitatem obsident. Est autem vrbs in colle mediocriter edito, ad oceanum Britannicum sita, Normannorum ditionis. Ibi cum dies circiter xx. consedissent Dorcetus comes, dominus de Scalis, & Tallebotus, Anglorum præfecti, frequentibus copiis contractis, ad vicum sancti Leonardi, duobus tantum passuum millibus à Francorum castris distantem, sua castra admouere, non procul à Gilberti ponte, qui supra Sceam amnem, inter vtrunq; exercitum erat. Vbi non pauca leuia vtrinq; prælia commissa sunt, aliis Sceam transmittere conantibus, aliis transitum prohibentibus. Tandem conspicientibus Francis, amne superato Anglus in Abrincas euasit. Qui, mox eruptione in Francos facta, acerrime pugnauerunt. Franci autem, mutato loco, Pontorsonem versus, castra reduxerunt. Sub his diebus sanctam Susannam Buellus, prodente eam Anglo, noctu cæpit. Quæ cùm ad Alenconium ducem pertineret, Buellus tamen sibi, inuito duce, obtinuit. Non satis Carolo fortuna fuerat *inimica*, nisi à filio quoq; pientissimus offenderetur pater, tot per superiora *tempora turba*tionibus vexatus. Ludouicus erat ei filius Dalphinus Viennensis, qui traditus à patre Marchiæ comiti, liberaliter imbuendus, postquam adoleuit, præceptoris eruditionem aspernatus Niortum se recepit: accersitoq; Iohanne Borbonio, & Iohanne, Alenconii duce, abiecta tutela, libere se post hac viuere professus est: quippe qui & ætate, & rerum cognitione idoneus esse sibi videretur, negociorum regni administrationem gerere. Addebant Ludouico animos ipse dux, atq; Anthonius Chabannus: Iohannes de rupe, Pictauiæ Senescallus: Petrus de Ambasia, & alii complures nouarum rerum percupidi, qui aliquot iam ciuitates ad defectionem sollicitare cœperant. Nam ii omnes, coniuratione Pictauis facta, Ludouicum à patris communione maxime auertebant. Quorum conspiratio *prагueria* dicta est. Ea re, per Marchiæ comitem, Carolo delata, confestim ad ciuitates scribit, ne Dalphino eiusq; sectatoribus audiant, neue eos ad se admittant. Interim Dalphini, factionis auctores, ex Niorto, ad sanctum Maxentium, progredientes, arcem (Iaqueto quodam proditore) excipiunt, atq; in oppidum cœnobiumq; conuersi, loci dominam fortunis omnibus spoliauerunt, idem cœnobio facere festinantes. Verum Iohannes Sachetus, oppidi municeps, cum tribus & viginti, suarum partium studiosis, vestibulum (quod crucis appellatur) tandiu aduersus Dalphinates defensauit, donec ex Pictauis, vbi Carolus agebat, subsidium impetraret. Abbas quoq; & cœnobitæ, obseratis ecclesiæ portis, fornicem conscendentes, testudine effracta, in hostes saxa deiiciebant. Qui audientes regem ad se cum copiis proficisci, prædis abactis diffugere. Carolus autem, hora noctis septima, cùm venisset, laudata Abbatis diligentia, monasterium prouentibus atq; priuilegiis donauit. Qui in arce inuenti fuere, paucis exceptis, vltimum supplicium subierunt. His ita gestis, Carolus Niortum adoritur. Vnde mox ad Borbonium ducem se proripuerunt Dalphinates. Quapropter Niortenses, nulla rebellione adhibita, Carolo se dedidere. Captus in arce est Iaquetus, ille proditor, & in partes quatuor mēbratim dissectus. Cognito, quòd Dalphinum cum suis dux Borboniorum recepisset, consiliorū particeps factus, copias in Borbonienses Carolus ducens, complura loca cœpit, multis regionem damnis afficiens. Hæc agente Carolo, Dalphinus sanctum Porsanum occupat: bellj fortunam experturus. Rex vero nunc Rionem, nunc Claromontem incolebat, Borbonium agrum incursantibus suis. Hæc ciuilis pestis, sexto postquam cœpe-

Abrincæ.

Ludouici in patrem coniuratio.

cœperat, mense, intercessore comite Deu, quieuit: Dalphino in patris gratiam redeunte, qui postea apud regem vixit. Conspirationis autem auctores, venia a Carolo impetrata, & regio diplomate firmata, quiq; in suas domos abierunt. Per hos dies obsidentibus Harfleum Anglis, Franci, duce notho Aurelianensi, valida manu mouentes, cùm Anglorum munitiones penetrare non potuissent, Harfleum tandem præsidio saluo, & Montiuilliarium hosti permisere. Atq; eodem anno Carolus Aurelianorum dux, qui post Blanchianam pugnam in Angliam ductus, quinq; & viginti annos in custodia Angliæ regis fuerat, solutus est, quater centum aureorum millibus pro ipsius liberatione numeratis. Hic cum in sancto Audomaro reuersus ageret, Philippi, ducis Burgundiæ, neptem Mariam Cleuensis comitis filiã desponsauit, multis à duce donis honoratus. Eodem tempore Ægidius de Raia, Franciæ Marescallus, sortibus vsus, plærosq; infantes peremerat, quorũ sanguine futura auspicabatur, principatũ affectans. Qui Britonum ducis iussu comprahenditur, & mox veritate maleficiorũ, per Petrum Hospitalẽ, ducis cancellariũ, comperta, duplici cruciatu eodẽ fere momento afficitur. Extabat ad tormenta furca, ad quã Ægidius illaqueatur, scabello supposito, cui pedibus adniteretur. Circũ quem accenso igni & scabello deiecto, confestim strangulatur & vritur. Est rupes in inferiore Normannia, instar insulæ, in mare prominens, interdiu bis atq; noctu æstuariis maris tribus partibus alluta, quam Grauillam incolæ vocant. Eam Girardi villam primo dictam fuisse accepi. Eam cum alternis expugnationibus Franci Angliq; diuersis temporibus possedissent, Angli tandem instaurant, valide illam munientes, vtpote quę inexpugnabilis esse fortificatione facta videretur, & quam deinceps validissimo præsidio tenuerunt. Et Franci quoq; eodem exemplo Louuerium, diu desolatum à Normannis oppidum, auctoribus Potono, Salzardo, & Anthonio Chabano muniunt, nongentis militibus præsidio adhibitis. Extruxerunt præterea ad Sequanæ ripam ligneum propugnaculum, quo Rothomagum nauigio adire, eos, qui supra aduersum amnem incolebant, impedirent. Conchas item Petrus Bressaius, & Floquetus, dedentibus se Anglis, cœpere. Et Catharina Caroli septennis filia, Philippi ducis primogenito desponsata est, vt quæ inter principes beniuolentia conuenerat, sacro nuptiarum fœdere perduraret. Est in Vasconia oppidum Tartas non ignobile ad dominum de Albreto spectans. Id cum Franci tenerent, Burdegallus Senescallus cum Caprabusso & quibusdam Anglis circunuallauit. Contritis tandem in obsidione mensibus fere septem, interueniente Albreto, ad insequentem modum conuentum est. *Oppidum in Francorum potestate permaneret: Carolus, Albreti filius, in eo præfecturam gereret, fidem tamen daturus Burdegallo Senescallo, nullam se vim aut bellum ex oppido aduersus Anglos illaturum: liberum Anglis in oppidum ire redireq; negociandi causa. Francis quoq; permissum esse, Burdegalæ aliisq; locis Anglicæ ditionis cum Anglis, mercatorum more, conuersari. Has conditiones si Carolus aliquando obseruare nolet, licere illum tertio ante præteritas conditiones mense id Marescallo prædicere, infra quod tempus si Franci prælio superarentur, locum dederent. Sin contrà: oppidum sibi possiderent. Carolo interim qui minori ætate esset, aliquot ex Francis Anglisq; consultores designarentur. Re vt scripsi confecta, quisq; quò voluit digressus est.* In Campania nonnullæ Francorũ cohortes, cùm per summã iniquitatem, per agros palantes, omnes passim spoliarent: Carolus rex Trecas petit, & imprimis Borbonium nothum, crudeliter armis abutentẽ, in amne Alba extinguere iubet. Plærisq; militum præfectis par facientibus, officio amotis: decernit, milites post hac, vicis relictis, vrbes vel arces incolere, & eis stipendiũ ex publico dari, quo sine iniuria quietissime alerentur. Ordinatis apud Campanos rebus, cum per Picardiam simile Carolus effecisset, Creoliũ mittit Coitiuum Marescallum & Hirum, qui arcẽ oppidumq; ad eã partẽ, quæ Bellouacos spectat, obsiderent: ipse vero per Siluanectum viã carpens, ad alterã fluminis Isaræ ripã castra admouit, reliquam oppidi partẽ obsidens. Fuit illic oppugnatio frequens, & aliquot locis, tormentorũ iactu, muri deiecti, quò interdũ Franci cõscendentes, manũ cum hoste conserebant, conspiciente eos rege. Quapropter colloquio cũ Francis de deditione habito. Guillermus Poitus, oppidi præfectus, libere cum suis abire permissus, arcem oppidumq; reliquit. Creolio re-

Harfleum ab Anglis capitur.

Liberatur dux Aurelianensis.

Aegidius de Raia.

Tarta

Stipendiũ militib. assignatũ vt vicis relictis arces incolerent.

Creolium capitur. *Pontiſara obſidetur.* cepto, ad ſanctum Dionyſium veniens Carolus, inde Pontiſaram copias omnes admouet, in cœnobio Maubuſſono, quod mille ab oppido paſſibus diſtat, diuerſatus. Reliquo exercitu veteres macerias, quæ è regione oppidi paſcua verſus ſunt, occupante. Quod ii, qui in præſidio erant, aduertentes, ſtatim oppido erumpunt: cœnobium, vbi Carolus agebat, impetentes. Fit igitur vtrinq; atrox prælium, ſed cedentibus Anglis, Franci ad pontem vſq; & propugnaculum, quod in eo hoſtis extruxerat, Anglum perſequuntur. Ibiq; ſubactis foſſis, & palis humo defixis, nocte illa ſe continuerunt, donec ex Pariſiis deductis nauibus, amnem Iſaram (qui oppidi muros præterfluit) tranſmiſerunt, eatenus quà diui Martini cœnobium extitit, quod Ioachinus Roaldus, Thealduſq; Valempargnus cum aliis quibuſdam feſtinanter occupant. Foſſis per gyrum cœnobii perductis, cum oppidum fere hoc modo circunſeſſum eſſet, Franci propugnaculum pontis, Anglis eiectis, capiunt. Libera erat porta, quæ Rothomagum ducit, qua ingredi hoſtis egrediq; poterat: ita, vt per eam Tallebotus ſæpe, & deinde Eboracenſis dux commeatum ſuis importarent, Francos nonnunquam ad pugnam prouocantes. Sed loco ſe mouere ordinemq; deſerere temerarium eſſe ducebant Franci, quorum maxime ſollicitus Carolus erat, diligentiſſime omnia prouidens, quæ obſeſſoribus conuenirent. Nam per Ambroſium Delorum, Pariſiorum prætorem, ingentem commeatum ad ſuos per amnem Sequanam Iſaramq; importare fecit, hoſte maxime inuito atq; ſummopere repugnante. Quod cum prohibere dux Eboracenſis Tallebotuſq; non poſſent, per Poſſiacum, vbi regem compræhendere Tallebotus ſperabat, iter faciens, cum oppidum pœnitus populatus eſt, vna cum Eboracenſi duce in Normanniam ſe contulit, relicto apud Pontiſaram Cliptono equite Anglo, cum fere mille armatis, quibus Eboracenſis abiens fidem dedit, de ſubſidio obſeſſis, ſtatuto die, conferendo. Digreſſo duce, Carolus accerſitis præfectis, qui per vicos finitimos in ſtatione erant, tormentis muros quatere cœpit: & templum diuæ Mariæ, quoad propugnaculum hoſtis vtebatur (quia prope muros extrinſecus erat) expugnat. Et tertio pòſt die oppidum circunquaq; oppugnare iubens, magno omnium militum animo nixuq; exuperat: occiſis quingentis Anglis captoq; cum aliis multis præfecto. Ex Francis quinq; ad ſummum deſiderati ſunt. Laudatus eſt imprimis Coitiuus Admiraldus, qui ad obſidionem atq; expugnationem, ſingularem operam nauaſſet. Nomen quoq; ſibi compatauit Iohannes Bureus, qui tormentis & belli machinis per eos dies præfectus erat, obſcurus antea & mox induſtria atq; diligentia regi acceptus. Ea victoria bene fortunatus Carolus Pariſium veniens, à ciuibus magna celebritate exceptus eſt. Eadem tempeſtate Iohannes Floquetus quorundam ciuium ope adiutus Ebroicas cepit: perforato ab aliquot incolis muro: per quem Floquetus eſt admiſſus. Et licet in Mercatum confugientes Angli ſe turribus tigniſq; circunfulciſſent: mox tamen partim interempti: partimq; capti, aut clam (reſerata ciuitatis porta) elapſi ſunt. *Notabile.* Subiiciam vnum, quod militem cautum reddere poſſit. Ex Pontiſara cum non pauci captiui in arce (quæ Coruilla dicitur) non longe à Cornoto in vinculis haberentur: vnus ex eis, vt reliquorum redemptionem procuraret, dimiſſus, Franciſcum Aragonenſem, qui Anglorum partium erat, conueniens, narrat quàm negligenter caſtellum à Francis ſeruaretur: facile factu eſſe, arcem occupare: prædari quæ in ea eſſent & inde vinctos eximere. Re cognita Franciſcus cohortem non procul à loco in inſidiis noctu locat: inde cum illuxiſſet, quatuor ex ſuis, habitu ruſtico indutos, pomorũ ſaccos raporumq; oppletos humeris, tanquam venales, importare in caſtellum mandat: qui nullo prohibente arcem ingreſſi (pars enim præſidii loco aberat, pars adhuc ſomno tenebatur) in cubiculum præfecti euadunt, eumque dormientem compræhendunt, & mox ex inſidiis proripiens ſe hoſtis, arcem & quæ in ea comperta habuit, occupat. Atque ita ſolutis captiuis reliquam prædam Rothomagum traduxit. *Ignauiæ pœnas digne luit qui inimico proximus ſibi diligenter non cauet. Enimuero periere aliquando toti exercitus, ſibi nimium indulgentes, & non attendentes quid hoſtis moliatur.* Anno inſequente, qui fuit Chriſtianæ gratiæ, CCCXLII. ſupra mille Tallebotus mille quingentorum delectorum Anglorum ductor,

ductor, non procul à Dieppa maritimo oppido, quod à Francis tenebatur, castra ponens in colle (qui Polletus ab incolis dicitur) consedit: extructa ibi lignea, grandi admodum, turre: quam multis tormentis & machinis bellicis communiuit: vt inde oppidi muros crebris iactibus concuteret. Erat ad oppidi tutelam Carlotus Maresius, trecentos secum egregia virtute milites habens. Ad quem paucis pòst diebus Iohannes Aurelianensis nothus cum circiter mille armatis veniens: postquam locum militemq; recensuit, Arturum de Longauilla & Thomam Droinum, sexcentorum manu militum stipatos, ad vetus præsidium adiungens, Dieppa egressus est. Misit præterea Carolus rex alterum subsidium obsessis: cui præfecit Theodoaldum Burgesium: assignato illi Guillermo Richaruillo, centum equitũ præfecto. Firmata tanto præsidio Dieppa, Franci Talleboto cum potenter resisterent: ipse paulo post abiit, relictis ad obsidionem peragendam sexcentis Anglis, quibus præerant Guillermus Poitus & Ioannes Ripellaus. Procedente tẽpore post quàm hostis ad Dieppam pertinaciter sedet: Ludouicus, Caroli filius Viennensis, Dalphinas, patris iussu, ingenti collecta militum manu, ex Pictauis Dieppam petit: dissoluendæ obsidionis gratia. Qui secundum amnem Sommonobriam iter faciens: obuios sibi excepit sexcentos supra mille milites: qui ei in ea expeditione obsequerentur. Eorum primi ductores extitisse referuntur sancti Pauli comes: Domicellus de Commerci: Gaucurtus, Castillionis, Lauali comitis frater, & eius Castilioni dominus qui ad amnem Matronam est. Accessione huiusmodi procerum instructior factus, Dalphinus Abbatisuillam se contulit: quò Thedoaldum Burgensem ad se venire iubet. Is vbi aduenit: consilio de re gerenda capto: Thedoaldum cum trecentis militibus præmittit, qui ad Anglorum castra commeatum inuehĩ prohibeat. Ipse paulo post reliquas copias Dieppam ducit, vbi postquam militem ex labore paulisper recreatum habuit, occidente iam prope sole sexcentum prope armatos ad collem, vbi hostis considebat, proficisci imperat. Fuit nox illa continuo fere imbre madens, nec propterea erumpere in Francos destitit hostis, quanquam acri pugna in munitiones suas regredi à Francis cogeretur. Postridie Dalphinus Dieppam mouens, in collem Poletum in conspectu hostium copias sistit. Habebat enim fabricatos ligneos pontes ad transmittendas fossas, quibus se Anglus per ambitum ligneæ turris circunsepserat. Igitur secundo die, postquam ad collem successit, pontes rotis prouectos ad fossas admouens: mox signo dato oppugnare turrim festinat. Nec segniter hostis obstitit, & insilientibus in eum Francis summa vi conflictatur, hos saxis opprimens: alios telis sagittisq; vulnerans. Ad primum congressum octoginta Franci cæsi sunt: trecentis, & supra, grauissime sauciatis. Quibus integri, hortante Ludouico, succedentes, oppugnationem nequaquam deserebant: Dalphini præsentia, Anglorum quoq; odio vehementer animati. Nec defuere Dieppenses, qui balistarios sexaginta educentes, crebris scorpionibus hostem, ne è turris muro tutò propugnaret, prohibebant. Eapropter instante atrociter Franco milite, expugnata est turris, trecentis Anglis interemptis, reliquis captis, cum Guillermo Poito: Iohanne Rupallo & Tallebotì notho, qui in Dieppensium potestatem venere. Qui autem Francæ originis erant, omnes suspendio affecti sunt, cum aliquot Anglis qui ante oppugnatam turrim Dalphino conuiciati fuissent. Tam firmo propugnaculo dissipato, tormenta, quę in eo erant, in oppidum Dalphinus transtulit: laudatis militibus ciuibusq;, quorum diligenti opera parta de hoste victoria erat. Dedit item oppidanis munera ad sarciẽda damna, quæ obsidionis tempore perpessos esse cognoscebat. Insequenti anno MCCCC XLIIII. de duorum & viginti mensium induciis, inter Franciæ Angliæq; reges, conuenit: permissa vtrinq; libertate, merces commutandi atq; inter se negociandi. Per quod induciarum tempus ne miles ocio torpesceret, Siciliæ regi Carolus suppetias tulit aduersus Mettenses, & quosdam Lotharingiæ incolas, qui ei non parebant. Admonitis Mettensibus obedire, cum dicto audientes non essent, eos Carolus circunsedit multis copiis, & Dalphini præsentia potens. Firmata obsidione, Romanus imperator de Heluetiis questus, quòd imperio rebellarent: Carolum per Bourgalemonium Germanum, insignem equitem, o-

Dieppa obsidio.

Expeditio in Mettenses.

rat:partem militum ſibi contra deſciſcentem à ſe Heluetium communicet. Ea res cum ingrata regi non eſſet, Dalphinum Baſileam cum copiis mittit, aſſiſtente illi Bourgalemonio, Federici militis præfecto. Dum autem viam pergit, Heluetiorum non contemnendam manum, non longe à Baſilea offendit, in quos, cum in hortos quoſdam ſe recepiſſent, arma conuertens: Bourgalemonium ante alios amiſit, cum aliquot aliis, interemptum. Fudit nihilominus hoſtem, & ad vnum occidit. Inde ad ſanctum Hippolitum mouens, ſpe oppidi confeſtim oppugnandi: cùm id fruſtra conatus fuiſſet, habuit tamen ſibi obtemperantes oppidanos. Sed Francus miles, ſuo more, ex agris prædas agens, furentem gentem in ſe excitauit: ita, vt diuerſis locis conſociati Heluetiorum manipuli non paruam copiarum partem occiderint. Igitur Burgalemonio mortuo, ſuiſq; partim occiſis, Dalphinus regionis aſperitate cognita, ad patrem, qui apud Nantium (Lotharingiæ primarium oppidum) erat, reuerſus eſt. Quò ſe contulit comes Suffortus, Anglus, ab Henrico ad Carolum miſſus: qui Caroli filiam regi ſuo vxorem peteret. Neq; id comiti denegatum eſt. Præerat Mettenſibus Iohannes Vitotus, barbatus & feris moribus homo. Hic equo inſigni vtebatur, in cuius cauda aſſutum erat tintinabulum, vt ingrediens egredienſq; ſæuus imperator audiretur: atq; cognoſceretur. Adeo quidem inhumanus, vt ex ſuis, aut ex hoſtibus captum neminem precio redimi ſuſtineret. Si autem compertum haberet, fœminas vrbe egreſſas, de virorum liberatione pertractaſſe, eas nece afficiebat. Sed barbari crudelitatem vicit ciuium prouidentior modeſtia. Fatigati itaq; diuturna obſidione Mettenſes: regem muneribus placant: ducentis ſcutorum millibus belli impenſas compenſantes. Rebus ad hũc modum ordinatis: Carolus Cathalaunũ profectus eſt. Sub idem tempus cum eccleſiæ ſynodus Baſileæ haberetur, Eugenius pontifex Romanus, cognito, quòd patres (qui conſilio aderant) eum à pontificatu amouere ſtuderent, ſynodum Ferrariam & inde Florentiam transferre laborauit. Vnde Baſilienſis ſynodus Amedeum Sabaudum (qui ſolitariam vitam apud Rapaliam viuebat) in pontificem (quem Fœlicem nominauit) aſſumpſit. Interim mortuo Eugenio, cum Romani cardinales Thomam de Suſanna Eugenio ſubſtituiſſent, Nicolaum (v. eum appellantes) orto in eccleſia ſchiſmate, Caroli maxime opera contentio ſopita eſt: conceſſa Fœlici per Sabaudiam ampliſſima legati poteſtate.

In Heluetios.

Ductor Mettenſium crudelis.

Fœlix Sabaudus Papa.

CAP. 4.

PER eoſdem dies, tametſi inter reges Francorum atq; Angliæ induciæ procederent, Franciſcus tamen, Surienus cognomento, Aragonenſis, tumultuaria armatorum manu Feugeras (quæ Normanniæ finitimæ ſunt, ad Britanniam pertinentes) circunuentas cepit, atq; populatus eſt. Qua de re Britonum dux apud Carolum per nuncios queſtus, oſtendit hanc in illum contumeliam ab hoſte illatam eſſe: inducias illibate conſeruantem decere, ab Anglo repetere, quod per nefas abſtuliſſet. Querela ducis accepta: Carolus ad Angliæ regem & Sombreſſetum ducem Iohannem Hauartum & Guillermum Couſinetum ex ſuis aulicis mittit, qui res ex Feugeris, induciarũ tempore à Franciſco ſurreptas, repeterent. His reſponſum eſt, Franciſcum Aragonenſem id non ex ſententia regis commiſiſſe, factum neq; regi, neq; Sombreſſeto placere. Quod vt Carolo Sombreſſetus perſuaſum faceret, per nuncios idem ſignificat: petens, vt ob eam rem nihil de induciis nouaretur. De accepta autem iniuria, ſi oratores Louuerium mitteret, eódem venturos Sombreſſeti legatos, qui controuerſiam pariter componerent. Id Carolo cum gratum fuiſſet, dies conuentioni apud Louuerium dictus eſt. Ibi dum oratores conſultant: interim de tollenda Anglis Pontiſarce (fortiſſimo ad Sequanam in Normannia oppido) Floquetus, Ebroicenſis prætor, vir bello ſtrennuus conſilium capit. Vector quidam quadrigarius, ſolitus per id oppidum iter crebro facere, & eam ob cauſam Anglis iam notus, prouiderat animo, eius loci præſidium negligenter agere: neq; ſatis oppidi cuſtodiæ attentũ eſſe. Igitur rẽ à ſe frequenter animaduerſam ad Floquetũ Iacobũq; de Claromonte, & dominũ de Maulgnio belli peritos defert. Petitq; ſibi aliquot delectos milites attribui, qui illum ad id negocium iuuent. Deſignantur imprimis duo: qui ſingulis ſecuribus deſumptis, lignarios ſe fabros ſimulantes, vectorem comitantur. Quos ſingulatim alii longo interuallo, ne

multi-

multitudo ſuſpicionem faceret, ſubſequuntur. Qui omnes definito inter eos die, ad cauponam, quæ in ſuburbio eſt, hoſpitii prætextu conuenere. Huius autem cauponæ hoſpes iniuriam, ſupra paucos dies, ab Anglo acceperat. Quod non ignorans quadrigarius, ab indignante ob iniuriam hoſpite, cubiculum ſeorſum petit: vbi ipſe cum ſuis ſecreto diuerſetur: ſimulq; rem conceptam illi patefacit. Lætus rei indicio hoſpes, opem quoq; ſuam illis pollicetur. Inſequente nocte dominus de Breſſi, cum militum cohorte, quam proxime oppidum poteſt, verſus ſancti Audoeni portum ſe ad inſidias componit. Floquetus ad alteram pontis regionem, quæ Louuerium ſpectat, cum Iacobo Claremontano & quingentis equitibus, in vicino nemore, ſe collocat. Vector quadrigarius, ſub lucem inſequentis diei, cum vehiculo ad primam vſque pontis portam cum ſimulatoribus fabris tantum progreſſus: ianitorem nomine appellat: orans ianuam ſibi reſerari: quod feſtinus eſſet, merces importare quò eas vehendas receperat: ſimulq; præmium beneficio pollicetur: fidem dans, pro eis, qui ſecures ferebant. Ianitor, qui vectorem notum haberet: adhibito ſecum Anglo, portam recludit, quam mox vector ingreſſus, vehiculum ibi ſiſtit, ſimulanſq; ex marſupio nummos in mercedem Anglo depromere: vnum, qui ex Britonum moneta erat, labi in terram ex induſtria permittit: quem nummum vt humo leuaret, dum ianitor procumbit: vector exerto pugione confodit: ii vero, qui fabri putabantur, ad ſecundam portam interim cum proceſſiſſent, Anglum interimunt. Moxq; ex inſidiis Floquetus, aliiq; milites properantes, oppidum arcemq; hoſtiliter vociferantes inuadunt, omni præſidio vel cæſo vel capto: cùm ad eam horam, non aliter, quàm ſecurus, quiſq; obdormiſſet. Inter captiuos compræhenſus eſt comes Fauquemburgus, diues Anglus. Ea res Anglos mirum in modum contriſtauit. Quibus ne paci præcluderetur via: Carolus, quæ capta erant, reddenda cenſuit: ſi Feugeras reſtituerent. Id ad Sombreſſetum referentibus Anglis, vtriq; legati ad cœnobium (quod bonum portum vocant) poſtea coiere. Interim Gerberoium in Bellouacis à domino de Moui: & in Burdegalis Conacus: Malgrinuſque à Verdrino Vaſcone & à Floqueto in Normannia Conchæ captæ ſunt. De quibus locis recuperandis, miſſo à Sombreſeto Iohanne infante, Carolus reſpondet, ſi Feugeras Britonum duci reddant, ea, quæ recenter capta, Franci tenerent, ſe reſtituturum. De Feugeris in mandatis nihil habere, cum Iohannes infans reſpondiſſet, re infecta diſceſſit. Nec ab his, qui ad bonum portum conuenerant, aliud geſtum eſt. Reuerſis ad Carolum oratoribus, ipſe de belli ratione conſilium cum ſuis communicat: quippe qui hoſtis ſuffugia doloſque nulla modeſtia peruincere poſſet. Ad Britonum ducem miſſis nunciis, bellum communi beniuolentia gerendum ſuſcipitur. Per præcedentium tempus induciarum non deſtiterant Angli, qui Mantam Vernoliumque & Latiniacum occuparant, vias publicas inſidere, quoſque paſſim vel ſpoliantes vel iugulantes: &, vt à crimine patrocinium ſumerent, eos qui ab eis talia paterentur, Armigniacos appellabant. Facies tamen ſuas, ne agnoſcerentur, laruis obtegebant & perſonati quidem incedentes, laruatos ſe appellari gloriabantur, eoſque pſeudofaciatos vulgus vocitabat. Aduerſus tot mala, coeuntibus vndique copiis, auſus hoſtis ex Feugeris in Britones eruptionem facere, viginti ſupra centum Anglis occiſis, in ſuas munitiones redire coactus eſt. In Normannia apud Vernolium *Vernolium*
multor, cuius molendinum oppidi muris proximum erat, nocturnis excubiis de- *capitur.*
ſignatus, cum forte obdormiſſet, ab Anglo excitatus, iniuriam acceperat. Quam ægre admodum ferens multor, de prodendo Francis oppido, rationem cum Floqueto init. Commoditate facinoris accepta, Floquetus mercedem homini pollicitus, Petrum Bleſſeium & Iacobum Claremontanum rei conſcios facit. Quos ad conſtitutum diem conuenientes, multor per molendinum, cui ipſe præerat, ſcalis ad muros oppidi admotis, in Vernolium admittit. Erat enim dies ille dominicus, ad rem diuinā audiendam, Chriſtianis maxime celebris. Hinc occaſione accepta, multor, qui eo quoq; die excubuerat, collegas ſub lucem admonet, ad eccleſiam rei diuinæ gratia properare, vt Dei religione expleta, mox cibo matutino reficerentur. Igitur collegis abeuntibus, gratum Francis facinus multor perpetrauit,

suam iniuriam vlciscens. *In minima siquidem fera interdum animus inest, se ad vindicandum, pro tempore, componens.* Capto oppido, qui euadere potuerunt, Angli in arcem se receperunt: atq; eam, quæ in media arce est, turrim, muro fossisq; apprime munitam, occupant. Ex qua ne hostis dilaberetur, Iohannes Dunensis comes, quem Aurelianum nothum supra nominauimus, Caroli militiæ per eos dies princeps, protenus adueniens turrim circunsedit. Nec multis interiectis diebus accepit, Tallebotum cum copiis, Bretolium aduentasse: non aliam ob rem, quàm vt obsidionem dissiparet, importaretq; commeatum obsessis. Ea propter Dunensis comes non diu Vernolii moratus, relicto in obsidione Florentio Dilliers, Carnotensi: in Tallebotum ducens, eum non procul ab Haricuria est assecutus, loco quidem munitissimo se continentem. In quo à Francis, die illa tota, ad pugnam prouocatus, nullam pugnandi potestatem fecit. Sed insequente eius diei nocte in Haricuriæ arcem se contulit. Franci autem relicto Talleboto, Ebroicos profecti sunt. Dum hæc in Normannia geruntur, Carolus Ligeri per Ambasiam transmisso, Vernolium petere constituit, opem laturus obsidentibus turrim. Et per eos dies comites Deu & sancti Pauli, cum quatuor equitum millibus Nogentum ducentes, oppidum arcemq; capiunt: præfecto Iohanni Fabro, cum iis, qui in præsidio erant, data libertate abeundi. Arcem verò iniecto igne desolatam Franci reliquere.

Pons Audomarus capitur. Inde progredientes, Sequana traiecto, ad pontem Audomari, vocante eos ab Ebroicis Dunensi comite, iter carpunt. Illis igitur ad Rillum amnem, qui præter muros fluit, se conferentibus: Dunensis comes, cum reliqua copiarum parte, in regione, quæ ad Rothomagum vergit, castra ponens, postquam omnia, quæ ad oppugnationem necessaria erant, parata nunciantur, dato signo quisq; certatim in muros euadere contendit. Itaq; magnis animis Anglus obsistit. Sed in oppidum irruentes Picardi, moxq; altera parte Dunenses, hostem propulere. Qui in ædes publicas (quæ in Mercato sunt) confugientes, paulo post comitum Dunensis & sancti Pauli potestati se permisere. Qui enim capti sunt, fuere viginti supra quadringentos: inter quos oppidi præfectus Montesaurus, Normanni fisci moderator fuit, & Fouquetus Hetonus, Anglus. Re bene ad pontem Audomari gesta, dominus de Moui ad loci præsidium statuitur. Sub idem tempus aliæ quædam arces à Francis duce Loheaco receptæ sunt. Et Vernoliana turris, rege Carnoti agente, deditionem fecit: modico redemptionis precio, ab iis qui in præsidio fuissent, persoluto.

Lexouium. Secuti sunt Lexouii, ad quos Dunensis comes, cum iis qui ad pontem Audomari militauerant, mouens: eos, nulla vi adhibita, receptos, suis legibus viuere permisit.

Manta. Manta plus laboris, vt se dederet, attulit, deditionem recusantibus Anglis, qui eam tuendam receperant. Sed, deficiente ab eis plebe, & porta (quæ Sancti nomen habet) cum bona oppidi parte armis occupata, ciues ad Francos egressi, de deditione conditiones acceperunt. Quod ab Anglis compertum, eos humiliores fecit. Nam, accepta discedendi cum suis fortunis libertate, oppidum reliquere. Cæteris qui cum hoste aliò se conferre duxissent, idem permissum est. Manentibus nihil nocitum omnino fuit. Rebus compositis Petrum Breseium comes Dunensis oppido præposuit. Carolus eodem tempore ex Carnotensibus Vernolium venit, ab incolis magna animi alacritate & beniuolentia exceptus. Atq; interim Pictauensis Senescallus, Petrus Bresseius, memorabile facinus adortus est. Est castellum apud Normannos Longnium, cui præextenditur atrium patens (quod Bassam curtam Franci dicunt) fossa muroq; circunseptum. Ei castello præerat Sanctimarianus, Francisci Aragonensis gener, habens ad loci præsidium milites ducentos, quos in atrio continebat. Cum hoc Bresseius colloquio habito impetrat, castelli deditionem, oportuno tempore, à se faciendam.

Longnium. Adueniente conuentorum die, Bresseius armatos Longnium mittit, quos Sanctimarianus, soceri amicitiam eiusq; vxoris præsentiam parui ducens, in castello clam per posticum introducit. Qui autem in atrio stationem habebant, Francis in castello conspectis, obsistere quidem conati, facile, quasi & numero & robore inferiores, cœpto destiterunt: qui omnes capti, & bonis spoliati sunt, præter Francisci vxorem, quæ cum fortunis (in generum multum prius oblocuta) libera discessit. Sub idem tempus

pus caduceator à Floqueto ad Vernonenses (qui Sequanam in Normannis accolunt) missus, vt in Caroli ditionem fidemq; se conuerterent, à Iohanne Doremonto, loci præfecto, irrisus est: dicente, se quidem cùm loci incolis, oppidi claues, perquam libenter, præbiturum. Nec moratus, ad clauium artifices pergens Doremontus, multas rubigine vetustateque semesas claues caduceatori colligatas tradit. Cui respondens caduceator: Hæ, inquit, obsoletiores sunt, quàm tam celebris oppidi portis conueniant: moxque ad comitem Dunensem (qui interim proxime Vernonem copias admouerat) accessit, referens ea, quæ à Doremonto gesta cognouisset. Illusione accepta, comes ad oppidi regionem, quæ ad Rothomagos spectat, consedit, domino de Moui, & Guillermo Canuto alteram partem obsidentibus: quibus erat Francorum sagittariorum frequens manus attributa, qui ad belli necessitatem recẽter fuerant ex ruricolis delecti, & à vectigalium omnium contributione sine controuersia liberi. Enimuero ex ædibus sexaginta, vnus assumptis armis, ab iis, qui domi restant, instructus & aureo tantum nummo, dum domo egreditur, donatus, in militiam pergit. Et horum quidem egregia opera Carolus multis locis prospere vsus est. Ex eorũ numero hi, qui sub domino de Moui & Canuto militabant, insula (quæ in Vernonis conspectu est) occupata, confestim pontem (qua in oppidũ via est) intercipiunt. Quare perterriti oppidani, ex suis ad comitem legant Iohãnem Abarronem, Anglum, & Guillermũ Daguenetum: cum aliquot loci, bonę opinionis, incolis. Quibus ad comitẽ admissis, Daguenetus ita locutus esse perhibetur. *Ad Vernonenses (illustris comes) caduceatorem misisti, qui eos regis tui nomine admoneret, se atque oppidum, eius potestati permittant. Igitur ad te venimus, vt nobis dicas, quamobrem admonendos nos esse ducas, & quid à nobis tibi faciendum putes.* Comes (vt modestus erat) respondens: *Non ignoratis*, inquit, *viri oratores, Vernonem cum arce & circumiacenti agro, ad Carolum regem, paterno iure, pertinere. Quæ cùm vel vi vel dolo ablata hostis occupet, nunc patri ad regnum succedens Carolus, ea sibi restitui iure optimo petit. Fuisse nanque per superiores annos multa gesta bella, quibus vastatum regnum attritusque populus, diu multumque misere elanguit: demum inducias inter principes intercessisse, vt interim concordiæ via pararetur. Sed parum in fide stantibus Anglis, medio induciarum tempore, Feugeras occupasse, & expilasse: quam adhuc tenerent, tametsi compluribus conuentionibus, de reintegrando damno, fuisset tractatum. Tam multis iniuriis acceptis, Carolum ex procerum consilio constituisse, iustissimis repetere armis, quæ à patre atque à se Anglorum perfidia sustulisset. Eam causam esse, quamobrem vos de deditione facienda admonere præcepimus.* Postquam hæc à comite dicta sunt, qui missi fuerant, seorsum à contione secedentes, recusantibus Anglis deditionẽ, oppidani Caroli se partes sequi omnino constituerunt. Relictis propterea apud comitem obsidibus, Vernonem repetentes, Vernonetum imprimis (id enim arci nomen est) restituere. Verum quòd à Rothomagensibus non plurimum Vernonenses absunt, & inde subsidium affuturum sperarent, oppidum dedere ea lege pollicentur, si Anglus suppetias illis infra proximum sabbatum non ferret. Constituto die, quia se destitutos ope intelligerent, emissis libere ex præsidio Anglis, Dunensem comitem in oppidum Vernonenses admittunt: qui loci atque arcis custodiam Rigaldo de Fontanis assignauit. Dum hæc Vernone geruntur, Carolus Ebroicas, deinde Louuerium petens, ab incolis incredibili lætitia exceptus est. Quo tempore Guillermus Canutus arcem (quæ Dangu appellatur) ex præfecto Portugallo, voluntaria deditione, recepit. Et sancti Pauli comes Gorneium in fide admittens, oppido atque arce à Carolo donatus est. Comes item Dunensis, post quindecimum obsidionis diem, Haricuria potitus est. Interim mouentes ex Vernone proceres, ad Carolum Louuerii agentem, cum igentibus copiis conuenerunt: per quos dies rupis Guidonis dominus, eius nominis arcem, quæ ad eum pertinebat, dedente se præfecto, recuperat. Contractis ad Louuerium omnibus copiis, Carolus maturat ea persequi, quæ ad reliquam Normanniam subiugandam opus erant. Carolum igitur, Arthesium comitem Deu, sancti Pauli quoque comitem & Iohannem Saueusum cum quatuor armatorum millibus ad nouum castrum, cui præfectus erat Adam Billotonus An

Vernonenses.

Institutio Francorum sagittariorum.

Oratio comitis Dunensis ad Vernonensium oratores.

Copiæ ad Carolum conueniunt.

glus, in pręsidio habens quadraginta supra centum milites, proficisci iubet. Captum est oppidum vi arxque recepta, concessa Anglis facultate, suas inde fortunas exportandi. *Cambrasium* Dunensem præterea comitem Carolus alteras copias ducere Cambrasium mandat, quem complures Franci proceres, vno exercitu, comitati sunt. Inter quos fuere comites Claremontensis & Niuernensis: Dordallus & Ialonus Franciæ Marescallus, Carolus Culautus, Petrus Bresceius, Gaucurtus, Buellus peditum equitumque millia quatuor educentes. Castris ad Cambrasium admotis, post diem octauum, Guillermus Ernitus, Anglus, arcis præfectus (lege cum Francis libere discedendi composita) loco cessit. *Dessaium.* Erat Dessaium, in Alenconii ditione, castellum, quod Anglus multis annis tenuerat, ab eoque lacus, non longo multum interuallo distans. Hunc lacum cùm hi qui ad Dessaium erant, expiscandum per eos dies accepissent, plerique lacum petunt, piscium concupiscentia illecti. Ea re per nuncios cognita, Alenconii dux, contractis ex tempore copiis, ad lacum occultis itineribus contendens, Anglos illic palantes omnes intercipit. Captosque in Dessai conspectu sistens, eos neci destinat, nisi arcem dedant. Deditum oppidum est, & castellum. *Fœcanum.* Ex Dieppa quoque qui in præsidio erant, partim Fœcanum cœnobium (quòd ad Oceanum est) petentes, noctu expugnant. Nec longa mora interposita, ecce ab Anglia nauis, quę circiter centum milites ad Fœcani præsidium ferebat, ad portum appellitur. Quos Fœcanæ oppugnationis ignaros, & ideo in continentem egressos, Franci compræhendunt. Ad hæc Britanniæ dux, Francorum suorumque robore stipatus, ex Britannia Constantiam profectus, ciuitatem *Constantia.* secundo sui aduentus die (abeuntibus inde Anglis) cœpit. Eadem fortuna nulloque negocio *Sanctus Laudus.* sanctum Laudum, & vicinas arces, non paucas, occupat: vbi ex Francis præsidium constituit. *Alenconium.* Sub id tempus Alenconienses ad ducem suum missis clam nunciis, patere illi aditum in oppidum promittunt. Quo nuncio dux spem recuperandæ hæreditatis capiens, protinus copiis ad oppidum collocatis, ab incolis intromittitur, Anglis in arcem fugientibus, quam fractis animis defensantes, paulopost ducis se arbitrio dedidere. Auxiliatus est duci ad hanc rem Ludouicus Bellomontus, qui ex Cænomannia, ad eum sexaginta equites ducens, cõuenerat. *Gasto Fuxi comes.* Fuit eodem anno MCCCCXLIX. apud Vascones Francis fortuna (sicuti cœperat) candidior: Gastone Fuxi comite Maulissonem obsidente, qui à Carolo, Vasconiæ regionis, ad Pyreneum vsque administrationem receperat. Erant Gastoni in obsidione tria equitum, & decem sagittariorum millia. Quorum repentino conspe- *Maulisson.* ctu permoti oppidani, ad Gastonem nuncios, de deditione, misere. Angli vero, vbi id cognouerunt, in arcem, quæ in edita rupe est, profugerunt. Itaque Maulissone recepta, comes Fuxi, cùm accepisset in arce pœnuriam frumenti & commeatus esse, rupem ex omni parte circumuallat. Cui animo obsistendi rex Na- *Nauarrus rex Anglos secutus.* uarrus (cuius filiam Gasto habebat vxorem) sex varii generis hominum millibus contractis, cum Gastonis militum ordinem roburque explorasset, suis paulo retrocedere iussis, ad comitis se colloquiũ admitti impetrat. Coiere paruo militum numero principes, mille à castris Francorum passibus: vbi rex Nauarrus comitem allocutus: *Miror te*, inquit, *carissime gener, neglecta veteri nostra amicitia Maulissonem, quam tuendam mihi Anglus commiserat, vindicasse, & nunc arcem quoque* *Gastonis responsio.* *capere conari, cui meus Conestabilis, suo & Anglorum nomine præsideret.* Ad regis verba Gasto ad sequentem modum respondit. *Affinitatem recte, rex illustris, commemoras, quamobrem tibi & beniuolus & obsequens esse debęo, si aliò me non duceret parendi necessitas, & honestas officii. Carolo regi subiectione & fide cum sim imprimis obnoxius, tum ob id maxime, quòd Vasconiam meæ tutelæ supposuit, iussus ab eo, Maulissonem cæpi. Neque hinc abscedam, donec aut alter me fortior extrudat, aut arcem ad Caroli ditionem redire compulero.* Comitis voluntate cognita, Nauarrus copias ad se reduxit. Obsessi verò impetrata discedendi securitate: arcem dedidere.

EODEM temporis tractu, quædam in Normannia arces captæ sunt à domino de Blãuilla, Touqua, in rupe proxime oceanũ extructa, à Dunẽsi comite Argentonũ: vbi simulato metu ex muro de deditione prolocutus hostis arma cõpararet, quidã

in

Dolus dolo superatur.

in populo primores, diuersa qua Anglus parte dolos agit, Francos affati, fraudem manifestant, orantes, signum quòd præ se ferrent, sibi protenus dari. Oppidanos constituisse, Carolo regi parere, Anglis expulsis. Signo recepto, Francos admonent eò accedere, quò signum in muro erectum cernerent: se quidem illos in oppidum accepturos. Admissis, per muros bono numero, Francis, Angli suo commento frustrati, in arcem perpropere cōfugerunt. Quam non multo pòst dedidere, ex suis fortunis omnibus, præter baculum vnum, nihil inde exportantes. Nec fuit Oliuerio de Carsalio, præsidii præfecto melior conditio. Per eos dies castellum Gaillardi, loco edito, ad Sequanæ ripam, constitutum (Carolo in obsidione agente) captum est. Freneii quoque arx, ab Alenconii duce (dedētibus se libere Anglis) recepta. Gisortium præterea Richardus Merburus, Anglus, Carolo restituit. Donatus propterea à Carolo sancti Germani in Laia ditione atque præfectura. Duos insuper liberos Iohannem atque Hemonem, qui apud pontem Audomari capti in custodia tenebantur, recepit. Gisortio præpositus est Gaucurtus Veteranus, auratæ militiæ eques: rerum gerendarum longa experientia & fide in regem spectatus.

Iohannes Gaucurtus.

Rothomagus obsidetur.

Tot per Normanniam locis potitus rex, cum & procerum presentia, & robustissimo exercitu instructus esset, contractis, ad Nouiburgi planiciem, copiis, Dunensem comitem Sequanam (Rothomagum versus) transmittere iubet, præmissis ad ciues caduceatoribus, qui ciuitatem ad Caroli ius repeterent. Quos hostis comminata illis morte, audire recusauit. Tenebatur enim ciuitas firmissimo Anglorū presidio. Caduceatorum relatione percepta, Carolus copias ad ciuitatem promouere mandat. Admotis in vrbis conspectu militibus, atque per caduceatorē, de dedenda ciuitate, ciuibus iterum admonitis, postquam triduo toto, quo illic acies constitit, nemo in colloquium prodiret: ingruerentque continui imbres (erat enim hyemis principium) Dunensis comes ad pōtem arcis se recepit: diuersantibus per circumiacentes vicos, ad hibernandum, militibus. Dum hæc ita Rothomagi aguntur, aliquot ciues, quibus grauis esset Anglorum principatus, duas turres, cum muro intermedio, per speciem custodiæ occupant, animo quidem Francos oppugnationis tempore in ciuitatem admittendi. Ea spe erectus Carolus, Dunensem comitem cum omnibus copiis Rothomagenses adoriri iubet. Posito in conspectu ciuitatis toto exercitu, duas acies Dunensis instituit, vnam cui ipse præerat ad portam (quæ Bellouaca dicitur) sistit. Altera, quam Claremontensis comes Carolus ducebat, inter furcas & ciuitatem se locat. Expectantibus in eo ordine Francis, si quod à ciuitate signum prodiret, venit ad eos hora, post meridiem, ferme secūda, homo eques, renuncians duas turres à quibusdam ciuibus non alia causa teneri, quàm vt opem accedentibus Francis afferrent. Quo nūcio admonitus Dunensis, sagittarios ad eam partem, qua turres erant, mittit: ipse vero pedes (reliquo comitante exercitu) subsequitur. Iam scalis erectis, quadraginta armati in ciuitatem euaserant, cum Tallebotus cum trecentis egregie instructis, peditibus properans, militare vexillū in summo muro sistit. Moxque in eos, qui murum superauerant, & qui turres tuebantur, debacchatus, sexaginta trucidat: præter aliquot, quos seruandos delegit captiuos. Qui vero præcipiti lapsu è muro in fossam volentes se demittebant, vel crure vel brachio (paucis incolumibus) sunt mutilati. Post secundam oppugnationis diem, Rothomagenses indignati, aliquot ex suis, non mediocres, ciues à Tallleboto occisos esse, neque parum formidantes, ne altera oppugnatione expugnati, præda fierent Francis, primores ciuitatis, assumpto suo archiepiscopo, cum populi turba prodeuntes, Sombrecetum forte ducem, quem rex Anglus Normanniæ præfecerat, per viam offendunt, atque ad insequentem modum pontifex alloquitur. *Nosti clarissime dux, quamproxime nos circumsedit Francorum exercitus, neque miseram ciuitatis conditionem ignoras. Secūdus nunc atque quadragesimus dies agitur, quo nec frumenti, neque vini, neque lignorum quicquam ad nos importatum est: omnium rerum & maxime annonæ caritas apud nos est. Pernecessarium est, si salui esse volumus, rem cum Francorum rege componere. Liceat igitur tua cum venia reipublicæ & tuæ saluti consulere: Mittere legatos, qui, icto cum Francis qualicumque fœdere, ciuitatem quiete aliqua leuent.* Hæc pontificis oratio, quamuis duci non conueniret, circum tamen

Tallebotus.

Pontifex Sombrecetum alloquitur.

aspiciens, cum paucis satellitibus inter populi turbam se stipatum intellexit, ferocitate cælata humilitatem præ se tulit, se, inquiens, boni consulturum, quod ciues optimum factu arbitrarentur. Moxque ad publicas ciuitatis ædes se conferentem, pontifex & populi melior pars secuta est. Ibi communi assensu pontificem cum aliquot ciuibus atque equitibus Anglis oratores constituunt. Quibus mandata dant, Francum regem conuenire, & cum eo pacis, quàm optimas conditiones possent, impetrare. Igitur præmisso ad Pōtisarcem pontificis officiali, qui proficiscendi ad Carolum securitatem legatis obtineret, securitate habita, ad sancti Audoeni portum, tribus passuum millibus ab ipsa Pōtisarce distantem, oratores conuenere. Affuere Caroli nomine Dunensis comes, cācellarius Petrus Bresseius, & Guillermus Cousinotus, & nonnulli alii, ex regio consilio literati homines. Cōsidentibus vtrinque legatis, Rothomagensis pontifex orat, Rothomagensibus imprimis remitti, si quod ab illis in Carolum regem perperam gestum esset. Id quicquid esset, non incolarum malicia, neque Franci nominis odio, sed, quòd Anglorum potentatui inuiti subiicerētur, fuisse perpetratum. Nunc regis potestati se ciuitatemque permissuros, si cuique liberum foret, vel abire, quò suus animus inclinaret, vel in ciuitate saluis fortunis incolere, si tamen ad discedendum pateret Anglis sine offensione ad suos commilitones via. His tantum a pontifice postulatis nihil detractum est, modò iuramento firmarent ciuitatem in Caroli ditionem posituros. Adiurati, cū in vrbem noctu reuertissent, gestorum à se rationem, donec illuxisset, ponere non valuerunt. Coacto postera die concilio, cui Sombrecetus, assistentibus plerisque Anglis præsidebat, postquam legationis seriem pontifex enarrasset, ciuibus conuenta probantibus, indignantes Angli concilio egressi, alii in palatium, alii in arcem raptis armis se receperunt. Quare commoti Rothomagenses, arma quoque desumpsere, constitutis passim, aduersus hostiles insidias, excubiis. Simulque Anglorum se discessionem per nuncium Carolo significant: vt sine cunctatione subsidium illis ferat: vno omnes animo esse, recipere illum in ciuitatem. Interim cum ii, qui excubabant, Anglos quosdam per vias armatos incedere conspexissent, septem ex illis trucidatis, reliquos in suas munitiones repulerunt, murorum parte, cum aliquot turribus & portis occupatis. Nec longa interiecta mora, Dunensis comes cum ingentibus copiis veniens: sanctæ Catharinæ cœnobium, quod in colle ciuitati adiacente situm est (Anglis qui in præsidio erant, se dedentibus) recepit. Quibus ne per viam Honfleum petentibus prædandi occasio esset: Carolus pecuniam ad quotidianam impensam donare iubet. Mox vero cœnobium ingreditur. Dunensis autem comes ad portam (quam Marchauillam dicunt) castra fecit, anno Christianæ salutis M C C C C X L I X. Ad quem protenus accedentes ciuium primores, ex propugnaculo, quod pro ianua erat, ita sunt prolocuti. *Faustus fælixque regi & nobis tuus ad nos, illustris comes, aduentus sit: populi siquidem iussu tibi occurrimus: portarum claues repræsentantes: quò intelligas patescere Franco militi, in ciuitatē aditum: & quem voles ex totis copiis numerum, ad nos introducere.* Quibus Dunensis comiter respondit: non suo quidem, sed eorum arbitratu se omnia gesturum. Visum est, mille equites cum suis sagittariis, qui in ciuitatem admitterentur, satis esse. Horum pars proxime palatium (quo Sombrecetus atque Tallebotus suum præsidium continebant) stationem habuit. Altera, inter palatium & arcem, sedem accepit. Tertia duce Petro Breseio, in ipso arcis conspectu constitit. Reliquus exercitus, ingens quidem, & supra, quàm ante annos multos visus fuisset, copiosus, per agrum (qui ad Beluacos spectat) diuersatus est. His, sicuti annotauimus, ordinatis: Angli, qui pontem ad Sequanam amnem tenebant, se dedidere. Sombrecetus vero orat, ad Carolum ire sibi liceat. Admissus petit, id ratum haberi, quod Rothomagensis pontifex, de reddenda ciuitate, àpud sancti Audoeni portum, ad se veniens, retulisset. Cui ad hunc modum Carolus modeste respondens: *Rem*, inquit, *Sombrecete, parum æquam efflagitare videris. Poteras æquo iure cum Rothomagensibus frui, cum de deditione ageretur. Sed tu aduersus pacis legem pugnans, quantum per te fieri potuit, spem in armis reposuisti: conatus ciues à me auertere. Constitui propterea*

te

te è palatio nunquam dimissurum, donec liberam ciuitatem, vna cum Honfleo, & reliquis, quæ tui occupant, locis in meam ditionem restituas. Postquam hæc Sombrecetus accepit: valedicens regi, in palatium remigrauit: comitantibus illum comitibus Claremontano & Deu. Postridie palatium arcemque obsidere Carolus iubet. Sombrecetus autem, vbi ad oppugnationem parari tam diligenter omnia à Francis videt, in colloquium cum Carolo admitti petit. Ad regẽ cum venisset, eadem, quæ prius, postulans: vt ea quæ fuerat, Rothomagensibus inducta cõditio sibi suisque permaneret: responsum accepit, id se frustra sperare, qui apud sancti Audoeni portũ conuenta recusarat. Atque ita à Carolo Sombrecetus in palatium digressus est. At Dunensis comes, Caroli iussu palatium arcemque fossis circunuallat, ne obsessis egrediendi facultas vlla esset. Igitur machinis tormentisque circumadmotis: Sombrecetus Dunensem ad colloquium vocat. Data vtrinque fandi potestate, & diurnis per vices induciis confirmatis: postquam diu multumque vltro citroque itum atq; reditum est: conuenit Sombrecetum cum vxore & fortunis suis atque Anglis liberum dimittere, ea lege, vt aureorum quinquaginta Carolo, pacis tractatoribus millia sex persoluerent: ære quod à ciuibus & incolis Angli contraxerant imprimis dissoluto. Oppida præterea, atque arces ab Anglis per Normanniam occupatas restituerent. His iureiurando roboratis, & obsidibus (inter quos Tallebotus erat) datis, Sombrecetus dimissus est. Qui datæ Carolo fidei nõ oblitus, Thomæ Hou & Fouqueto Ethoni mandat, loca (de quibus conuenerat) in Caroli potestate reponant. Reposita omnia præter Harfleum sunt: quam arcem Corsonus, qui eam præsidio tenebat, relinquere pernegauit. Quæ causa fuit: vt vnus obsidum Tallebotus, aliis abeuntibus in custodia seruaretur. Emissis Rothomago Anglis, Calendis Nouembris (omnium sanctorum solennibus rite religioseque absolutis) Carolus regio apparatu ciuitatem ingressus, mira admodum exultatione & omnium lætitia exceptus est. Dum hæc Rothomagi gerũtur, Britonum dux Feugeras, dedente se Francisco Aragonensi, recuperat: qui ab Anglis quoque deficiens, Frãcorum partium fuit. Mathagotus prçterea (qui Belesinum præsidio Anglorum tenebat) postquam nullo suorum subsidio se adiutum iri cognoscit: locum duci Alenconii liberum dimittit. Fusam item per id tempus fuisse inuenio Anglorum cohortem, ad Gauraium, Normanniæ oppidum, cum frumentatum pergerent. Hæc cædes à militibus comitis sancti Pauli, ducibus Gaufrido Courano & Ioachino Roaldo, facta esse traditur. Postquam tempus, quod satis ad res Rothomagi componendas erat, Carolus exegit: Caudebecum profectus, Harfleum exercitum duci iubet. Cuius obsidio difficultatem multam afferebat: tum propter maris æstuaria, tum propter hyemis asperitatem, quæ & gelu & imbribus, plus solito, inhorruerat. Neque in agro vicino ædes aut tuguriola erant, ad militum stationem: sed, vt quisque melius poterat, scrobibus ad hoc effossis, sedem sibi parauerat, paleis atque genistis eas obtegentes. Præerant tormentis atque impedimentis Iohannes & Iasper Bureau fratres, industrii homines. Hi vineis atque aggeribus extructis: bombardas sexdecim ad quatiendum Harflei muros in ipsius æstuarii arenis statuerant: ita vt per fossas ad oppidi proxime muros tuto perueniri posset. Et Carolus quidem casside armatus, & manu clipeum ferens, interdum ad opus visendum accedebat. Ab oceano autem quinque & viginti nauium classis excubabat, ne vel ab Anglia obsessis suppetiæ prodirent, vel obsessis fugæ adesset facultas. Hac tam arcta circumsessione coangustatus hostis: Dunensem comitem ex muro secum verba habere efflagitat. Huic nomen erat Thomas Auringanus, in præsidio habens Anglorum millia duo. Conueniente comite Deu: cum diu fuisset de deditione fabulatum, tandem natalis dominici die decretum est, hostem infra Calendas Ianuarias loco excessurum suis inde facultatibus, sine controuersia, exportatis. Id decretum sigillis sex Francorum procerum firmatum est: & ab hoste octo obsides dati. Calendarum die Harfleum receptum & obsides restituti. Quinto pòst die relicto firmo præsidio, Carolus Honfleum copias mittit. Ipse interim in cœnobio Gemetensi diuersatus est. Quo ad eum Agnetem (quam propter egregiam speciem Bellam appellabant) venisse, Iohannes Chartherius, gestorum Caroli scriptor, tradit: eo animo, vt regem

Carolus vrbem Rothomagum ingreditur.

Recuperãtur Feugeræ.

Harfleum.

Bella Agnes.

admoneret proditionis, qua in eum quidam coniurauerant. De hac Agnete constans mea ætate fama fuit, eam à Carolo adamatam fuisse, & puellam breuissimæ vitæ peperisse: quamquam Carolus, ex se prognatam esse, omnino diffiteretur. Decessit in eo cœnobio Agnes, condito sexaginta millium aureorum testamento: vbi exsecta eius præcordia, humo tradita sunt: reliquum cadauer Lochias elatum & in diuæ Marię templo sepultum. Fuit namq; admodum lepida & faceta, luxuque & vestium cultu, supra mulieris modestiam, gloriabunda. Qui fastus, quãdoquidem nõ nisi grandi sumptu ducitur, eius pompæ impẽsam ad amorum mercedem Carolus facere credebatur. Accessit ad stupri suspicionem propinquorum Agnetis, ad dignitates ecclesiasticas, repentina promotio. Per eos dies comes Fuxi contracta ingenti militum manu, Lantretum fratrem & Fuxensem nothum obsidere Guicem (validam in agro Baionensi arcem) iubet. Id postquam Nauarrus Conestabilis cognouit, coactis Anglorum copiis, vnà cum Georgio Soltinto, Baionensi prætore, nauibus per amnem, qui Baionam præterfluit, vt obsessis auxilio adesset, ducens, à Francis (quibus hostis aduentus prædictus erat) interceptus est: & Anglorum ducenti, supra mille, occisi. Georgius autem, vbi male suis fauentem fortunã intellexit, cuneo sexaginta equitum facto, per mediam Francorum aciem irrumpens, in propugnaculum arcis peruenit. Vnde noctu egressus, cum Baionam se recipere festinat, à Fuxensi notho fugiens captus est. Ad Honfleum redeo. Quò pręmissi Franci sagittarii, dum reliquæ copiæ aduenirẽt, aliquot pręliis cum hoste decertauerunt. Quò postquam Dunensis comes accessit: & tormenta admota sunt: Coursonus, eques Anglus, Honflei præfectus, ad XII. Calendas Martias cedere arci (nisi infra eum diem subsidio suorum iuuaretur) promisit. Frustratus expectatione: arcem reliquit, fortunas suas secum exportans. Freneium item receptũ est, libere abeuntibus Anglis, qui illud præsidio tenebant: recepto quoque Montforto præfecto, qui apud Pontem Audomari captus erat: pro cuius redemptione salutiorum millia decem soluerunt. Eisdem diebus (Thomas cui Quirielus cognomen fuit) cum tribus hominum millibus ex Anglia in Normãniam appellens, Valongnas inuadit, quas post primum & vigesimum obsidionis diem (libere inde emisso à bello Roaldo) capit. Nec diu illic moratus: ipse cum suis & iis, qui propinquioribus oppidis in præsidiis erant, Cadomum Baiocasque mouens, per vada Clementis, iter facere constituit. Ea re cognita, Carolus comiti Claremontano mandat, Thomam Quirielum persequatur. Igitur assumptis castrensi comite: & Petro Bresseio, aliisque insigni virtute proceribus, sexcentos equites cum sagittariis ducens, Gaufridum Cenuranum, & Ioachinũ Roaldum præcedere cum suis cohortibus iubet, qui hostium iter explorent. Inuento tandem hoste, postremam aciem adoriuntur. Occisis aliquot Anglis tantilla fortuna contenti: paulo ab hoste seorsum se receperunt, donec inuentum à se hostem comiti nunciassent. Nuncio accepto, comes copias diligenter promouet: & Anglos assequi festinat: qui ad vicum Forminiacum (qui Carentum inter & Baiocas est) iam peruenerant: & conspecto procul Franco exercitu, in acie stabant instructi: adsciscentes cõfestim sibi ex Baiocis Mathagotum. Erant illis à tergo pomaria & sepes, quæ Francum in eos progredi maxime prohibebant. Quare in conspectum hostium veniens comes, leuibus præliis Anglos lacessit. Verum multitudine militum inferior, Richemontem ex sancto Laudo ad se venire per nuncium orat. Qui impigre aduenit: Iacobo Luxemburgo eum comitante: quos Lauallus Doruallusque & Loheacus sequebantur: qui ducẽtos & quadraginta equites, præter sagittariorum magnum numerum simul efficiebant. Iam enim comes Claremontanus diu pedes pugnam commiserat: & paululum cesserat loco aliquot tormentis amissis, cum Richemontus ex Molendino (cui de fossa appellatio est) vbi castra posuerat, suos in hostem emittit. Quos, postquam ad pontem (quem de Barra incolæ vocant) concessisse Mathagotus conspexit, ipse cum Vero, insigni equite Anglo, & mille satellitibus, desertis sociis partim Cadomum, partim Baiocas petit. Desertus a Mathagotho Quirielus, ad inferiorem profluentem (quò vicus alluitur) cõmilitones suos concedere iubet. Illic cõmisso acerrimo prælio, sagittarii Anglos fundunt, & partim interimunt, se cum comite Claremontano

Guices castellum prope Baionam.

Pugna Formigniana.

remontano protenus coniungentes. Nec mora, iussus à Richemonte Petrus Bresceius, superiorem Anglorum alam inuadit: quosque obuios prosternens: quamquā viriliter Anglus decertaret. Vtroque cornu fuso, Richemontus, superato fluento, hostem totis copiis aggreditur. Decertatū est eo loco incredibili pertinacia. Nec profuit Anglo, quòd multitudine præstaret. Occubuere enim septingenti septuaginta quatuor supra millia quatuor, & Thomas Quirielus, cum aliis mille, insigni nobilitate Anglis captus, octo tantum ex Francorum exercitu desideratis. Præ cęteris Francis enituit eo prælio spectatissima Monsgasconis & sancti Seueri fortitudo. Nec caruit laude Petrus Bresceius, plurimique habitus est dominus Manneius, Floqueti militum ductor. Qui Floquetus, effracto à calcitrante equo crure, apud Pontē arcis ægrotus decubabat. Parta insigni victoria, Franci Virum copias duxere: non sine controuersia, conestabiline an comiti Claremontano eius victorię gloria deberetur. Plerisque affirmantibus in Conestabilem victoriam esse referēdam, qui magistratu superior esset: aliis contrà censentibus, comitem Claremontanum ad id prælium à rege delegatum nomine fuisse, eiusque auspiciis partā victoriam: diremit contentionē Carolus, &, rem sapienter fortiterque gestam, Claremontano assignauit. Parisiani de victoria Formigniana certiores facti, duodecim puerorum infra primam adolescentiam millibus ad sanctum Innocentē contractis: supplicationem ad diuæ Mariæ templum decreuerunt, singulis eorum lucernam ceream accensam manu gestantibus. Viro, quò se Franci cōtulerant recepto, Claremontanus Baiocas contendit, Richemontus ad Britonum ducem profectus est: *Viris capitur.* qui delecto exercitu Abrincas circunsidére statuerat. Circumuallata ciuitate, & crebris per dies viginti oppugnationibus vexata, Lanietus, loci præfectus, cū pręsidio libertate abeundi impetrata, ciuitatem reliquit. *Abrinca.* Tombellenam præterea arcem, non longe diui Michaelis iugo distantem, in rupe extructam, Britonum dux Anglis (quamquam frequentes essent) paruo negocio exclusis, Caroli nomine recepit. Eodem anno, qui fuit salutis CCCCL. supra M. Carolus in Baiocenses Dunensem comitem cum exercitu legat. *Baiocenses.* Qui nihil moratus, ad suburbium, quod Cadomum versus spectat, castra fecit. Claremontanus comes, & ipse castrensis cum suis copiis alteram, quæ ad Carentonium vergit, occupant. Domino de Montenaio, copiarum ducis Alenconii ductori, & Roberto Conigano Scoto, pars quæ ad diui Frācisci cœnobium est, cessit. Atque ita tribus diuersis locis Baiocēses obsessi, dies quindecim grauem obsidionē tolerauere, egregie pugnantibus Anglis, qui in pręsidio erant nongenti longo armorum vsu bellaces. Itaque quamquam crebro tormentorum iactu, muri, per ambitum ciuitatis, deiecti essent, facilemque expugnationem fore milites Franci existimarent, inuitis principibus bis vno die oppugnationem tentauere: cupidi deturbare tota Normannia Anglos. Accepi Regnobertum (quem in sanctorum numerum relatum Baiocenses magna religione venerantur, qui viuens & Baiocassinus comes primum, & deinde episcopus extitisset) visum fuisse per quietem Dunensi comiti, eumque oppugnationis admonuisse, quā miles Francus reparabat: vetuisseque ne id pateretur, sed furentem exercitum reuocaret. Id si faciat, bene quidem obsidionem sibi cessuram: si secus, dispendium accepturum. Atque ea visione excitatum comitem, mox ad milites properasse, eosque ab oppugnandi pertinacia reduxisse. Mathagotum vero, post quindecimā obsidionis diem, ad colloquium cum Dunensi comite accessisse, conditionesque suæ & Anglorum ex ciuitate digressionis accepisse. Enimuero, tametsi multa sibi cōcedi peteret, illud tātum impetrat: abiret cum suis cōmilitonibus liber, armis relictis. Clarioribus autem fœminis, singulos equos, qui eas veherent, habere: equitibus aureos decem: peditibus quinque exportare permissum. Interdictum ne Cadomum, sed Chereburgum se reciperent. Sub idem tempus Briquebecum Valongnęque à Conestabili receptæ, cum sancto Saluatore Vicoto. *Cadomenses.* Deinde Cadomum obsessum, quod firmissimo præsidio Anglus tenebat. Richemonthus ad diui Stephani monasterium stationem accepit, cui se confestim comes Claremontanus coniunxit. Erant his militantes equites mille ducenti, cū quatuor millibus & quingentis peditibus, duobusque millibus Frācorum sagittatiorum. Dunensis comes

suburbium Vancellense obtinuit, quingentos equites, pedites quingentos supra millia duo, & totidem Francos arcitenentes ducens. Affuere quarto post die Niuernensis comes cum comite Deu, & armatorum fortissima manu, qui Orna amne, per pontem, ad idipsum à Francis constitutum, transmisso: ad trinitatis cœnobium consedere. Conuenientibus ad hunc modum copiis, postera die propugnaculum, quod ad diui Stephani ædem vergebat, expugnatum est. Venit deinceps Carolus, & cum eo Renatus Siciliæ rex, mille equitibus, duobusque sagittariorum millibus equo vectis, & totidem Francorum arcitenentium millibus stipatus: diuersatusque est apud Ardainum monasterium, vbi per tempus obsidionis habitauit. Auxit militum animos Caroli potentia, & circunductis per ambitum fossis, cuniculis ad oppidi mœnia succedebant. Et propugnacula, quæ ad Vancellense suburbanum pro portis erecta erant, Dunensis ante omnes oppugnare cœpit, vsque expugnauit. Conestabilis vero, nihilo segnior, turrim (quæ ad angulum oppidi, sanctum Stephanum versus, extabat) suis per cuniculũ missis deiecit. Ea prolapsa, hostem ita perterruit, vt de deditione mox colloquium iniret. Rebus componendis Carolus Dunensem, & cum eo Petrum Breseium Iohannemque Bureum præfecit. Anglorum nomine Richardus Herissonus, Cadomensis præses (quem Balliũ vocant) & Robertus Gargeus conuenerunt. Pro se Eustacium Gauuetum, & diui Stephani Abbatem Cadomenses misere. Conuentionis dies postridie festi, diui Baptistæ Iohannis fuit. Pactum est Anglos oppido excessuros, si infra Iulias Calendas, ope subsidioque suorum non iuuarentur. Ad constitutum diem cum nemo illis suppetiaretur, conuentis paruerunt: oppidum arcemque dedentes. Erat in arce dux Sombressetus cum vxore & liberis, magno vallatus militũ præsidio. Nam, ad oppidi custodiam quatuor Anglorum millia fuisse memorantur. Quibus, ad sua in Angliam conuehenda, naues datæ sunt. Liberato Anglis Cadomo, Dunensis comes, cum ducentis equitibus, & sagittariorum frequentia, per arcem in oppidum ingreditur. Quinto pòst die Carolus à populo magnifice exceptus, postquam magistratus officiaque distribuit, exercitum Fallesiam ire mandat. Dum Cadomi Carolus agit, venere à Philippo, Burgundorum duce, oratores dominus Croius & Iohannes Croius fratres, & Darsius quoque Campanus, eques auratus: qui peterent Caroli filiam, Carolo Philippi filio, vxorem dari. Procedentibus Fallesiam copiis, & Iohanne Bureo (qui impedimentis præerat, multos sagittarios ducens) longo interuallo subsequente, Angli, eruptione facta, impedimenta adoriuntur. Quos cum ægre Bureus sustineret, affuit confestim Potonus cum valida cohorte, cuius virtute in suas munitiones hostis se retulit. Succedentibus deinde copiis, Fallesia toto ambitu circundatur. Cui obsidioni cum multo plures, quàm negocio conueniret, assistere Carolus intelligit, Richemontem cum parte copiarum Chereburgum mittit. Qui ad Fallesiam manserunt, multis subactis fossis tormentisque muros quatiunt, obsessos nullo tempore quiescere permittentes. Qua re veriti Andreas Tresbotus, & Thomas Ethonus, quos eò loci Tallebotus ad præsidium, cum quingentis supra mille, Anglis reliquerat: ne vi expugnarentur, ea conditione Fallesiam in Caroli potestate reponendam, datis obsidibus, se astringunt: si Tallebotum dominum suum (qui apud Druidas captus tenebatur) Carolus liberaret. Exactis vndecim dierum induciis (nemine suppetias obsessis ferente) & Talleboto recepto, Angli, qui Fallesiam tenebant, liberi abiere. Fallesiæ præfecturã Potono Carolus contulit. Atque inde exercitus partem Carolo Culauto duce, Danfrõtum legat. Ea arx, etsi fortissima esset, validoque Anglorum præsidio teneretur, hostis nihilominus fortunæ præsentis iniquitatem considerans, impetrata abeundi potestate, oppidũ cum arce Franco permisit. Eadem tempestate, Christianæ quidem salutis anno MCCCCL. Franciscus Britonum dux, qui Caroli partes constanti fide secutus fuerat, mortem obiit. Huic aduersus Ægidium fratrem inexpiabile odium fuit: propterea, quòd Anglicæ factionis esset, neque vlla ratione, vt ab ea resipisceret, adduci poterat. Quare in custodia habitus, Francisci tandem iussu à duobus satellitibus, mantilibus ad eius iugulum contortis, strangulatur. Eius necis culpam in Montabanum, qui Ægidii custodiam à duce receperat, Britones referunt: dicentes, Ægidium

Fallesia.

Danfrontũ.

Ægidius, ducis Britanniæ frater strangulatur.

dium quidem bono in Francos animo fuisse, sed Montabani perfidia, secus ac ille sentiret, Francisco relatum extitisse, eiusque rei testes postea fuisse collegas Montabani, quorum pars vltimo supplicio affecta est, pars fuga vitæ consuluit. In Chereburgi obsidione, res, ante illam ætatem, inaudita, gestá est: cuius auctorem fuisse Iohannem Bureum traditum est. Est Chereburgum arx, ad maris æstuarium sita, loco arenoso & ad tormenta locanda solo instabili, quò per dies singulos semel atque iterum mare influit. In tam malefido loco Iohannes Bureus tormenta stabiliuit, obtegens ea, contra pelagi iniurias, tegumentis coriaceis: quæ multa pinguedine ipse deunxerat. Eo pacto puluis, qui in tormentis erat, defensus, nullo maris humore viciari poterat: ita vt, restagnante pelago, tormenta facile ad iactum eriperẽtur & muros arcis concuterent. Rei nouitatem admiratus Thomas Gonelus, præsidii moderator, dedendæ arcis consilium capit. Erat illi filius, ob æs contractum Rothomagi, obses. Hunc in precium deditionis sibi restitui petit. Quo recuperato, ipse cum toto Chereburgi præsidio in Angliam liber dimissus est. Initiò huius obsidionis, occisus ex muro est præfectus Coitiuus, Franciæ Admiraldus, bello strennuus & fide erga Carolum spectatus. Interemptus præterea Tedualus Cormosianus Trecensis prætor, bello non illaudatus eques. Hęc Chereburgi arx vltima locorum fuit, quæ Anglis deuictis, in Normannia Carolus recuperauit: post annum & dies sex, quàm bellum inchoasset, parua quidem hominũ cæde atq; strage, si hostium multitudinem atque potentiam, variasque per loca victorias putes. Est enim terra Normannia, vna metropoli, & sex vrbibus, quatuor & nonaginta munitissimis oppidis, atque arcibus potens, plerisque vicis frequens ad ciuitatum speciem extructis, quam sexto vix die expeditus pertranseat, pecoris & piscium ferax, frumenti vberrima, pomorum atque pirorum tam passim conferta, vt hinc potum gens sibi affatim exprimat, & ad exteros copiose fructus exportet. Lanificii plebs studiosa est, & bibax etiam pomacii quod siceram vocant. Gens omnis suapte natura callida, nullis exteris legibus obnoxia, moribus suis & consuetudine, quam pertinacissime tuetur, viuit, doli quidem & litis apprime gnara, quo fit vt cũ illa societatem aut negocium sortiri exteri formident: alioquin doctrinę & religioni dedita, bello insuper idonea & fortis. Cuius egregia in exteros gesta plurima referuntur.

Notabile.

Normannia & Normanni

POST subactam Normanniam, quam armis tuendam Richemontus accepit, Carolus ad Aquitanos animum conuertit: quibus quadraginta supra centum annos Anglus dominatus fuerat. Primas eius belli partes recepit Lemouicẽsis vicecomes, & cum eo Carolus Culautus, Marescallus: Potonus Santralianus: Petrus Louuanius: Ioachinus Roaldus: & Gaufridus de sancto Belano. Hi ad Bergeracũ agri Petragoricorum ducentes, oppidum circumuallant, admotisque tormentis expugnant. Cui ad præsidium præficitur cum centum equitibus Philippus Culautus. Inde Iosacum, in Dordonæ amnis ripa situm, mouentes, occisis quinque & viginti Anglis, castellũ capiunt, dedentibus se mox aliquot finitimis locis. Cum ad Aquitaniæ expeditionem pecunia, ad militis stipendium, parum sufficeret, delatus est Xanconius, regii fisci primarius quæstor, quòd regiam pecuniã male administrasset. Idcirco in vincula, apud Turonos coniectus, ingentem admodum pecuniam, regio se ærario derasisse confessus est. Igitur diuturno carcere castigatus: quamquam grauior peculatori pœna deberetur: tamen centum & viginti millibus aureorum, à benigno rege mulctatus est. Leue quidem, pro immẽso furto suppliciũ. Per id tempus Dorualius comes, Alberti filius, Anglos exosus, ex Basaco ad Medocum, non procul à Burdegala, insulam, prædæ gratia, iter faciens: cum sui curandi & reficiendi causa in saltu: qui secus viam erat: restitisset: certus efficitur, Burdegalenses duce suo maiore (sic enim ciuitatis magistratum vocant) in eum arma desumpsisse, atque in proximo circiter nouem peditum millia adesse. Quo nuncio minime exterritus Doruallus, tametsi quingentos tantum, sed egregia virtute, milites haberet, aciem instruit: moxque hostem adorsus, sexcentorum, supra mille, hominum cædem fecit, fugiente Burdegalam duce. Cœpit præterea ducentos & mille captiuos. Huius victoriæ partes sibi merito vendicauerunt Stephanus Vignolus

Cap. 5.

Aquitania.

Quid ais? Coruis est danda venia.

gnolus, Robinus Petitus, qui Scotorum cohortes ducebat, & alter militum ductor cui Lespinassus cognomen fuit: militari fortitudine atque vsu exercitati. Fräcisco, Britonum duci, cum Petrus in principatu successisset, ad Carolum se contulit, qui eo tempore Monbasonem incolebat. Veniendi causa erat, fides Carolo ob ducatum præstanda, vtque in regis verba iuraret. Fidelitatis sacramentum soluentibus mos est, cingulum, ensem clypeumque deponere: quæ relicta, ad primarium regis cubicularium, pertinent. Postquam fide Carolo pręstita, ea militiæ insignia Petrus deposuit: Trenellus cancellarius: *Tu igitur*, inquit, *illustris dux regi liberam prorsus fidem exhibes, eique vt domino pariturus, te illi subiectum ostendis?* Cui ducis cancellarius, qui iuxta astabat respondens: *Non*, inquit, *vt locutus es, Francorum regi se subditum dux profitetur? Diuersa est & in hoc atque aliis Franciæ principibus ratio fidei præstandæ.* De hoc verbo cum diu altercatum fuisset, *& ego*, inquit, *Carolus ô illustris dux, tuorum antecessorum more te admitto.* Deinde Petrus ob Montisfortis comitatum in Caroli verba iurauit, nullaque adiecta conditione, Carolo fide se adstrinxit. Insequenti vere rex Dunensem comitem in Aquitaniam legat, adiectis illi copiis. Imperatque montem Guionem circumsidere. Ad quem Angolismorū dux, non longe pòst cum iusta militum manu, ipseque Iohānes Bureus accessit. Fuisse in eo exercitu quadringenti equites, cum suis peditibus, & gesariis, & tribus Francorum sagittariorum millibus referuntur. Eques enim apud Francos is est, qui vno gladiatore, & duobus sagittariis militat: publico stipēdio alitus. In pręsidio montis Guionis erat Arnoldus de sancto Iuliano: qui desperata salute, confestim in colloquium cum domino Rochechoardi, & Rochefoulandi, Iohanneque Bureo venit. Deditionis conditionibus firmatis, cum ad diem præfinitum, nemo Anglorum nomine, suppetiatum Arnoldo venisset, ipse libertate cum suis bonis abeundi obtenta: montem Guionem Caroli potestati reliquit. His quoque diebus Dunensis comes Blaiam (quæ è regione Medoci insulæ, in littore maris, sita est) duobus locis obsedit, qui in portæ conspectu stationem sibi constituens, ad arcis regionem aliquas copias locat: quibus præfecti erant Iacobus Chabanus, & Ioachinus Roaldus. A mari vero Iohannes Bursarius classi imperitabat, armatos complures atque commeatum vehens. Qui ad portum succedentes, quinque ingentes hostium naues ex Burdegala obsessis subsidium frumentumque laturas conspiciunt. Quas intrepidi adoriuntur, & duro commisso prælio, Anglos in fugam agūt, eos ad stationem vsque Burdegalensem persequentes. Reuerso ex hostium fuga Bursario Blaia tormentis quatitur: ita, vt multis partibus muri corruerint, & Franci aliquot sagittarii, de Petri Louuanii phalange occidente iam sole, in muros peruaserint, sequētibusque reliquis, oppidum vi ceperint, ducentis ex præsidio partim occisis, partim captis, cęteris in arcem se recipientibus. Quibus vita his conditionibus salua fuit. Omnes in regis potestatē iure captiuitatis venirent. Vnde precio dato se redimere postea possent. Bona sua omnia sub custodia deponerēt, nec inde quicquam exportarent. Liberati, aliquando in Francos arma non caperent. Nec captiuitate eximerentur, nisi ea quæ per Aquitaniam occupabant, libera dimisissent: dimissis etiā quibusque, quos, vel iure belli, vel contracti æris obligatione, ipsi haberent in vinculis. Erat cum Anglis Petrus de Monteferrato, homo insigni nobilitate, qui præsenti libertate donatus est: datis obsidibus filio & nepote, donec decem aureorum millia persoluisset. Qui si intra quadragesimum diem fidelitatis iuramentum Carolo præstaret, duoque suæ ditionis oppida Dunensi comiti seruanda committeret, pecunia absolueretur. Rebus apud Blaiam ita constitutis, Franci oppidum arcemque recipiunt, seque mox ad Burgum conferentes: vbi Berardus de Monteferrato, cum quingentis bellacibus armatis in præsidio erat: loco potiuntur, dedentibus se Anglis, & sua inde libere ex composito exportantibus. Eodem ferme tēpore quatuor locis Franci obsidionem posuere. Albretus cum duobus suis liberis, & robusta militum manu Arquas: Armigniacus comes Rionem: Comes de Pointieure Castillionē, in Petragoricensium agro, circumuallat: Dunensis comes Fronsacum: natura atque arte munitissimā arcem: petere iubet. Interim autem Libournenses, missis ad Dunensem comitem oratoribus, certis se legibus Caroli ditioni credidere

Altercatio de modo præstandi fidem regi per Britonum ducem.

Eques apud Francos quisnam.

Mons Guion.

Blaia.

Burgus.

credidere. Obsessi vero quatuor locis Angli, cùm accepissent Burdegalos de ditione cum Francis verba facere, acerrime quidem se defendebant, euentum conuentionis præstolantes, vt vna cum ciuitate communi pacto vterentur, aut re infecta conditioni temporum se accommodarent. Sed qui Fronsacum tuebātur, obsidione angustati ad XIIII. Calend. Iunii arcem Francorum potestati permittere promiserunt, nisi intra illam diem, suarum partium duces, opem illis afferrent. Postquam frustra auxilium expectant, Fronsacum (vt conuenerat) relinquūt, cum suis bonis abeuntes, receptis obsidibus, quos ad promissi firmitatem Dunensis comes acceperat. Dum hæc in prædictis obsidionibus geruntur, Burdegalenses ad Dunensem comitem suos nuncios mittunt, cum mandatis, se atque ciuitatē cum prouincia Vasconiæ, Caroli potestati diffinitis cōditionibus submittendi. At nos deditionis formulā non subiicimus, propterea, quòd Burdegalenses in fide non manserunt, quamquam exacta die, qua ex Anglia opem præstolantur, Francos in ciuitatem induxissent. Fuxensis comes & Captaubussus Burdegalorum exemplum secuti, in Caroli ditionem venere, quibusdam adiectis cōditionibus, quas Dunensis comes, fortunā nō aspernatus, regis nomine admisit. Pacata omni fere prouincia, magna pars exercitus domum dimissa est: quæ viginti millium robustorum virorū, & qui armis assueti essent, numerum efficere certo cognitum est. Supererat vltima Vasconum Baiona: quam missis cum expeditione comitibus Fuxi & Dunensi circumuallare Carolus mādat. Obsidio propter bina fluenta Doram & Niuam, quibus ciuitas pœne omnis alluitur, duobus locis ita partita fuit, vt alter exercitus altero ri suppetiari non posset. Paucis tamen intercedentibus diebus, Angli (qui suburbiū sancti Leonis forti præsidio tenebant) rebus suis diffisi, suburbium cum sacris locis incendunt, ad suos se recipientes. Quos insecuti propere Frāci, parum abfuit, quin vna cum hoste in ciuitatem irrumperent. Sed altissima fossa impediti, impetu abstinuerunt. Postridie eius diei Albretus & vicecomes Tartasus, cum ducētis equitibus & tribus sagittariorum millibus sublicium pontem, qui ad sanctum Spiritum ducit, per quem ad obsidentes hosti patebat accessus, occuparunt, eumq; deiiciūt. Erat ad mare propugnaculū, quo eruptionem facere hostis poterat. Igitur imparatos intercipere Francos ratus: cum clam milites eduxisset, Bernardus Biernus, Fuxēsis nothus, in hostem progressus, eum in ciuitatem egregia virtute retrusit. Nec longa interueniente mora, templum ciuitati propinquum, fossis atque aggere dilig ētissime munitum, partim dolo, partim vi atque armis capit, atque ita circumquaque ciuitate conclusa, obsessi metu percelluntur. Nec tardant nuncios ad comites mittere, qui colloquium impetrent. Quo assecuto, pax eis concessa est, si Iohannem de Belmonte: Rhodium equitem, præsidii præfectū, cum omni reliquo præsidio captiuum darent, reliquis ciuitatis incolis suis legibus relictis, si quadraginta aureorum millia in rebellionis mulctam persoluerent. Ad hunc modum Baiona Caroli ditioni restituta est. Die vero insequēti, oriente sole, sereno cœlo, crux candida in cœlo visa apparuit: quam & Francus Anglusque palam conspexit. Quo cœlesti signo, arbitrati ciues, se diuinitus admonitos, Carolo parere: mox Angli regis insignibus abiectis, cādida se cruce (vt Frācis mos est) ornauerunt. Baiona recepta, aliquot ex Burdegala atq; Baiona ciues, ad Carolum (qui apud Taliburgū agebat) veniunt, fidem non secus, quàm suo regi exhibentes. Baionēsibus autem Carolus ex millium quadraginta mulcta, viginti remisit. Eadem tēpestate Gandenses à Philippo, Burgundionum duce, discessere: ob salis tributum, quod illis annuum imponere conabatur. Hinc bello excitato, magna pars regionis cęde atq; incendio vastatur. Nec fuit Philippo incruenta victoria. Rediere tandem in ducis beniuolentiam Gandenses, rebellionis pœnas magno ære luentes. In Anglia quoque, ob reipublicę administrationem, dux Eboracensis & Sombressetus, congregatis copiis, manu conserere festinabant, nisi episcoporum studio atque moderatione destitissent. Per id tempus Nicolao v. ecclesiam Romanam ministrāte, cum Turci capto Bizantio Græciam omnem fere occuparent, Guillermus Destoteuillus Rothomagensis cardinalis, ad Carolum legatus mittitur, qui inter Francos Anglosque pacis arbiter esset. Nam tam potentibus regibus bello per odiū occupatis, reliquos Christiani

Burdegalenses.

Crux candida

Gandenses

Constantinopolis à Turcis capitur.

Christiani nominis populos à Turcis inuadi & facile vinci, pontifex verisimiliter formidabat. Legato Carolus respondit, dolere sibi ea, quæ à Turcis Græcia pateretur. Neque se adeo in Anglos esse concitatum, quin positis armis æquam honestatem pacemque admittat. Id semper non modo optasse, sed & hosti obtulisse. Ea si interueniat, se armis, milite atque opibus, afflictis Christianorum rebus vltro auxiliaturum. Traiecerat in Angliam ad Hēricum regem eadem causa archiepiscopus Rauennates. Cui per regis Henrici, ad id delectos, consultores responsum est: Cum tantum terræ à Francis Angli sustulerint, quātum Carolus ab eis abstulisset, tum oportunum fore, vt de pace conuentio haberetur. Tam superbe verbum fecit hostis, cui de Christianorum eminenti periculo nulla cura erat.

Reformatio scholæ Parisiensis.

Igitur legationis exitus inanis extitit, nisi, quòd scholæ Parisiensis deprauatos mores compositiores reddere legatus studuit, excommunicationis mucrone feriens, eos qui positarum à se legum præuaricatores forent: quiue scholæ rectoratum, id est, primarium magistratum (qui tertio quoque mense finitur) pecunię largitione reciperet. Qua lege cæteri quique scholastici magistratus tenebantur: ne solito strepitu atque largitione officia venirent.

Iacobus Cuerus.

Dum hæc à legato geruntur: Iacobus Cuerus, Caroli argentarius, cum Turcis commercium habens: delatus est, quòd omnis generis arma contra ecclesiasticam prohibitionem ad illos importasset: opificesque & fabros eiusmodi artis, ad eos demisisset. Christianum insuper è Turcorum seruitute forte elapsum, domino suo captiuum remisisset: & ingentem, per linguam Occitanam, pecuniam exegisset. Eas ob res in carcerem, Caroli imperio, coniectus est: deinde grandi ære mulctatus, in exilium deportatus est. Pœnas quoque falsæ delationis luit fœmina insignis, cui Mauritaniensis nomen erat. Inuenio Sabaudię ducem, per id tempus, in Carolum nonnihil commisisse: & propterea regem irritatum, expeditionem in Sabaudum duxisse. Delicti vero modum scribere non possum: quem à scriptoribus non accepi. In Forestam Carolus cum venisset (vnde breuis in Sabaudos est transitus) legatus Destoteuillus ad Nicolaum pontificem reuertens, cognito Caroli aduentu, ad ducem primum conuerso itinere, mox ad regem venit: atque ita egit, vt commissorum pœnitens dux, omnia satis Carolo facturum iureiurādo promitteret. Ea ducis pœnitudine mitior factus rex, domum copias misit. Legatus cœptum iter persequitur.

Burdegalensium à Carolo defectio.

Interea Burdegalenses vetustæ Anglorum consuetudinis & contubernii non obliti, aduersus Francos coniuratione facta, dominum Lesparrum, cum aliquot ciuitatis optimatibus, per speciem alicuius conuenientis negocii, à se dimittunt. Cuius coniurationis auctores fuisse referuntur Monferratus & Dangladus fidei, quam Carolo præstiterant, contemptores. Eu ecti in altum, qui Burdegala egressi erant, in Angliam ad Henricum se conferunt. Promittuntque se ciuitatemque suam eius potestati permissuros, si exercitum in Aquitaniam mittat: Francorum apud eos nullas copias esse, præter eas, quę in præsidiis erant constitutę, minus ad conserendum prælium sufficientes. Legatur ad id bellum ab Henrico Tallebotus, qui Anglorum millia quinque classe imponens, ad Medocum insulam. xv. Calendas Decembris adnauigant, confestimque aliquot cohortes late mittens, terrorem incolis incutit. Burdegalenses audito Talleboti aduentu: alter ad alterum sermone clam habito: Francorum præfectos liberos dimitti oportere, consulebant. Hi erant Coitiuus Aquitaniæ Senescallus & Iohannes Podiensis, proprætor ciuitatis. Dum in dubio res agitur, quidam secreto abeuntes, portam Anglis reserant. Nec mora, vterque præfectus, cum omni pręsidio, & regiis magistratibus, ad hostium manus, nulla cęde commissa, proditi sunt. Coniuratione ad Carolum perlata, vtrunque Marescallū cum Dorualло comite, & Ioachino Roaldo, ad Claremontensem comitem (qui Aquitaniæ præerat) mittit: sexcentis equitibus, & eis adiunctis sagittariis, eos comitantibus. Sed diligens hostis, prius aliquot arces cepit, atque copiæ conuenissent. Superuenerant quoque Talleboto ex Anglia quatuor millia armatorum, cum octoginta nauibus, cōmeatum affatim vehentibus. Et Castillio quidem Fronsacusque in potestatem Talleboti peruenerunt. Carolus autem, postquam Turoni hibernasset, nouas copias educens, Lisigniaci castra fecit: atque inde ad sanctum Iohannem progressus, accepit

Charlaium

Charlaium oppidum, à Iacobo Chabano vi captum esse, multis Anglis occisis: atq; eos, qui in turrim confugissent, capite omnes punitos extitisse, propterea quòd præstitam Carolo fidem abiurassent, hostem secuti. Nec multo post Castillionem *Castillio.* in agro Petragoricensi, copias ducere Loheacum iubet, attributis ipsi octingentis, supra mille, equitibus cum sagittariis. Positis apud Castillionem castris, Iohannes Bureus & Iaspar eius frater, impedimentorum præfecti, septingentos, quos continenter habebant, fossores, fossis circundare castra imperant. Cognito, quid ad Castillionem gerebatur, Tallebotus, eductis quinq; Anglorũ millibus, in Francos progreditur: qui ad eius aduentum in vallum se festinanter recipiunt. Pedites vero sagittarios segnius agentes Tallebotus circiter centum intercipit. Qua fortuna elatus, cum Francos fugere persuasum haberet: nec suæ adhuc copiæ omnes conuenissent, paulo restitit: atq; interim se curare milites iubet. Hæc mora Franco non inutilis fuit. Nam interea vallum munitioribus tormentis munit, & se in hostem animose corroborat. Coacto omni exercitu, Tallebotus ad Francorum munitiones ducens: in vallum tumultuario impetu irrumpere contendit. Quem constanti virtute Francus exturbat. Vtebatur eo die Tallebotus (quòd veteranus esset) paruo gradario, ex quo suos in prælium animabat. Reliqui vero omnes, pedites dimicabant, & incredibili animi feruore castra oppugnabant: militaria signa longe plura ad ostentationem ferentes, quàm illorum numero conuenirent. Pugnatum est diu, atq; acerrime, ita vt diu dubia victoria neutri spem promitteret. Donec accito Montabano & præfecto Henaudoo, cui Britonum ducis phalanges audiebant: Franci, viribus receptis, hostem propellunt: aliquot eorum signis occupatis. Quamobrem animo tabescentes Angli, cùm Talleboti gradarium glande prostratum, & ipsum Tallebotum à sagittario Franco occisum conspexissent, in fugam conuertuntur. Occubuere in eo prælio octingenti Angli, obscuri nominis, cum quadraginta viris illustribus: in quibus fuit Talleboti filius. Fugientium verò, *Moritur Tallebotus.* atq; eorum, qui se amni Dordonæ credidere, par numerus fuisse refertur. Monferratus autem Danglautus & Caudali filius, cum quinq; millibus Castillionem protenus petiuere. Lespertus Burdegalam. At Castillionenses, quanquam firmo præsidio tenerentur, deditionem tamen fecere, Caroli se omnino voluntati permittentes. Quorum consilium secuti Melionenses atq; Libournenses, dicto paruerunt. Quiq; nouum in media insula castellum tenebant, post quintumdecimum obsidionis diem à Claremontensi comite recepti sunt. Idem fecere Blanchafortenses Cadillaci, sancti Macherii incolæ: Langounii & Villendrani. Nam ex Angolismis Carolus Liburnum veniens, hostem timore perterruit: ita, vt paucis intermissis diebus, aliquot oppida atq; arces ceperit: & Burdegalam sagittarios miserit, qui agrũ vastarent: extructo è regione ciuitatis propugnaculo, in loco quem Lormontum incolæ dicunt: vbi ad præsidium constituti fuere Loheacus, Ludouicus de Bellomonte, Iacobus Chabanus, Iohannes & Iaspar Bureus fratres. Erat non longe in portu classis regia, armis cibariisque abunde instructa: in cuius conspectu etiam Angli in nauibus stabant, qui ad nauium tutamen propugnaculum exædificauerant, vnde in Francos excursiones dietim faciebant. Sed tandem commeatu destituti: pressiq; continuo Francorum incursu: præsertim cum finitima loca omnia sibi erepta essent, nec, quò se reciperent, haberent: Caroli clementiam poposcere. Erat enim Carolus natura perbenignus, & iam pestilens aer exercitum offendebat: quamobrem recepta in fide Burdegala: Anglis dedit abeundi potestatem. Durasum autem & Lesparrum, aliosq; proditionis principes viginti relegauit. Sed Lesparrus nõ multo post apud Pictauos capitis supplicium luit: quòd alteram in Carolum proditionem cogiasset. Atq; ita Burdegalensium rebus compositis: Claremontano comite, ad prouinciæ custodiam præfecto, Carolus Turonum regressus est, cum flueret à Christiana salute annus CCCCLIII. supra M. Quo tempore Guillermus Edelinus, Theologus doctor, sancti Germani de Laia *Guillermus Edelinus incantator.* Prior: apud Ebroicas ad perpetuum carcerem damnatus est, ob falsę religionis causam. Nam cum illustris cuiusdam fœminæ amoribus teneretur, neq; consuetudine eius frui facile posset, dæmonem sibi patronum adhibens, cum in arietis spe-

cie adorauit, à quo poſtea edoctus, ſcopam ſumere, & inter femora equitis inſtar ponere, quò volebat, breui momento ſe traducebat. Quod impietatis genus Valdenſium eſſe dicitur. Aduerſus autem Burdegalenſium leuitatem atq; perfidiam, Carolus duas apud eos arces extruxit: quibus in fide contineri populus recens conuerſus poſſet. Per id tempus cum de præſulatu Auxitano duo diuerſarum partium concertarent: Armigniacus comes, Caroli mandata aſpernatus, alterũ competitorum, Iuſtinum nomine, in ſacerdotii ſedem perduxerat. Quam rem ægre Carolus ferens, Claremontanum comitem cum copiis in Armigniacum mittit. Qui adiutoribus comite domino Martino, & Floqueto Eboracenſi prætore, rebellem ſpoliauerunt terris ſuis. Otho quoq; Caſtellanus Florentinus, & Guillermus Gonfierus, ſimulachra quædam, magica arte confecerant: quorum nixu (vt ipſi ſtulte ſperabant) præcipuam apud regem inter aulicos auctoritatem conſequerentur. Eius rei cauſa ad Carolum delati, alter Tholoſæ, alter Turonis in carcerem coniectus eſt. Iohannes præterea Alenconii dux, Caroli mandato Pariſii compræhenſus, Meldunum in cuſtodiam deducitur. Ipſe enim temporum tranquillitati inuidens, & partæ à Carolo quietis impatiens, nouos belli motus ab Anglia procurabat: miſſiſq; ad hoſtem frequentibus nunciis hortabatur appetere Normanniam, ſe illis adiutorem fore pollicitus. Caſtella arceſq; habere ſe, quæ omnia venientibus proderentur. Carolum procul abeſſe & tribus diuerſis regionibus copias ſuas continere. Loca multa prius occupare poſſe, quàm Carolus ſentiat. Et vt firmiore fide conſilia procederent, filiam ſuam Eboracenſis ducis filio in matrimonium dare conſtituit. Ad hanc proditionem miniſteriis vſus eſt, *Iacobi* Hai Angli: Thomæ Gilleti ſacerdotis: Danfronti, & Hontifonis caduceatoris Angli & Emondi Calleti. Quibus occultum ſignum Alenconius hoc dat: pollicem eius dextrum manu præhendere, ad quem vel verba, vel literas eſſent de hiſce rebus reddituri. Hæc poſtquam teſtibus & ipſius Alenconii ſpontanea confeſſione cognita ſunt, Carolus apud Vindocinas conuentu procerum habito, Iohannem Alenconii ducem fortunis omnibus priuatum, ſecundo poſtquam captus fuerat anno, mortis ſupplicio dignum pronunciari iubet. Sed clemens rex, ſententiam poſtea moderatus eſt: nec enim mors proditori inflicta eſt: & eius liberis fortunæ reſtitutæ. Ad hæc omnia Ludouici quoq; in Carolum contumacia interceſſit. Hic enim cum natu grandior eſſet, occaſione ex aulicis, qui patri & rebus publicis inſeruirent, ſumpta: ex curia in Dalphinatum abire à patre impetrauit, conſtituto ad hoc tempore menſium quatuor. Id ſeu ſuapte natura, ſeu ſuorum prauis conſiliis fecerit, non facile ſcripſerim. Illud certum eſt, Ludouicum moleſtiſſime perpeti, quòd à patre non ſatis pro ſuo arbitrio pecuniæ & prouentuum ſibi ſuggereretur. Et domeſticis eius dolebat, tantam regendi auctoritatem penes quoſdam aulicos eſſe, qui publicis officiis atq; magiſtratibus præfecti, diuitiis abundarent: Ludouico vero, primogenito ſcilicet Caroli, obſequentibus, præter quotidianam impenſam nihil illis ſuperaſſe. Hac opinione ducti, Dalphinatum petiuerunt, prementes omnia vectigalibus & ab opulentioribus pecunias exigentes. ***Nihil enim eſt quod indigens nobilitas ſibi non licere putet.*** Cuius rei conſcius factus Carolus, Dalphinates petit: vt Ludouicum apud Viennam (vbi propugnaculũ in colle ſibi ędificauerat) comprǽhenderet. At ille patris aduentu perterrefactus, ad Philippum Burgundiæ ducem mox proficiſci feſtinat. Interim vero Carolus omnem Dalphinatum vendicat: mittitq; ad regni exitus, Ludouici digreſſum obſeruare. Qui nihilominus clam dilapſus: in Brabantiam perfugit, receptuſq; eſt à Philippo: & debito honore habitus, apud quem annos fere decem manſit. Miſſis interim ad patrem oratoribus, qui conciliatum eum redderēt patri: eique liceret, in patris conſpectum per aliquot annos non venire. Addidit huic legationi Philippus oratores, ſe excuſaturos, quòd Ludouicum hoſpitio admiſiſſet, tanti regis filium, cui ipſe obſequi maxime teneretur, trepidanti quidem & patris iram potiſſimum formidãti: cupienti quoque in Turcos expeditionem ducere, ſi coadiuuaret pater. Auditis vtriſque legatis, Carolus reſpondit: honoris plurimum Ludouico quidem deberi, ſi in patrem debitam pietatem exſolueret. Neque Philippum erraſſe, quòd cum hoſpi-

Iohannes Alenconii dux capitur.

Ludouicus à patre deficit.

hospitem haberet. Verum mirari se, quæ causa timoris Ludouico fuerit: quòd tantopere trepidaret, cùm patrem facilem & maxime mansuetum fuisset expertus, cuius rei testes locupletes essent, Gabriel Vernus & Cœlestinensium Auionensium prior: qui ob rem ipsam, Nicolai pontificis Romani auctoritate, ad eum oratores aliquando conuenerant. Quod vero postulationibus nō acquieuisset, minime mirandum esse: propterea quòd eius postulata optimorum virorum sententiæ repugnarent: qui sentirent, nequaquam decere, vt filius à patre atq; à regno procul abesset: consilium secutus hominum improborum. Expeditionem vero in Turcos in Ludouici mentem incidisse, se profecto admirari: cuius ipse, antequam à patre discederet, nunquam meminerit. Idipsum nihil aliud esse, quàm dilationem veræ erga patrem reconciliationis: eo maxime tempore, cum hostis Anglus vigilantissimus esset, regnum Francorum repetere: aduersum quem milite opus erat. Quod vero Dalphinatum vendicasset, id ad terræ incommodum esse, cuius incolæ libertatem non amisissent, quos de hac re oratores ad Dalphinum ituros sperabat, qui nullius se incommodi pressura vexatos testarentur. Verū neq; literis neq; legationibus Ludouicus moueri potuit, ad patris cōspectū redire, diuq; res in dubio fuit, an bello tāta discordia finiretur. Sed dissimulata res est, intereaq; Carolus interiit.

DVM hæc inter patrem filiumq; agitantur, rex Hungarus Magdalenam Caroli filiam vxorem petit. Cuius rei causa sexcentos equites Turonum ad regem mittit, cum insignibus muneribus. Erat Laodislaus trium regnorum, Hungariæ, Bohemiæ, atq; Poloniæ princeps: cuius ope Carolus constituerat, in Turcos exercitum aliquando ducere. Qui supra aliquot annos Nicolao V. Romanam sedem moderante, Constantinopolim (imperii Græcorum caput) ceperant imperatore trucidato. De qua re ad Carolum Franciscus Philelphus scribens, eum diligenter admonuit, vt more maiorum suorū fidei causam tutelamq; reciperet. Hanc Constantinopolitanam cladem Mahumetus Turcorum rex intulit, IIII. Cal. Iunii, anno Christianæ salutis MCCCCLIII. Excipiuntur à Carolo legati incredibili apparatu. Sed læticiæ & communi omnium gaudio se infœlix nuncius admiscuit. Itaq; nunciatur Laodislaus mortem obiisse, cuius interitus veneni suspitione nō caruit. Legati nihilominus non minore cura accipiuntur, comitati illustribus viris, qui publica eos impensa leuarent, donec in Germaniam demigrarunt. Intermissis paucis post hæc diebus: Petrus, Britonum dux, diuturno morbo correptus, interiit. Qui successorem habuit Richemontum Franciæ Conestabilem, morte post paucos dies absumptum. Quem secutus Franciscus, Aurelianum ducis nepos ducatum adeptus est. Carolum deinde mors excepit, cum nunciatum ei fuisset, quosdā potionem apparasse, qua interiret. Ea re tam vehementer turbatum animum induit, vt dies septem totos cibo abstineret, hortantibus maxime medicis se inedia magis quàm morbo affici. Sed dum edendo vitæ consuluit, coercitis arteriis cum stomachus nihil cibi reciperet, absumitur: die festo diuæ Mariæ Magdalenæ, sacris, Christiano ritu, perceptis: elatusq; est ex Magduno Iueriensi regia pompa in sepulchro maiorum suorum, & in Dionysii cœnobio sepultus. Rex proculdubio, in quem fortuna asperrime primum desæuit, tanquam exterminare eum regno statuisset: deinde blande illum attollens, victorem gloriosum atq; Dei dignitate patriæ restitutorem effecit. Nam illud de eo scribi dignum est, quòd discordantibus de regno Anglis dux Eboracensis Richardus regnum affectans, Henrico regi, non dissimulato odio, aduersari cœpit. Cuius cœptis Henricus occurrens, grandi exercitu contracto, se campestri loco, aggere & firmis munitionibus vallato, continebat, constitutis octo per circuitum portis atq; custodibus sui generis: ne quis, nisi notus, in castra se conferret. Ad quem locum Richardus Eboracensis & Varuici comes, frequenti populorum manu instructi, promouentes: cum iam custodes clam haberent amicos, vallum ingressi ad Henricum peruenerunt, quem depræhensum, occisis aliquot proceribus, qui Henrico circunsistebant, Londonias deduxerunt: præcedente illum Varuico, qui ensem Conestabilis more præferebat. Moxq; ad arcem (quæ Henrici præsidio tenebatur) succedentes, cum illam obsirmatam inuenissent, præfectos quatuor, viros insigni nobilitate, ad colloquium vo

CAP. 6.

Constātinopolis capitur.

Laodislaus rex moritur.

Carolus ægritudinem contrahit.

cant, promittuntq; iureiurando adiecto, vitam illis & fortunas ſaluas fore, ſi arcem illis patefacerent. Perſuaſi proceres regi occurrunt, atq; mox ſalutato Henrico, dum illum à tergo comitantur, orta in populo ſeditione, quidam in eos inſiliunt, vnũq; illuſtrem apptime virum (cui de Scalis cognomen erat) mactant. Reliquos poſtridie ante arcis portam capite mulctatos, quadrifariam exſecuerunt. *Fidei rara eſt ratio apud eos, qui imperii concupiſcentia digladiantur, quanquam ſceleris autorem pœna non prætereat.* Itaq; ſupererat ex Henrici familia dux Sombrecetus, qui iniquo animo ferens, regem à coniuratoribus non ſecus ac captiuum teneri, compluresq; ſuæ cognationis fuiſſe interemptos, iuuentutem multam, eorum maxime, quorũ parentes aut cognati perierant, cogit: atq; Richardum in planicie ſancti Albonis inuentum, plurimoq; milite inſtructum adorſus, cum pleriſq; aliis necat. Cuius caput amputatum (quandoquidem regnum affectauerat) ſtraminea corona illudi iubet. His Henrici aduerſitatibus permotus Carolus, literas ad Normannos dat, ſinant abſq; controuerſia Anglos ad ſe Henrici partes ſecutos, transfretantes regionem incolere, diuerſariq; & in ea libere negociari. Tali profecto benignitate vſus eſt Carolus, in eum, qui hoſtiliter illum ſæpenumero fuerat perſecutus, tentauitq; (quoad fieri per eum potuit) Henrico auxiliari, vt eum in libertatem vendicaret. *Ad hunc modum humanarum rerum mutabilis conditio eſt, vt in ſublime prouectus, caſurum ſe merito formidet, deiectus autem nequaquam animo tabeſcat.* Henrico fœlicia initia fuere: Carolo contra. Deturbatus ille regno eſt: hic in regnum poſt multas aduerſitates glorioſe exaltatus, & victorioſus appellatus. Pridie mortis eius, viſus eſt fulgentiſſimus cometa, tanti principis interitum præcurrens, & futurorum nunciator.

Cap. 7. LENI & manſueto patri, aſper & vehemens filius ſucceſſit Ludouicus: conſilio præceps, ingenio vario, & domeſticis vix ſatis perſpecto. Nec dubia fides fuit, Carolum iuniori ſuo filio Carolo regnum (ſi commode potuiſſet) relicturum: ſed belli ſeminaria execratus, Ludouici mores atq; abſentiam longanimiter tolerauit. Cogitauerat enim diu tacitus, bellum in Burgundos mouere, pleriſq; ſibi aſſentientibus proceribus. Et cum ad id propenſus eſſet, expectabat tantum belli aliquẽ motum à Burgundo excitari, ne tam autor diſſenſionis, quàm propulſator iniuriæ eſſe videretur. De Caroli morte nuncio accepto, permulti, qui officia magiſtratuſque adminiſtrabant, ad Ludouicum protenus gratulabundi ſe in Hannoniam contulerunt, ſciſcitaturi ab eo, quid illos facere præciperet: impetraturi quoq; de ſuis magiſtratibus & officiis ſtabile firmamentum. Fuere qui pecuniam ærario debitam & ad hunc diem conſeruatam, Ludouico nouo atq; inopi regi perſoluerunt. Quatuor tantum ex omni numero petitorũ admiſit. Petrum Orſauerium, Nicolaum Louuerium: quos ad ratiocinia regiorum computorum conſiliarios inſtituit, Iohanne Bailleto, *requeſtarum* coniudice, & in cancellaria referendario ordinato. Simonem Carolum, in eum (quem prius magiſtratum gerebat) reſtituit: quanquam iam fere ætate defectus eſſet, & non niſi lectica iter conficere poſſet. Reliquos magno numero Pariſium remiſit, eius aduentum præſtolaturos. Interea confluunt ad Ludouicum ornatiſſimi quiq; proceres, qui ſacrandum nouellum regem Remos perducerent: Vbi Iuuenellus loci archipræſul eum more maiorum vnxit atq; benedixit. Quo myſterio abſoluto, Ludouicus ad Pariſios protenus profectus eſt. Nec facile ſcripſerim, quo faſtu & pompa à Pariſiacis ſit exceptus. Nam, vt ſileã populi ex omni Francorum imperio concurſum, qui ad feſtũ diem conuenerat, mira erat per omnem ciuitatis publicam viam ludorum frequentia: gloriantibus inter primos Burgundis, qui in regnum ſua opera reducem Ludouicum poſt longum à patre diſceſſum iactitabant. Exactis per hæc ſolennia aliquot diebus, cùm Philippus, Burgundorum dux, domum repetere cuperet, regem magnopere cohortatus eſt, iram, ſi quam animo in proceres concepiſſet, deponere: obliuiſci prorſus atq; oblitterare, quæ præterita erant: ſatis admodum eſſe illi, quòd nullo tumultu rex eſſet & vocaretur. Et quia frater illi eſſet: debere adoleſcentem amare atq; amplecti, & patris hæreditatem cum illo legitima portione diuidere. Hæc atq; ſimilia multa locutus Philippus, Ludouicũ dimiſit, Picardiam reuiſurus. At Ludouicus, qui

qui exulceratum animum haberet, & patrias leges iam dedidicisset, exteris moribus per diuturnum vsum imbutus, multa partim suo ingenio, partim eorum, qui absentiam à patre exilium fuisse reputabant, agere cœpit & principes imprimis parui admodum habere. Venationis omnem prope consuetudinem prohibens, ita, vt piaculum esset, aues aut canes alere, cassibus vti, insidiari feris animantibus, nisi quoad ipse permitteret. Et, quod illi maximum ad eas, quæ superuenerunt, discordias momentum fuit, magnopere nixus est infimæ sortis homines præ proceribus opulentos sublimesq; facere, quos ad suas vehementes voluntates obsequentissimos esse cupiebat. Nõ enim ęquanimiter ferebat, si quis dicenti vel imperanti sibi quauis ratione aduersaretur: plus suopte ingenio, quàm cuique sapientissimo fidens. Fuit illi post annos aliquot inter præcipuos domesticos Iohannes du lude, Iohannes Balua: quem cardinalem Romanum sub Sixto IIII. atque Innocentio VIII. ipsi vidimus: Iohannes Hebergus post Baluam Ebroicensis præsul, dominus de Foresta, Oliuerius Diabolus (quem Ludouicus sublata diaboli appellatione, malum, deinde Dammam cognominauit) Stephanus Ostiarius: quibus ministris pro sua voluntate diuerso tempore vsus est. Accessit his longo post interuallo Doiacus, versutus imprimis & temerarius, supraque generis sui conditionem audax. Ab his, vt quisque per vices Ludouico obsequebatur, posthabiti principes, & magna pars nobilitatis, desciscere à Ludouico, seque & suam dignitatem tueri constituunt. Igitur clandestinis nunciis, quid singuli sentiant, sciscitantes, postquam de sententia illorum satis constitit, Britonum dux Franciscus, oratores ad Ludouicum (qui Pictauiæ agebat) mittit: simulans, nescio quid, quod vtrique vtile esset. Nec repugnat Ludouicus: tantum petit ducem ad se venire, qui ab oratoribus promissa, præsens confirmet. Dant fidem legati, id se facturos, seque propediem vna cum suo principe reuersuros. Cum illi Pictauia à rege abeuntes, duodecim tantum passuum millia confecissent, clam dilapsus Carolus, regis frater, ad eos se contulit: in Britanniamq; festinanter profectus est, quò illũ præcesserat Iohannes, Dunensis comes, discessionis Caroli maxime consultor. Sic enim inter principes condictum erat. Nec defuerunt permulti proceres, qui eum mox relicto rege sequerentur. Qua re cognita, Iohannes Borboniorum dux (qui Ludouici sororem in matrimonio habebat) aperto bello insurgit, & quicquid regii fisci in suis terris erat, occupat: Crussolumque & Trainellum atque Doriolum primores fere regis aulicos in custodia continuit. Deditque sedulo operam, eximere de diui Anthonii Bastilda, Anthonium Chabanum: qui illic Ludouici edicto seruabatur. Itaque eodem ferme tempore, quo hæc gerebantur, Anthonius noctu ad ducem aufugiens, magna lætitia ab eo exceptus. Quippe quòd Ludouicum non diligeret, & futuro bello commodissimus esse sperabatur. Huius ergo tam manifestæ defectionis initio turbatus Ludouicus, Carolum de Melduno, Iohannem Baluam, & Iohannem Præuotum ad Parisios statim cum literis mittit: quibus ciuitatis rectores & primos ciues monet, eminentis ob Caroli fratris à se defectionem periculi. Intelligere se principes arma aduersum se mouere: opus ideo esse, vigilantissima custodia, ne noui in ciuitate motus prodirent. Vnam eorum ciuitatem esse regni caput, vnde reliquæ vel belli vel pacis exemplum accipiant. Si in fide Parisii permaneant, nihil sibi timendum esse, quæ coniurati moliantur. Ea oratione procliues ad audiendum Parisii, excubias constituunt, adhibitis primariis portis custodibus: aliquot etiam prorsus obstructis. Cathenas præterea quæ ad viarum compita negligentius curabantur, reficiunt. Hæc dum Parisii geruntur, Anthonius Chabanus, custodia elapsus, per Vastinium iter faciens, sanctum Forgeum & sanctum Mauricium (quas arces Goffridus Cuerus præsidio tenebat) capit, bonis omnibus direptis, ipsoque Goffrido captiuo abducto. *Ludouicus copias cogit.* Insurgentibus tot rebus nouis, Ludouicum accito Renato Andegauensi duce (quem Siciliæ regem appellabant) & Carolo Cœnomannorum comite, fortem XXX. fere millium militum exercitum cogit. Sed, cùm dies non paucos ibi moratus, parum admodum proficeret, attributa Renato Caroloq; fratribus parte copiarum, quæ Britonum cœptis obsisterent, reliquum exercitum in Bituri-

ges ducit. Biturigem tamen ciuitatem præteriit, quam magno præsidio à Borboniensi notho, fratris sui Caroli nomine teneri, acceperat: moxque in Borbonium (quod Biturigibus vicinum est) profectus: castellum sancti Amandi expugnat. Nec multo post Molissonii in Ludouici potestatem venere, cedente loco Iacobo Borbonio, oppidi præfecto. Per hos dies cum nonnulli ex præsidio sancti Forgei satellites Moretum incurrissent, indeque quosdam, qui eo loci ex Senonibus hospites diuersabantur, noctu abduxissent: re cognita, Ludouicus iubet pontes Chamosii & de Bellomonte dirui. Iam enim fama erat, Carolum, Philippi Burgundorum ducis, filium (qui ex coniuratis erat) copias contraxisse, vt cum aliis coniuratis iungeret exercitum. Nec mendax fama erat. Nam Anthonius, Philippi nothus, adiuncto Burgundionum Marescallo, cum aliquot cohortibus præcurrens Caroli exercitum, Roiam & Mondiderium occupat. Erant apud Peronam tunc temporis in præsidio comes Niuernensis, & Ioachinus Roaldus, Franciæ Marescallus cum quatuor millibus armatorum: qui cognito Caroli aduentu, relictis ad oppidi custodiam aliquot ex nobilitate Francorum viris, & quingentis sagittariis, Peronam deserentes, mox Nouiomum, Compendiumque se contulerunt. His belli motibus dum Picardia agitatur, Ludouici soror Carlota, Borboniorum ducis coniunx, ex viri consilio sanctum Porsanum (vbi rex agebat) petit: finem discordiis positura. Sed intentione frustrata, Rionem (quò dux ex Molinis interim se receperat) reuertitur. Eodem tempore sancti Mauricii arx (dedentibus se iis, qui in præsidio erant) à Carolo Meldunensi recepta est. Iussi quoque sunt Parisii arma domi in expedito seorsum habere: facere de muris nocturnas excubias: Faces per compita, & per domos, laternas noctu accensas ponere. Conatus est rex illis diebus ex schola Parisiensi delectos habere armatos, quibus ad

Fichetus. belli necessitates vteretur. Præerat autem scholæ rector Guillermus Fichetus, magni animi vir: doctrina & dicendi arte potens: qui in caligine iacentibus humanitatis studiis, lumen mea ætate attulit, excitauitque complures latine discere & eleganter loqui. Hic igitur acceptis à rege de armandis scholasticis litteris, concione generali habita, disertam habuit orationem: qua veritus non est, repugnantem Ludouico sententiam dicere: qua maxime probatus atque clarus factus est. Nam cum Bessario, Græcus cardinalis post aliquot annos Romana, apud regem, legatione fungeretur: audita Ficheti fama, eum ad se accersiuit, atque in vrbem duxit: commendans illum Sixto IIII. Romano pontifici. Extant eius Ficheti rhetoricorum libri, orationes quoque atque epistolæ. Bessarionis autem opus est defensio Platonis aduersus Trapezuntium, qui Platoni conuiciatus, Aristotelem illi præferebat. Sollicitis ad hunc modum Parisiis, Carolus, Philippi filius, ferox iuuenis (à quo auxilii plurimum reliqui coniurati principes expectabant) copias ad pontem Maxentii (qui est ad Isaram amnem) ducit. Condixerant autem ii qui arma aduersus Ludouicum parabant, se ideo conuenturos, vt populum vectigalibus pressum, & pœne seruum, in libertatem vindicarent. *Adeo solers est male errantium cautio, vt iusticiæ velamen suæ iniquitati prætendant.*

Libertas populo proponitur. Incedens igitur cum exercitu Carolus, libertatem populo passim proponebat, specie beniuolentiæ plebem sibi concilians. Eius pontis atque arcis præfectum Maderum, Petri Orfauerii vicarium, pecunia Carolus corrupit, arcemque recepit. Indeque flumine traiecto, castella quædam minimo negocio protenus occupat. Venere quoque in eius potestatem Bellilocus & Dommartinus. Mox occupato Latiniaco, libellos rationum regii fisci Burgundi diripiunt atque incendunt, exactis vectigalibus. Salis item promptuariis patefactis, potestatem faciunt sumendi salis, precio mercatoribus tantum persoluto, atque ita à tributo libera omnia esse pronunciant. Grassante ad hunc modum Carolo, Ioachinus Roaldus veritus (quod vero simile erat) Burgundum Parisium proficisci, cum bona equitum manu in ciuitatem se contulit.

Riona obsidetur. Interea autem Ludouicus Rionem in Aruernia obsidet, quò Borbonii atque Nemorsi duces, Armigniacus præterea comes, & Albretus se receperant. Erant in exercitu Ludouici quatuor & viginti millia armatorum, longo militiæ vsu spectatorum: quorum numero & robore

territi

territi duces, de pace, ad Ludouicum nuncios mittunt. Iurantque (si regis gratiam reciperent) se illi probe sincereque inseruituros, nauaturosque diligentem operam, vt reliqui sibi confœderati principes in beniuolentiam redeant, & fidem seruent. Deq; ea re Parisium ad regem nuncios ad VIII. Calendas Augusti legaturos. Quod si alia principibus mens maneret, se nihilominus constanti fide conuenta cōpleturos. Hæc conuentionis formula, adhibitis apostolicis scribis, literis mandata est, pœna excommunicationis in præuaricatores adiecta. Quæ omnia Parisiis referre Carolum Charlaium, vigilum præfectum Ludouicus iubet. Qua re cognita, decernuntur in vrbe ad diuæ Catharinæ vallis scholarium ædem supplicationes. Interim compositis aciebus Carolus Burgundus ad sanctum Dionysium castra facit, atque postridie sancti Clodoaldi pontem, missis aliquot cohortibus, occupare constituit. Quem tertiò oppugnatum, tandem (dedente se præfecto Iacobo Mairo) hostis obtinet. Et ne regni caput Parisium timide præteriisse Carolus videretur, promotis copiis caduceatores præmittit, qui liberum per ciuitatem transitum petant. Id si non impetrent, dicant Carolum vim illaturum ciuitati. Præerant eo die portæ, quæ ad sanctum Dionysium ducit, Petrus Orfauerius & Iohannes Pompancurtus. Qui cum responsum dare caduceatoribus incipiunt, ecce, Burgundi copias omnes ad sanctum vsque Lazarum progressas conspiciunt, quasi incautos custodes intercipere sperarent. At armatus populus & cum suis Ioachinus Roaldus, acerrime restiterunt. Moxque in proximum campum hostis acie instructa progrediens (aliquot ex suis interemptis) ciuitati comminatur. Sed cum ex muro tormenta in suos frequenter iaci conspexit, copias reduxit. Moxque Sequana per sancti Clodoaldi pontem transmisso, cum accepisset Ludouici fratrem cum Britonibus per Belsiam iter facere, ad Montemlericum ducit. Iam enim Rione discesserat Ludouicus, & magnis itineribus Parisium appetebat, certior factus de Burgundorum accessu. Verum cognito, quòd à tergo frater, & à *Pugna apud Montlericū.* fronte Burgundus copias haberet, numeroso pedite, qui eum sequebatur, non expectato: Chartrascum multo equitatu contendit, ratus Burgundum prius fundere, quàm cum illo Britones iungerentur. Eò, vbi castra Carolus habebat, cum peruenisset rex, nulla sui curandi mora militi concessa, feruens furensque in hostem progreditur. Fuit congressus suo initio formidabilis & nō incruentus. Nam, qui in prima acie Burgundi pugnabant, plurimi se in fugam proripiunt. Fuereque ex illis perquam multi in fuga capti, atque occisi. Huius rei fama ad Parisios perlata, arma quisq; rapit, atq; per agros effunditur, præhensurus ex fugientibus prædam. Vidi ipse frequentes captiuos, dissolutis armis vulneratos in ciuitatem deduci. Et populum omnem non secus ac in certa victoria exultare. Sed Ludouicus, sancti Pauli comes reliquam Burgundorum aciem in statione atque ordine continens, Ludouici vires sustinere fortissime militem admonebat. Ludouicus autem hoste partim fuso, reliquos adoritur: qui se curribus, tanquam vallo, atque munitionibus circunsepserant, conuersis in Francos tormentis, quibus non paucos clari nominis equites prostrauerunt. Itaque conserta pugna pertinacissime dimicatum est: ita, vt Ludouico non longe emineret periculum, inter suos fortiter prælianti. Et Burgundo quoque fortuna minata est: quem semel à Gaufrido de sancto Belino, iterum à Gilberto Grassaio comprahensum, sui eripuerunt. At equites Franci, tametsi magnis viribus in hostem vecti, complures prosternerent, nemo tamen peditum pone sequebatur, qui prostratos iugularet. Quamobrem spacium erat deiectis exurgendi, & prælium instaurandi. Pugnatum est varia fortuna, vsq; ad vesperam, decimæ sextæ diei Iulii mensis: donec milites Scoti, qui regii corporis custodiam gerebant, animaduertentes Ludouicum graui in periculo versari (Nā die tota per æstus & cædes nihil cibi desumpserat, & sexcenti equites, quos Cœnomannorū comes, Montalbanus Marescallus, & Gargassalus ducebant, prælio exterriti, turpiter deserto Ludouico aufugerant) assumptū regem in arcē Montlerici perduxerunt, atq; ita prælium diremptum est, manente in sua statione Burgundo. Cecidisse ex vtroq; exercitu sexcenti supra tria millia memorantur. Inter Francos occubuit Petrus Bresleius, Gaufridus de sancto Belino & Floquetus. Ex

Burgundis longe plures. Enimuero principis custodes omnes prope interierunt. Recreato paululum rege, consilium fuit, Corbolium se conferre, atq; inde Parisium proficisci. Cum Corbolii esset, accepto, quòd Carolus Burgundus eo in loco, vbi pugnatum erat, pernoctaret: non, inquit, mirari illum oportet in campo manere, cui neque ciuitas vlla, neque arx ad diuersandum patet. Secundo post prælium die in ciuitatem Ludouicus venit. Vbi inter cenandum dum casum fortunamq; suam conuiuis memorat, multa fortiter sapienterq; locutus est, incertã instabilemq; hominum conditionem causatus. Callebat enim literas, & (supra quàm regibus mos est) erat eruditus. Vnde & multos ad illachrymandum prouocauit. Nihilominus se iterum in hostem ducturum dissserebat. Sed à prudentibus dissuasus, Parisii se continuit. Habuit siquidem ad eum egregiam orationem Guillermus Quadrigarius, Parisianus præsul: qua rerum præteritarum memorem cum Ludouicum reddidisset, sequentium rationem habere hortatus est. Decere regem consiliis omnia prouidere, circum se habere boni æquique amantes viros: qui & pacis tranquillitatem seruent, & belli motus modestia atque iusticia moderentur. Præsulis oratione rex adductus: deligi sibi viros spectatos iubet, qui ad eius consilium quoque die vnà cum cæteris veteribus consiliariis accederent. Itaque ex ciuibus sex: ex Parlamenti senatu totidem: exque Parisiensi schola, pari numero, probati homines id negocii receperunt. Duram profecto prouinciam, si principis vehementiam attendas: quam Breseius viuens per facetiam lepide aliquando expresserat. Insidens enim exiguo equo Ludouicus, dum venatum exiuisset, sequenti oratione à Breseio est interpellatus. Vnde, inquit, serenissime rex tam fortem equum nactus es? Cur, ait Ludouicus (Bresei) id censes? quandoquidem pusillus est. Quia te, Breseius inquit, & consilium tuum totum vnà comportat. Non dissimili cauillatione rursus regem taxauit: cum à rege Anglorum oratores ad eum venissent. Nam quærente ab familiaribus aulicis Ludouico, quod in oratores Anglos præcipuum sine suo dispendio munus conferret: est, Breseius inquit, tibi cantorum ecclesiasticorum frequens chorus, quos non magni existimas, nec eorum canticis oblectaris, censeo illos, quibus facile carebis, oratoribus vniuersos dones. Subrisit Ludouicus, tametsi intelligeret, per cauillationem id à Breseio dictum esse, propterea quòd ad rem diuinam & ad curarum leuamen cantorum harmoniis ipse perraro vteretur. Enimuero, decoros rerum mundanarum à maioribus obseruatos ritus, & mores Ludouicus neglexit: & demissa regia maiestate: multis ad conuiuium admissis, populariter discumbebat: obscœne interdum loquens, præsertim cum de mulieribus sermo incideret. Neque sumptuosa veste induebatur: neque curialium pompa gaudebat. Fuit enim illi à Montlerici pugna intentus summopere ad sui custodiam animus: vindictæ atque prorogandi imperii appetens: & longioris vitæ longe cupientissimus. Studuit præterea quàm plurimas copias habere. Quibus cum stipendia tribuere commode ipse non posset (occupatis à coniuratis locis, vnde hæc percipi solebant) pecuniam à Parisiis mutuo petit. Quam (vt pote grandem) conferre non pauci ciues pernegarunt. Indignatus propterea Ludouicus, quosdam regio magistratu atque officiis amouit, ad omnem prorsus casum suspiciosus: nec vlli satis credulus. Inde patuit delatoribus ad multorum perniciem via. Nam accusatos complures fuisse accepimus, qui leuibus causis non auditi, extincti sunt. Per idem tempus Iohannes Burgensis, qui dominum suum Iohannem Berardum, Parlamentei senatus consiliarium, in Britanniam secutus fuerat: Gratianusque & Franciscus Meriodeus fratres: offensæ maiestatis criminati, in flumine Sequana demersi periere. Et post aliquot dies Petrus Gueroldus (qui à Britonum duce Parisium explorator venisse dicebatur) capite punitus atque inde in partes quatuor sectus est. Fœminæ præterea aliquot, & Parisiani ciues delati, quòd cum coniuratis sermonem contulissent, in profluento noctu extincti sunt. Nihil enim tutum à delatoribus erat. *Satis ad interitum erat, fuisse quomodolibet accusatum.* Sed ad coniuratos redeo. Burgundus victoria ad Montemlericum habita, gloriabundus Stampas petit, vbi Ludouici fratrem & Britonum ducem conuenere, accedentibus ad eos reliquis coniu-

Ludouici mores.

Conuenint apud Stampas principes.

coniuratis: atque eo loci captato consilio, post quindecimum diem in Vastinium mouent, occupantque Priuinum Moretumq;. Aduersum quos Sallazardus, & qui sub Ioachino Roaldo militabant, ad Ionam Sequanamq;(vt transitu hostem prohiberent) progressi: quandoquidem numero militum longe inferiores essent, retro abiere: atque ita nauibus apud Moretum repertis, coniurati Ionam Sequanamq; amnes exuperant. Erat inter coniuratos Iohannes, Renati filius, dux Calabriæ: quem postquam cum copiis in agro Antissiodorensi venire Ludouicus accepit, dominum Præcigniaci & Christophorum Palardum ad eum mittit, si forte ad se magnis pollicitationibus adducere possent. Nam, quia ob Neopolitanum regnum patris sui Renati nomine aduersus Ferdinandum, Alphonsi Aragonensis regis spurium, bellum suscepisset, & tanto bello per semet haud satis esset, spe Ludouicus ducebatur, eum in gratiam reuocandi: dum auxiliaturum se illi in eo bello promitteret. Sed constanti animo dux Iohannes, propositi tenax, ad coniurationis socios ire perseuerat. Qua re cognita, rex Parisiacis rebus consulens, sagittarios pedites (quos Francos supra appellauimus) qui ex Normannia recenter venerant: ad præsidium ciuitatis, cum quadringentis equitibus, ordinauit. Moxq; Rothomagũ profectus est, misso ad Parisios comite Deu: qui sui loco vrbis belliq; rationem haberet. Et, cùm per cloacarum fossas, quibus sordes & purgamenta ciuitatis per paludes eluuntur, multæ salices plantatæ excreuissent, ita vt ad constituendas insidias facile accommodari posse viderentur, omnes magno possessorum incommodo deiectæ sunt. Tumulus vero, qui exportatis ruderibus atq; quisquiliis vrbis ad diui Dionysii portam excreuerat, iussus est effodi. Sed conuenientibus ad opus plurimis plebeis, cum res parum procederet, relicto inani negocio: aggeres intra pomerium atq; tabulata, ad vrbis tutelam, extructa sunt. Interim congregati principes Charentonium pontem capiunt, recipientibus se ad Parisios iis, qui præsidio fuerant designati. Ponte capto, postquam hostes Sequanam traiecerunt: Ludouici frater, Carolus, Beautam (quæ Matronam versus, saltum Vicennarum claudit) ad diuersandum occupat. Dux Britonum ad sanctum Maurum concessit. Carolus, Philippi filius, Conflanum (quia paternæ ditionis erat) profectus est. Plurimæ autem ex Britonibus Burgundisq; cohortes, in ipso saltu sub diuo stationem habuere. Quod vbi comes Deu cognouit: Ramburum ad coniuratos legat: atq; committit sciscitari ex principibus, quid sibi velit tantus armorum apparatus: Quam mentem in regem atque rempublicam ipsi gerant: se Parisii esse positum à Ludouico moderatorem, qui ad reconciliationem & beniuolentiam magis, quàm ad bellum animum intendat, si ad rem componendam mediator admittatur. Talibus mandatis edoctus Ramburus, ad principes pergit. Sed eius legationis exitus soli comiti, qui Ramburum miserat, cognitus est: ne in vulgo forsitan temere prolata, deterioris fortunæ metu, populus ad res nouas inclinaret. Vix enim Ramburus reuerterat, cum hostis in planicie, vbi diui Anthonii campestris monasterium est, se late diffudit. In quem prodeuntibus Parisiis, leuibus præliis, paruo vtrinque damno, certatum est. Insequenti die Carolus, Ludouici frater, ex confœderatorum sibi principum sententia, litteras quatuor ad Parisios mittit. Ciuibus vnas: Parlamenteo senatui alteras, clero tertias, reliquas Parisiacis scholasticis. Quarum hæc sententia fuit, se cum illustrioribus regni principibus non hostili animo, reipublicæ gratia, conuenisse, mitterent ad se paucos sapientes & spectatos homines, quibus coitionis eorum causæ fierent communes. Cognitis litteris, legantur ciuium nomine Iohannes Choartus, castelli proprætor: Franciscus Hasle & Arnoldus Olearius. Ex clero Thomas Courcellus, Iohannes de oliua, Theologi doctores: & Eustachius Olerius. Ex Parlamenti collegis, Iohannes Boulengerius, Iohannes Sellerius, Iacobus Fournerius. Ex schola Parisiensi Iacobus Iunius, Iohannes Olearius, Iohannes Montigniacus, & Enguerranus parenti medicus. Hi omnes, duce Guillermo Quadrigario, Parisiano pontifice ad principes se conferunt. Quibus in consilium admissis, Iohannes, Dunensis comes, principum vice, causas eorum vocationis, edisseris. Accepto quid animi principes haberent: Legati ad consilium

Salices omnes per paludes deiiciuntur.

Ramburus ad coniuratos missus.

Oratores ex Parisiis ad coniuratos.

Relatio oratorum.

quod in ædibus publicis ciuitatis, eius rei causa paratum erat, reuertentes: principum sententiam ad insequentem modum detulerunt. *Principes Ludouici mores iam diu considerasse, populum non modo vectigalibus insuetis & seruitute premere: sed se quoque & omnem fere nobilitatem contemptui habere: omnia pro sua voluntate gerere: se legem, se iudicem, se Parlamentum esse: omnem regnandi spem in armis & militibus reponere: domesticos ex humili genere sibi comparere: qui illi assententur: qui quodlibet imperanti pareant: studere prorsus pares illos principibus facere. Delatorum plena esse omnia, nemini suas opes, sed nec vitam in tuto esse. Proscribi, relegari, ob friuolam suspicionem, quamplurimos: nihil iam auctoritatis principibus relictum esse: feris & beluis plus securitatis & libertatis, quàm hominibus esse: pecuniam & fiscum in nullius pensi homines largissime profundi: pensiones illis annuas sine modo dari, quæ principibus adimuntur. Iam proxime instare, vt ad vnum, singula atq; omnia intemperanter pertineant. Eas causas principes mouisse, vt instructi ad suam tutelam armis, ad regiam vrbem (à qua commune Francorum iudicium petatur) coiuisse: vt, more maiorũ, consilio cleri procerumq; & populi contracto, de rebus communibus quietè agi possit. Ludouicum quidem illorum & regni Francorum regem esse: sed eorum muneris atq; dignitatis esse: hortari atque commonefacere illum, maiores suos imitari: patris legibus vti: in suo quemq; iure atq; consuetudine continere: vectigalia moderari: misereri populi: cui fortunarum nihil prope sit. Igitur petere, in vrbem sine vlla iniuria aditum. Hæc sunt,* inquit Quadrigarius, *quæ à principibus dicta à vobis deferenda accepimus.* Relatione cognita, de conuentu communi cogendo sententia placuit: neq; vrbem illis negandam esse: si fide data, iniuriis abstinerent: soluerentq; quicquid impensæ ipsi in vrbe facerent. Et hoc quidem (si Ludouicus assentiatur) concedere concio respondit, sine cuius assensu nihil temere se agere licebat. Qua de re postera die legati ad principes reuerterunt, Parisiorum sententiã renunciantes. At præfecti militum, quos præsidio Ludouicus reliquerat, cognito Parisiorum responso: suos milites recensuerũt, & militari ordine perambulauerunt ciuitatem, instructi armis, tanquam ad præliandum accincti. Ea re populus exultabundus, spem meliorẽ cepit. Addidit quoq; animum Montalbanus Admiraldus, cum copiis eo die adueniens. Nec pigritatus est Ludouicus, à Normannia, cum impedimentis & bona peditum atq; fossorum manu, reuerti, ne per eius absentiam coniurati in ciuitatem reciperentur. Non enim parum suspectos habuit Parisienses: quod se inconsulto nuncios ad principes demisissent. Reditu Ludouici cognito, principes totis fere copiis cum magno tubarum & tubicinum classico, per Sequanæ ripam, ad diui Anthonii planiciem, in prospectu Parisiorum ostentandi sui causa conuenerunt. In quos nulla eruptio facta est, stantibus summo silentio ad custodiendos muros armigeris: & ex Parisiacis ciuibus non paucis. Ad vesperam autem eius diei, & insequentibus aliquot diebus, cum rursus se ostentaret hostis, occurrit illi ex ciuitate miles: & nunc ad Anthonianam: nunc ad Dionysianam portam prælia: militari quadam iactantia, commisit. Interim Ludouicus edoctus, quæ fuisset de recipiendis in ciuitatem principibus sententia, eos proscribit, qui in eam sententiam venissent, Iohannem Olerium, Eustatium & Arnoldum, eiusdem cognominis, & generis ciues, Iohannem Choartum & Franciscum Hasle. Quadrigarius quidem pontifex, quanquam maxime regi suspectus atq; exosus esset, non tamen in proscriptorum numero habitus est. Nam, quod homo integer & sanctæ æstimationis habebatur, in eum temere sæuire Ludouicus temperauit. Carpebat nihilominus, atque repræhendebat antistitem, quòd ad hostes se inscio prodiisset. Augebat crimen Iohannes, professione Monachus, Albigensium pontifex & Romanus cardinalis, natione Burgundus: homo litterarũ opinione clarus: qui Quadrigarii ad coniuratos profectionem ad crimen maiestatis referebat. Nec dubium fuit, Ludouicum id solicite curasse, qua aliquando causa Quadrigarium in aliam ecclesiã traduceret. Sed paucis post annis, cùm pontifex vita functus, epigrãmate & sepulchro se digno honoratus in æde virginis esset, Ludouicus laminis æneis, quibus epigramma Quadrigarii inscriptum erat, alterũ adiicere iubet, famæ hominis maxime repugnans, atq; aduersariũ. Per id tempus certior factus rex, Carolũ Burgundũ statuisse è regione Cunflani extruere pontem, per quem in alteram Sequanæ ripam traduceret exercitũ: egres-

Pœna in oratores qui ad coniuratos legati fuerunt.

egressus ciuitate: fossorum magnum numerum ad eam partem ducit: qui fossas aggeresque, ad prohibendum hostem, concinnarent, disposito pedite ad fossores contra Burgundum protegendos. Sed callidus hostis, cum materiam iam in promptu dolatam haberet: paulo supra Conflanum, ad portum (qui Anglus dicitur) pontem extruit, funibus ad oppositam fossoribus partem firmissime colligatum. Et iam transmittere conabatur, cum sagittarii Franci & equites adueniunt, qui tormentis telisq; ita agunt, vt traiiciendi potestatem hosti adimerent. Atque interim dum eminus certatur, ex numero fossorum quidam Normannus nandi peritissimus, in medias fluenti aquas, instar mergi, clam illapsus, funes vinculaq; & cætera pontis retinacula, non percipiente hoste, dissoluit: moxq; pons secundum flumen actus, Burgundo fuit inutilis. Normannus vero ad suos rediit incolumis. Cedente loco hoste, non multo post per nuncios de concordia agi cœptum est. Deputantur à Ludouico Cœnomanensis comes: Pricigniacus, & Iohannes Dauuetus. A principibus, Iohannes, Calabriæ dux, Ludouicus, sancti Pauli comes & Iohannes Dunensis. Qui protenus congredientes, duorum dierũ inducias, ad reliqua componenda statuunt. Et quia de pacis formula interim non satis conueniebat, dies induciis adiecerunt. Dum hæc à delegatis de concordia agitantur, venere ad regem ex nobilitate Normanna non paruæ copiæ, quæ ad sancti Marcelli suburbium stationem habuere damno incolarum. Nam, cum vindemiarum tempus esset, gens vuarum suauitate illecta, vix semimaturos vinearum fructus, sine modo, decerpebat & vorabat, nec rapinis aliunde abstinebat, colonos afficiens contumeliis. Duos tantum ex ea gente iniuriarum pœnas subiisse inuenio. Quorum alter decinctus & nudus caput, facem accensam gestans, per ciuitatem ad publicas ędes in Grauia deductus, à procuratore vrbano supplex veniam delicti postulauit, moxq; lingua candenti ferro illi perforata est, & deinde in exilium actus. Eius tam grauis supplicii causa fuit, quòd, dum à porta, ne in ciuitatem ingrederetur, à custodibus reiicitur, Parisios per contumeliam Burgundiones appellasset. Duo enim apud Gallos nomina diu ad ignominiam ferebantur, Burgundorum scilicet, quos Franci hostes habebant: & Armigniacorum, quorum generali appellatione Francos Burgundi designabant. Postridie sancti Pauli comes à Ludouico accersitus, prius non venit, quàm Cœnomannorum comitem rex obsidem dedit. Venienti Ludouicus in campum, qui diui Anthonii monasterio proximus est, occurrit, & postquam horas duas totas confabulationem sine arbitris consumpsissent, rediens in vrbem rex, solito hilarior, in portæ vestibulo ad circunstantes conuersus: non, inquit, deinceps à Burgundis tot pœnis atq; sudoribus afficiemini. Nã iniurias prohibebo. Sic loquente Ludouico: Petrus Heronus in curia Castelleti procurator, vuas nihilominus, inquit, illi nostras auferunt, nec illis occurritur. Quam vocem excipiens rex: minus, ait, est vineas vestras spoliari paucis racemis, quàm hostem occupare ciuitatem & opes vestras, quas terræ visceribus infodistis, raptas tollere. De concordia cum hactenus nihil bene procederet ad XIIII. Calendas Octobris induciæ prolongatæ sunt: perquas non sine regionis detrimento coniurati in sua castra multum commeatum coegerunt. Fueruntq; post longas consultationes omnes conuentus irriti, ceciditq; tota concordiæ spes. Et copiæ, quæ ad portum Anglum in munitionibus erant, imperante Ludouico, se ad Cartusienses recepére, religiosum locum occupantes: ita vt in cellis monachorum promiscue diuersarentur equi & milites, pulsis inde sanctis viris. Nec moratur hostis, flumine transmisso copias regias, quæ ad sanctum Marcellum & vicina suburbia, castra habebant, adoriri: vbi congressum est magnis viribus, aliquot vtrinque cæsis atque captis. Ludouicus autem interea secum reputans operæprecium fore, si eorum, quæ de pace à delegatis agitata fuerant, Parisios conscios faceret, contracto in ædes regiarum rationum ex quaque Parisiorum conditione consilio: Petrum Moruillerium cancellarium mittit, qui diceret se fratris sui & reliquorum coniuratorum petita cognouisse. Et Carolum fratrem ante omnes petere, sibi in partem patrię successionis Aquitaniam cum Xantonibus & tota Pictauia, vel Normanniæ integrũ ducatum distribui. De qua re consilium prudentiũ vi-

Insolentes Normanni.

rorum cùm cœpisset, fratri respondisse, se id quod regno peculiare erat, dirimere & alteri dare non posse. Verum Campaniam Briamq; aliis legibus teneri, quas libens fratri donaret, Melde, Monsteriolo Meldunoq; exceptis. Carolo præterea, Philippi filio, pecuniam grandem obtulisse, ad leuandam impensam, quam in illa expeditione ipse fecisset. Quæ tametsi ampla atq; magna essent, coniuratos tamen ea recusasse. Et hæc, inquit, cancellarius communicata vobis esse rex voluit, ne æstimetis illum illiberalem in fratrem, aut in quempiam fore, si de concordia conuenire posset. Hæc locutus Moruillerius, consilium dimisit. Interim apud Pontisaram Ludouicus Sorbierus (qui à Ioachino Roaldo relictus præsidio fuerat) in oppidum atq; arcem Britones admisit. Et, vt recenti proditioni alteram adiungeret, mox ex Pontisara cum aliquot armatis Melannum contendit, alba cruce, vt semper dum regi obsequebatur, insignitus: vt absq; vlla inimicitiæ suspitione in oppidũ receptus falleret oppidanos. At de proditione iam edocti oppidani, atq; ad muros in armis stantes, dũ Sorbierum perspiciunt, proditorem illum iterum atq; iterum magnis vocibus inclamant. Quamobrem illusus proditor, Pontisaràm reuersus est. Parisii vero ii qui ad muros ciuitatis hostium castra versus excubabant, noctu vident ignitam stellam, in fossam (qua ædes Dardosiæ sunt) cecidisse: Verum ætherène an ab hoste ignis procederet, non satis conscii, rem Ludouico renunciant: qui confestim locum petens, quo cœlestis flamma excidisset, diu ibi moratus est, dubius, si ad incendendam vrbem illud ab hoste fuisset excogitatũ. Atq; interim mandat, haberi per singulas vrbis regiones, atq; ad muros, custodias. Per id tempus miles, qui in vrbe apud quemq; ciuem passim diuersabatur, verbo petulans atq; contumeliosus in tantum extollebatur, vt dicere non vereretur, opes quæ in ciuitate erant, non ciuium, sed suas esse, ideoq; claues ædium se ciuibus detracturos, atq; pro sua libidine & arbitrio vsuros illis: frustra confidere illos, quod vias cathenis ferreis impeditas haberent, quas ipsi in promptu effringere atq; euellere potuissent. Hanc militum ferociam & temeritatem referentibus multis, mercatorum præpositus accersitis primoribus ciuibus, de re ipsa consilium capit. Itaq; protenus statuitur, fieri per ciuitatis compita nocturnos ignes, & illic singulos per suas regiones armatos vigilias facere. Secundum hoc edictum vigilatur totis locis, & quanquam Ludouicus prohiberet, vigilatum tamen est. Hæc sollicitudo ciuitatis, milites quietiores fecit. Scio enim per eam tempestatem Parisios à suo pręsidio, quàm ab hoste magis sibi timuisse: præsertim, quòd intelligerent, raros in fide regia stare, sed inclinare ad coniuratos, si sors obtulisset. Nam eadem tempestate, qua ignes per vrbem fiunt: sancti Anthonii propugnaculum, id est (vt vulgus loquitur) bastilda, compertum est, portis reclusis peruium: quod ad hostẽ noctu admittendum factum esse permulti interpretabantur. Nam & tormentorum aditus, per quos ignis indi ad puluerem potest, adactis clauis obstructi erant, ne in aduenientem hostem iaci glandes aut saxa possent. Sed postquam tot ignibus illuminatam ciuitatem hostis animaduertit, cœptis destitit. Accessit ad has quotidianas Ludouici curas binus per vices nuncius. Vnus, qui Gisortium renunciat copiis hostium circundari, nec in oppido aut in arce quicquam pręsidii esse. Nullum præterea tormentum aut machinam illic aduersus hostem relictam. Alter, Rothomagũ à coniuratis sollicitari. Cuius nuncii fidem auxere vxoris Breseii literæ, quæ à mariti occubitu Rothomagi incoluerat. His literis significabat, se Brequemontum, palatii Rothomagensis præfectum, præhensum in custodia habere, quod hostium partes sequi videbatur, propterea in tuto esse eam ciuitatis partem, quæ à ponte & à palatio erat. Verum, tametsi hæc ita nunciabantur, postera tamen die Iohannes Borboniorum dux, vnus ex coniuratis in arcem per posticum recipitur. Qua re cognita, principes Ludouico renunciant, Carolum eius fratrem neq; Campania, neq; Bria pro parte hæreditatis contentum esse. Normanniam vnam & solam petere patrimonii loco. Eam ob rem, cum primariam ducatus Normannici ciuitatem occupatam rex intelligeret, quam non facile recuperare, & quòd Breseii (quam diximus) vxor: Iohannes item Hebertus & Balua Ebroicensium præsul, sibi perfamiliares suadebant, Normanniam fratri dono coactus reliquit, recepto Biturigum princi-

Pontisaram Sorbierus prodit.

Flamma repentina.

principatu. Pacato fratre supererant cæteri cōiurati, quibus facere satis oportebat. Carolo Burgundo cessere in perpetuam possessionem Perona, Roia, & Mondiderium. Ad hęc Guinarum & Boloniæ comitatus: quamuis ea loca Ludouicus soluta pecunia à Philippo patre redemisset. Iohanni Calabriæ duci ingens pecunia data est, & copiæ attributæ, quas regio stipendio, quò vellet, duceret. Borboniorū duci par pensio quam à Carolo VII. annuam percipiebat, assignata est cum solitis copiis: &, quæ in coniugis dotem soluta nondum pecunia erat, persoluta. Comes Dunensis, quęcunque coniurationis tempore bona sibi ablata fuissent, restituta accepit, annua illi pensione adiecta. Dōni Martini comes in terras & possessiones, quas iudicio senatus parlamentei regis fiscus publicatas habebat, restitutus. Sancti item Pauli comitem Ludouicus Conestabilem instituit, mortis, quam postea passus est, præludium. Postquam coniuratis satis à rege factum, pax perpetuarum induciarū nomine, præconis voce & in ciuitate & in castris principum vulgatur: fitq; & commeatus & rerum venalium communio. Illud tamen præcipue indecorū visum est, Ludouicum tantum regem ad Carolum Burgundum Conflanū vsque profectum esse, diuq; cum eo in agro seorsum communicasse. Sed erat Ludouico ingeniū ad futura longe prospiciens. Et, qui præsentes iniurias vlcisci aliquando cuperet, simulabat amicitiā, nō nescius quosq; cōiuratos seorsum posse posthac castigare, si Burgundū ab illis separaret. De quo postea astu & latentibus consiliis ipse vindicatus est. Nondum erat de Britonū duce conuentio firmata. Restituitur illi Montisfortensis comitatus, cum grandi pecunia. Per eos dies fiebant à Parisiis magna sollicitudine excubię & nocturni ignes, ne aut in regem, aut in seipsos quicquam vel domesticus miles, vel peregrinus moliretur. Surrexit eadem tēpestate Leodiorū populus, & in Brabantinos, qui Burgundarū partium erant, crudeliter grassabatur. Eius rei gratia Carolus, Philippi filius, copiis receptis Picardiam repetere cōstituit. Non tamen prius digressus est, quàm venienti Vicennas regi, Carolus Ludouici fratri in regis verba iurauit, præstita ob Normanniæ ducatum fide. Hinc Carolus, Normanorum dux appellatus, Rothomagū petit. Quem Ludouicus sex milliū passuū itinere comitatus, salutatione vtrinq; data ad Villerium Bellū vna cū Carolo Burgundo perquam familiariter profectus est: vbi dies tres, cōposito ad beniuolentiā vultu, non secus atque amicitiæ glutino astricti conuixere. Hæc, quæ de coniuratorum factione scripsimus, anno gratię MCCCCLXV. gesta sunt, & III. Cal. Nouēb. terminata. Principibus quietis, quandoquidē quæ vellent à rege recepissent, reipublicæ & populi (cuius causa se ad arma venisse principio prędicabant) patrocinio destiterunt. Redeuntē Ludouicum ciues ad cœnam in ædibus ciuitatis splendidissimo apparatu accepere. Ibi decanis & centurionibus vrbis gratias egit, quòd in fide erga eum permāsissent. Eam ob rem eo animo in eos esse, vt benefacere illis cupiat, & quę ab eo priuilegia accepissent, ea perpetua fore: quę & ipse quoq; iterū approbaret firmaretq;, alia insuper adiecturus, si petant. Grata regis oratio ciuibus fuit. Dum rex Parisii agit, Robertū Destoteuillā, magni nominis equitē, Parisiensi præpositura donat, amoto Iacobo Villerio ciues hortatus, Roberto per omnia audiāt: cuius apud Montlerici pugnā egregiam virtutē compertam habuisset. Inde parlamenti primores ad se vocat, & Iohannē Nanterranum, hominem vtriq; iusticia & æquitate probatū, sed minime ad Ludouici stomachum facientē, ex primo præsidente secundū creat, & Iohānem Dauetum eius loco instituit. Moruilleriū quoq; cancellariatu priuat: suffecto illi Guillermo Iuuenello de Vrsinis: qui patre Ludouici regnante, eundem magistratū sine repręhensione gesserat. His ita pro eius arbitratu constitutis, selectisq; ex Parisiacis ciuibus, quos sibi cōsiliarios haberet, Aurelianum adiit. Quinto, post Ludouici digressum, die cometes flagrantissimus occidere in Parisiorū vrbem visus est, vt longo satis tēpore, ciuitas tota, flāma inuoluta esse putaretur. Sed iam ad res Normannorū redeamus. Carolus Normanniæ nouellus princeps, postquā ad sanctę Catharinæ montem proxime Rothomagum cum Britonū duce accessit, aliquot ibi dies sedit, dum ad eum in ciuitatē admittendum pompa à ciuibus componitur. Sed interim non satis inuicem conuenientibus principibus, Britonum princeps & Donni Martini comes (quibus dolebat tantum

Leodii bellum mouent.

Ludouici in Parisios beniuolentia.

Magistratuū mutatio.

Normanniam Ludouicus recuperat.

apud Carolum auctoritatis non habere, quantã ipsi suo iudicio meruissent) de Carolo in Britanniam reducẽdo verba fecere: quę mox ad Carolũ perlata sunt. Qua de re misso ad ciues Iohanne Lotharingo, protenus Rothomagenses duce eodem Iohanne in montem euadunt, & Carolũ in ciuitatem, nulla adhibita (prærerquam cleri) cerimonia, recipiũt. Nam ad diuæ virginis templũ perductus, à canonicis, diuina cantica personantibus, honoratus est. Ludouico apud Aurelios agẽte, aliquot præfecti militũ præfectura amoti sunt. Inter quos Põcetus Riuerius, & conuenarũ comes fuere. Et Loheacus Marescallus restitutus. Cõtemptus à duce & Rothomagẽsibus Britonũ princeps, quàm maximis itineribus potest, Argentoniũ cõtendit. Quò se Ludouicus fraternę aduersus ducẽ cõtẽtionis certior factus (præmissis magnis copiis) contulit: ratus occasionem sibi offerri, qua Normanniã à fratre eriperet. Frequenti ibi colloquio aliquot dies rex duxq; consumpsere, consulentes, quibus ducatum modis recuperarent. Duobus locis eodem tempore copias Ludouicus habebat. Borboniorum dux Ebroicas, moxq; Vernonem recipit. Carolus Meldunẽsis eques auratus Gisortium, Gorneiumque capit, & octoginta Scotos partis aduersæ apud Chaillum vicum fudit.

Cap. 8.

Dominus de Sternaio extinguitur.

PER idem tempus dominus de Sternaio Ludouicũ fugiens, Rothomago excesserat: quẽ vno ordinis Augustinensis fratre comitatũ: & cordigeri veste amictũ, quidam armati comprænenderunt. Paucis autem diebus in custodia apud Louueriũ habitus, ipse cum suo Augustinensi consorte in amne Dura extinctus est. Deinde exemptus sepulchroq; in æde virginis honoratus. Periere prætérea alii non pauci, ex Normanna gente: qui Carolo duci fauebant. Et Thomas Basinus, Lexouiorum episcopus in Brabãtiam se recipiens, cum iuris peritissimus haberetur, *iuris interpretationem* in schola Louuaniensi, quoad vixit, professus est: homo *proculdubio* magnanimus & morum Ludouici contemptor. Cognito, quòd Ludouicus vrbes oppidaq; occuparet. Carolus Rothomagi se continuit. Quem in ædes communes ciuitatis perductum, Rothomagenses, pro veteri sua erga Normannos duces consuetudine, ædes illi desponsant, dato anulo, quem ad fidem despõsationis gestaret: moxq; allatũ in populi cõspectu gestorũ Normannorũ codicẽ legunt. Fuisse olim Francorũ regi liberos duos, quorũ grandior annis regnum, iunior vero Normanniæ ducatũ ministrasset. Quẽ frater à fratre armis repetere frustra tentauit, sed irruentibus in regẽ Normannis, eum in exiliũ egisse, duce suo in regnũ summa vi inducto, & nũc quidem se more maiorum potentes esse, tutari ducem acceptum, nihil esse Carolo quod formidet, cũ apud eos tuto versari possit, qui munitam vrbẽ, gentem fide spectatam, opes ducesq; non mediocres & pręter hæc animũ habeãt virilem, se suaq; defendendi. Postquã Ludouicus inferiorẽ Normanniã ad se recepisset, inde per pontẽ Audomari & Nouiburgi Campaniã reuertens, Iohannẽ Borbonium Louuerium præmittit, cuius oppidani se illi regis nomine permiserunt. Ex Louuerio Ludouicus mouens, pontem arcis obsidet. Quo tempore regii quidam milites, dum eunt frumentatum, equites quatuor Carolinæ factionis captos ad Ludouicum ducunt. In quibus erat paruus Bailliuus, qui dedendæ Pontisarę auctor extitisset. Hos cum capite truncari Ludouicus iuberet, sic inquiunt: O rex, si salua nobis vita erit, tu nostra opera pontem arcis recipies. Fuit grata regi promissio. Liberatis itaque captiuis, pons arcis in Ludouici potestatem venit. Sed fugientibus in arcem aliquot loci incolis, tertio post die deditionem fecerunt. Vbi Iohannes Hebertus regii fisci generalis moderator captus est. Territi tam vicinæ arcis deditione Rothomagenses, ad Ludouicum oratores de componẽda inter fratres controuersia mittunt. Quibus responsum est, omnia ad Britonum & Borboniorum duces referre, qui pro eorum arbitratu contentioni finem darent. Dum hæc aguntur, Carolus Ludouici frater, Rothomago relicta, Honfleum, moxque Cadomum petit, non satis gnarus quid animi Rothomagenses in se haberent. Iohannes vero Lotharingus, dum clandestinam ad Flamingos fugam parat, captus ad Carolum deducitur. Nec mora interposita, Rothomagenses Ludouico se permittunt. Qui multos per Normanniam magistratu protenus amouit, aliis loco institutis. Rothomago ad hunc modum recepta, cum nihil belli sibi

Normannorũ in recipiendo duce ritus.

Rothomagenses ad Ludouicum nuncios mittunt.

vltra

vltra formidaret, magnam Ludouicus copiarum partem cum tormentis bellicis Parisium dimittit. Amotoq; Carolo Meldunensi, equitum, quam gerebat, præfecturam Anthonio Chabano, Dõni Martini comiti committit, & Palatii sui primarium magistratum in Craonum transfert: quamquam Meldunensis per coniurationis principum tempus, constanti fide Ludouico inseruisset. *Leui momento adducti reges, nunc hunc, nunc illum tollunt deiiciuntque. Scitum propterea Gallicum prouerbium est, principibus obsequi, hæreditarium non esse.* Et, cùm Anthonio Chabano Blanchę fortis arx in Vasconia pertineret, cõmutatione facta, Ludouicus Gonnessam & Gorneium in amne Materna simulq; Creceiũ in Bria Chabano donat. Sed diuersa longe sors Petro de Ambasia accidit. Nam, cum in suspitionem regi venisset, quod Galabrum ducem, itemque eiusdem factionis cõscios coluisset, Caluummontem, in iugo mõticuli ad Ligerim, extructum Petro pertinentem, solo æquari, Ludouicus iubet. Et Gawinus Manniel, Rothomagensis propræctor, nescio quamobrẽ repente delatus, capitur, ductusq; ad pontem arcis, in medio ponte tabulato extructo, capite damnatur: cadauere in profluentum deiecto, capite autem truncato lanceæ affixo, & ad populi spectaculũ exposito. Fuitq; Rothomagẽsi clero fortuna nocens. Nam ecclesiæ decanus, aliquotq; eius collegæ canonici proscripti sunt. His expletis sæuissime iudiciis, Ludouicus Aurelianum contendit: ibiq; legationem ad Anglum regem, iam diu à se destinatã, expedit. Cuius hi primi fuere, Rossilionus comes, Lingonũ episcopus, Borbonius nothus, Francię Admiraldus, Iohannes Pompamcurtus, & Oliuerius regis. Eodem prope tempore Anthonius de Castronouo, Ludouico antea familiarissimus, tunc autem suspectus, & ideo à curia maxime alienus factus, per Clariaci planiciem mutato consueto amictu incedens, à Chabano capitur, & ad Ludouicũ cum suis consortibus deducitur: quem non procul à Magduno in vinculis rex asseruari iubet. De Anglis vero relatum est, eos expeditionẽ in Francos parare, propterea misso Parisium Conestabili, edictum profert Ludouicus, quosq; nobiles Frãcosq; sagittarios XVIII. Cal. Iunii ad bellum paratos esse. Sed induciæ legatorum opera ad duos & viginti menses cõstitutæ sunt. Quo tempore comes Cœnomannorũ linguæ Occitanæ administratione priuatus est, & in eius locum dux Borboniorum Iohannes institutus. Atque vt de recte curanda republica Ludouicus spem aliquam de se daret, sacerdotum procerumq; magnum numerum Parisium vocat, quorũ illud præcipuum fuit, conuenisse. Nam conuentionis nullum commodum ad rempublicam accessit.

Cap. 9. *Bellum Leodiense.*

Leodiis per id tẽpus Philippus Burgundionũ dux bellũ intulit, atq; obsessam Dinannũ (eius gentis munitissimum oppidũ) expugnat, diruitq; actis in exiliũ incolis. Vidi ipse ex spoliis infortunati oppidi grãdia volumina sex in Leuiticũ Moisi ab Origene edita, nitidisq; characteribus sincere scripta: quæ Parisii venierunt. Grauis per eos dies anni salutis M. CCCCLXVI. pestilentia Parisios vexauit. In ciuitate enim & vicino territorio quadraginta millia assumpta fuisse, referuntur: Quo morbo Arnoldus, Ludouici Astronomus & Medicinæ artis complures professores interiere. Per eam tempestatem venere à Philippo Burgũdo, ad Ludouicum, oratores. Quibuscum de re, propter quam venerant, cum non satis cõuenisset, rex bellum illis indixit. Moxq; Loheacum Parisiis præfectũ creat. Campaniã vero Castilliono Loheaci fratri regendam committit. Sancti Pauli comes factus (vt prædiximus) ex hoste Conestabilis, Normãniæ pręficitur. His itaque viris rem bene geri, dum bello impediretur, sperabat. Prius tamẽ, quàm ad destinatum à se aduersus Burgundos bellum proficisceretur, Rothomagum petit. Quò Varuicum comitẽ ex Anglia ad se accersitum, postquam adnauigare cognouit, Boillam (quindecim millibus passuum Rothomago distantem) contendit. Vbi Varuicũ à se præcipuo honore exceptũ iubet Rothomagum nauigio concedat. Ipse terrestri itinere profectus est. Dũ ciuitatẽ Varuicus ingreditur, miro cleri ciuiumq; apparatu & pompa (quam ita Ludouicus imperauerat) ad diuæ virginis ædem deducitur. Fuit Ludouici cum Varuico XII. dierum familiaris & arcanus congressus. Inde salute inuicẽ impartita, Varuicus in Angliam reuertitur, à Ludouico atque Iohanne Borboniorum duce preciosis donis honestatus. Quem Ludouici oratores Admiraldus, Lau *Legati in Angliam.*

dunensis antistes, Iohannes Pompamcurtus & Oliuerius Ruffus sunt comitati. Hi postquã in Anglia mẽses fere quatuor frustra exegissent: ad Ludouicũ tubis venatoriis corneis & lagenis tantũ coriaceis (quarũ studiosi maxime Angli sunt) à Henrico rege donati, remearũt. Per eos dies Philippus Burgundorũ dux, Brugis moritur. Quẽ sui Diuionẽ perductũ, apud Cartusienses digno se Mausoleo condiderũt, mense Iunio, anno Christianæ salutis M.CCCCLXVII. At Ludouicus (cuius præcipua cura erat, magnis armatorũ viribus se regnumq; protegere) Parisios armari iubet: siue, quia nosse volebat, quid viriũ ciuitas haberet: siue quod eius rei fama terreri hostẽ speraret: dum audisset ex vrbe regia tot hominũ millia educi posse. Itaq; cũ ad idus Septẽbres (vt imperatũ erat) sub singulis magistratuũ atq; ministeriorũ signis, per diui Anthonii portam ciuitatẽ, spectante Ludouico, egressi essent: septuaginta millia fuisse relatũ est. Leodii per id tempus aduersus Ludouicũ Borbonium pontificẽ suum bello decertant: quem apud Huium obsident. Quod oppidũ, cùm ferocissime oppugnant, pontifex clam dilapsus est. Cuius neptẽ, quia Carolus Burgundus vxorẽ habebat, miro in Leodios cõcepto odio, copias contraxit: mittitq; per insigniora suæ ditionis loca bellũ Leodiis indicere. Qui autẽ id negocii exequebãtur: vna manu exertum gladiũ: altera facem ardentẽ gerebant. Hac re significantes, Leodiorum gentem igne ferroq; perdendam à Carolo fore. Fuisse autem constat Leodios Francis iam diu coniunctissimos: eorumq; amicitiam semper secutos. Quamobrẽ Ludouicus suppetias illis ferre constituit, simul ne ex eorũ ruina, gloria Burgundo & vires accederẽt. Mittuntur eius rei gratia quadringenti equites, cum sex sagittariorũ Francorũ millibus: quorum ductores creantur Chabanus Donni Martini comes: Salazardus: Robertus Conybanus, Scotus, & Stephanus Vignolus. Fama ante hos dies ferebatur: Ludouicũ Pio pontifici Romano promisisse, se pragmaticã sanctionem (de qua in Caroli VII. gestis diximus) deiecturũ, si aliquãdo ad regnũ sine cõtrouersia peruenisset. Eius promissi Pius pontifex non oblitus, cum eãdem pragmaticã maxime execraretur, eamq; hæresim appellaret: legatum Iohannẽ, diui Benedicti monachũ, Attrebatensium cardinalem ad Ludouicum mittit, qui regẽ se promisso soluere hortaretur. Cui audiens Ludouicus, legato litteras ad parlamenteũ senatũ dat, de ipsa pragmatica abroganda. Erat in ipso senatu Iohannes Romanus, regius procurator. Hic (Iohanne Balua ad curiã Ludouici atq; legati nomine cum litteris veniente, petenteq; senatum, vt eas suo decreto roboraret) ego, inquit, iudices hãc commodissimæ legis abolitionem non approbo: & quatenus ad meum officium attinet, Iohãnis Baluæ petitionem impedio. Ea re incandescens Balua (erat enim ingenio versipelli & doloso nimis) Iohanni Romano multa est cõminatus: cui repugnare etiam schola Parisiensis nõ formidauit, ecclesiæ consilium appellans. Igitur Balua ad Ludouicum re infecta reuersus, legationem cum altero, qui à Pio legatus venerat, ad Carolum Burgundum (rege imperante) suscepit: adiunctis sibi Iohanne Driesco & aliquot viris iure consultis. His mandatum est, res inter Leodios atque Carolum componere. Eodem tempore in amne Sequana extinctus est Siluester, cognomento monachus, patria Antissiodorensis, ad Ludouicum delatus, quòd aduersus eum conspirasset. Sub his quoq; diebus agente apud Iohannẽ Dauuetum Ludouico, dum multa iam nocte domo prodiret, ignita stella in æthere supra ædes emicuit, quæ ad regem Tornellas vsque (vbi Parisii diuersabatur) secuta est: nec vltra comparuit. Inter hæc nunciatur Ludouico, magnam Britonum turbam Cadomum erupisse: arcemque cepisse: atque inde mouentes Baiocas occupasse, Adeo namque erat illis diebus inconstans Francorum principum in regem fides: vt nunc pax, mox bellum esset: cogitante semper Ludouico principum factiones dissipare, atque vlcisci. Cuius inceptationibus & motantibus se in dies studiis, principes noua remedia suscitabant. Ob eam rem Loheacũ Ludouicus cum equitibus centum: & ad numerũ pertinentibus sagittariis mittit, qui Britonũ cœptis obsisteret. Iohannes autem Alenconius (quẽ ob cõiurationem à se cum Anglis factã, à Carolo VII. in Vindócinensi cõuentu condemnatũ memorauimus) à Ludouico postea custodia exemptus cum Britonibus sentiebat: eratque partium Caroli, Biturigum ducis: cui arces atque

Parisiorum armatorum numerus.

Ludouicus copias ad Leodienses mittit.

De pragmatica sanctione tollenda.

suæ

suæ ditionis oppida tradere promiserat. Deprehensus præterea est Anthonius de Nouocastro, Ludouico quammaxime familiaris, quem proditionis accusatum, in arce Hussonis apud Aruernos distineri arctissime iubet. Conuersus inde ad rempublicam Ludouicus, conscius sibi, quantum odii atque inimicitiarum, ob plurimos à se (vt voluerat) magistratu officioque destitutos, contraxisset: legem tulit, magistratus perpetuos fore, neque amoueri inde eos posse, qui eos gererent: nisi morte interueniente: vel commutatione aut dimissione facta: aut culpa forte gestoris, aliis officia mandarentur. Si aduersus legem precum importunitate fecisset, donationem inanem fore. Lege lata Normanniam petit: iussis militum præfectis copias omnes cogere, & se protenus sequi. Dum Vernone agit Ludouicus, Conestabilis sancti Pauli comes, à Carolo Burgundo ad eum venit. Qui multa de Burgundo atque Leodiorum gente memorans: sex tandem mēsium inducias Burgundo impetrat, Leodiis posthabitis: tametsi copias & exercitum contra Carolum stitissent, Ludouici auxilium præstolantes. Induciis imperatis, Conestabilis ad Burgundum regressus est. Rediere item per id tempus ad regem Iohannes Balua, & reliqui cum eo, qui in legatione erant. Iam enim paulo supra fuerat Balua ad cardinalatum Romanæ sedis Ludouici sedulo interuentu, non sine multorum admiratione, euectus. De legatione, & quid in ea factum sit, ex ipsis induciis intelligi potest: Leodios videlicet falsis suggestionibus à Ludouico esse desertos, & Burgūdo permissum, miseram gentem bello persequi. Quæ cum auxilio se destitutam intelligit, non aliter cum Burgundo paciscitur: quàm ingentem illi pecuniam persoluisset, murosque & turres suæ ciuitatis parte aliqua diruisset.

CAP. 10.

EADEM tempestate Balua cardinalis à Ludouico missus, Parisios in agrum (qui clericorum iuxta sancti Germani monasterium appellatur) progredi armatos iubet, quorum numerum & armorum modum recenseret, Ludouicoque referret. Recensuit ipse, veste linea ornatus, & mula vectus, indignum sane sacerdoti atque pontifici munus. Quamobrem Chabanus Donni Martini comes, in cardinalem cauillatus est. Cum enim apud Ludouicum Chabanus per id tempus ageret, indignatus, sacerdotem ad militare negocium deputari. *Tu*, inquit, *prouidentissime rex, Baluam cardinalem eundemque Ebroicensem episcopum, Parisium milites vrbanos recensere mittis, te oro mihi indulge Ebroicas proficisci: vbi de sacerdotibus sacrādis scrutinium faciam. Tam enim hæc mihi cura: quàm episcopo militum recognitio conuenit.* Chabani verba cum risu excepta sunt. Dum hæc geruntur, Britones ingentibus copiis Normāniam ingressi Constātiam vsque peruadunt. Quæ causa Ludouico fuit, eos milites reuocandi, quos ab exercitu & militari sacramento demiserat. Itaque adeo numerosum exercitum contraxit: vt ad Cœnomannos aduersus Britones profectus, centum armatorum millia habere diceretur: præter eos, qui impedimentis machinisque præfecti erant.

Ingens exercitus.

Id ita esse cum Britones accepissent: Ludouicum à congressu & prælio remorari instituunt. Itaque de induciis regem per nuncios conueniunt. De quibus cum diu prolixeq; tractatur: dies plurimi præteriere: per quos & Francus hostisque Cœnomannorum atque Alenconiorum agros vexabant: illi quasi hospites familiarius, hi tanquam prędones hostiliter rapiebant. Carolus autē Burgundus, dum hæc à Ludouico, in fratrem Britonesque geruntur, Leodiensi bello expeditus, omnes suas copias ad sanctum Quintinum cogit: eo consilio (vt dicebat) vt Carolo Bituricensi Britonibusque suppetiaretur: præsertim aduersus eorum inimicos, Ludouici nomen callide non exprimens: ne in dominum suum regem arma sumere videretur.

Ludouici metus.

At Ludouicus, quamquam multis copiis potens Britones adoriri potuisset, timide tamē agens, ne vel miles parum fideliter pugnaret, vel fortunæ iniquitate, aliqua portione militum ipse minueretur, militem (quatenus potuit) à congressu prohibebat: studebatque maxime aliquam sibi occasionem vel conuentionis vel pacis non indecoram offerri: atque hoc pacto sperabat aliquando tempus fore, cùm dissociatos hostes vlcisceretur: quibus cum vna pugnantibus non temere audebat pugnam committere. Igitur ad Carolum fratrem mittit apostolicum legatum (cuius supra fecimus mentionem) qui per hos dies Cœnomanniæ agebat. Chabanumque atque Driescum illi adiungit, qui concordiæ viam in-

ueniant. Audiuit Carolus legatos, verum ad pacem nihil cōmodius esse respondit, quàm publicum regni conuentum, vbi tanta animorum & belli dissidia componi oporteret. Quod postquā per nuncios legati Ludouico retulerūt: ipse in dilatione spem reponens, consilium apud Turonos ad Cal. Apriles anni Christianæ gratię M. CCCCLXVII. indixit. Cōuentionis definito tēpore affuere ex toto regno principes: rex imprimis Siciliæ Renatus, Iohānes Borbonius, Persicus comes, Alēconii ducis filius: multa quoq; procerum pontificumq; atque abbatū frequentia. Misere præterea insigniores populi suos oratores. Qui præside Ludouico considentes, tandē rogatis sententiis, dixerunt Normanniæ ducatum ea lege Francorum regno pertinere, vt illum in alterum trāsferre rex ipse non posset. Verum, quoad Carolum pro paternæ hæreditatis portione attinebat, Ludouicus duodecim librarū Turonensium millia fratri designaret: decreta illi aliqua terræ regione, cū comitatus vel ducatus appellatione insigni. Adderet præterea annuā viuenti Carolo sexaginta millium librarū, ex regio censu, pensionē. Britonum vero dux, qui Carolū ad se deduxerat, & complura in Normānis loca occupabat, ea libera dimitteret. Id si recuset, & cum Anglis societatem habeat, Ludouicum compellere armis ducem ad satisfactionē debere: eique ablata repetenti, opem à proceribus cōferendam esse. Quod autem de male administrata republica, & iustitiæ erratis pleriq; omnes quęrebantur, deligerentur aliquot clariores homines, qui male habentibus se rebus cōsulerent: inter quos adesse deceret Carolum Burgūdum, tum propter regię cognationis attinentiā: tum, quòd Francorū primas pariū haberetur. His hoc pacto per consilium definitis, contio dimissa est. Factus est, paucis post diebus, Christi ascēsionis die, per Turoniā terræmotus. Cumq; inde Ludouicus Parisios reuisisset: publico edicto iubet, omnes qui armis assueuissent, ad se IIII. nonas Iulias conueniant. Interim Ludouicū Borboniensem cardinalem Romanū, & sancti Pauli comitem, ad Carolum Burgundū oratores legat, qui pacis conuentiones bonis conditionibus, quoad per eos fieri posset, tractarent. Copias nihilominus in Normanniā, aduersus Britones, duce Admiraldo mittit: qui prospera fortuna vsus, Baiocenses, fugatis Britonibus, recepit. Eadem tempestate, cum multi delati maiestatis, capitis supplicium luissent, Anthonius Meldunensis qui arctissima familiaritate Ludouico inseruiens, plurimū de eo, per varios à se diuerso tēpore gestos magistratus, officiose meritus esse putabatur, post diuturnum carcerem Andelium perductus, in medio rerū venaliū foro capite punitus est. Inter has tot intestini belli tēpestates, principumq; simultates, quibus alter alterum fallere astu & dolis studebat, multas vltro citroque conuentiones legationesq; gestas fuisse scio: quæ cū inanes exitus habuerint, à me scriptæ nō sunt. Quid enim ad rē attinet, quòd Carolus Ludouici frater, & Franciscus Britonū dux, conuenta, quę Turoni edicta fuissent, grata illis esse significauerunt, & ciuitates, quas apud Normānos occupabāt se restituturos, si, quas Ludouicus in Britannia ceperat, dimitteret: quæ omnia irrita ceciderunt? Nam etsi magnis stipati copiis in mutuo cōspectu frequēter principes cōstitissent: motus tamen omnis, & armorū ostentatio, vel induciis, vel vanis colloquiis, ad tēpus quiescebat. Itaq; astu & fallaciis non virtute, aut gloria militari, res gerebantur: Id ante omnia curātibus principibus, ne à Ludouico circūuenirētur, ingeniū scilicet eius potentiāq; metuentes. Quamobrē vix relinquebatur per Franciā locus, qui grassatoribus non labefactaretur. Fugiens enim ex Hussoni (quæ arx in Aruernis munitissima est) custodia, Anthonius de Nouocastro, cū Philippo Sabaudo & Pouceto Ripario aliisq; Ludouico infensis cōiūctus, nouas turbationes excitauit. Qua re cognita, Parisiensis agri nobilitatē omnē ad Gonnessam armis instructā repente Ludouicus vocat: quasi parū illi esset, tot millia armatorū iā diu contracta habere: quibus etiā maxime cupiētibus nō faciebat cū hoste cōgrediendi potestatē. Inter hęc cū Pontisarā proficisci rex cōstituisset, audito, ꝙ Burgūdus Peronæ castra metaretur: ex Nouiomo Peronā, paucis comitatꝰ, se cōtulit. Cardinalis enim Balua & Borbonius tantū (præter aulicos aliquos) sequebātur. Ausus tñ est Ludouicus ad hostē ire: seq; illi familiarius (præter omniū opinionē) credere. Ibi inter eos modici momenti pax cōuenit: iurāte Burgūdo, Ludouici partes se nō secus, ac subditū decet, tutaturum

Conuentus Turonis.

Anthonius Meldunensis capite punitur.

Fallax Burgundus.

tutaturũ. Proinde Burgundo rex cõfirmat, quæcunq; in conuentione Attrebatensi patris sui tẽpore definita extiterãt: de quibus in Caroli VII. vita scriptũ à nobis est. Eius recõciliationis gratia supplicationes Parisii decretæ, & ignes per ciuitatis cõpita, velut in cõi gaudio, facti. Vulgatũ est, Burgũdũ diu cogitasse de rege capiẽdo, & inde in Brabãtiã abducẽdo. Sed ab Anthonio fratre ei⁹ notho dissuasũ, abstinuisse.

PER eos dies, quia Leodiẽsium antistes nullũ adhuc diuinæ eucharistiæ sacramentũ sacris altaribus immolasset: Leodiensis populus in eũ insurgens, sacrũ ministeriũ pontificẽ facere cõpulit. Cuius seditionis motus (episcopo recõciliato) cũ sedatus esse putaretur. Carolus Burgundorũ dux, Namurcũ cum iusto exercitu mouẽs, de Leodiis vltionẽ sumere vehem ẽter optabat. Ad quem Ludouicus, tanquã eiusdem expeditionis socius, vltro venit. Eò quoque Leodius præsul, placandi Burgundi causa accessit: nec profecit, iurante Burgũdo nõ prius ciuitati parcere quàm ciues & vrbem subegisset. Enimuero pontificem apud se, ne ad suos rediret, continuit. Re cognita, Leodii de rebus suis desperãtes, egressi ciuitate hostẽ adoriuntur, captos sine miseratione mactantes. Vbi tamen obsidionẽ se angustari considerãt, ad primam oppugnationem, primores ciuitatis (vtcunq; potuerunt) elapsi aufugerunt, relictis in ciuitate mulieribus & incõposita plebe, religiosis quoq; atque infantibus. Ergo irrumpentibus ferociter Burgundis, Ludouicus primũ, deinde Burgundus ciuitatem intrat. Fitq; mox passim occisio & strages, virginibus vis & religiosis mors infertur, neque indulgẽtia vlla militum in pueros fuit. Quin stupratas à se virgines crudelis satelles iugulauit. Sacerdotes eadem hora rem diuinã in templis facientes, gladiis petiere. Nec saciatus est inhumanus hostis tam multa cæde: prędas ex omni ciuitate & ex templis sacrilegia fecit, incensa postea vrbe & muris dirutis quorum ruinis fossas æquauit, anno salutis M. CCCCLXVIII. III. Calendas Nouembres. Veteribus Francorum amicis ad hunc modum pessundatis, Ludouicus Siluanectum reuersus est. Quò vocatis ad se parlamenti iudicibus & qui fisci atque ærarii rationibus præerant, per Beluam cardinalem ea patefacit, quę inter illum & Carolum Burgundum de concordia & pace conuenerant: iubetque grauibus pœnis adiectis, ea omnia communi decreto rata atque comprobata haberi. Nec iussioni defuit auctoritas. Per compita siquidem regiæ vrbis cuncta hæc publicus præco nunciauit, & venientibus paulo post ad senatum parlamenteum, Burgũdi ducis, oratoribus, diplomata & syngraphi de huiusmodi pactis dati sunt. Quod vero sequitur, an scriberem, aliquando dubitaui: facinus profecto sua nouitate indignum rege. Picas & graculos qui in caueis humanas voces vel sibilare vel imitari edocti, apud Parisios ad voluptatem domestice alebantur, moxque ceruos & grues capi omnes, & Ambasiam duci Ludouicus imperat. Reuerso Turonũ Ludouico, Balua cardinalis (qui plus cæteris aulicis apud regem astu atq; auctoritate valebat) diffidentem à Ludouico fratrem ad beniuolẽtiam reuocat, atque ita agit, vt posthabitis, quæ consilium Turonense, de capienda paterna hæreditate definiuerat, Ludouicus Aquitaniam Carolo fratri relinqueret. Qua recepta contentus Carolus, bello abstinuit. Sed Balua, qui apud Pictauos humili loco natus, paruo incremento, sed ingenio versuto in Ludouici familiam venerat: magnisque & excellentibus beneficiis primum, deinde episcopatu, mox cardinea dignitate, autore Ludouico, fuerat honoratus, quo ipse animo esset, tandem apparuit. Autor enim fuit, vt Peronam ad Burgundum & postea Namurcum aduersus Leodios Ludouicus accederet. At vbi fratrum mutuam charitatem (supra quàm senserat) firmam esse intellexit, paci inuidens, litteras familiari cuidam suo ad Burgundionum ducem dat: quæ interceptę, ad regem delatæ sunt. His litteris Balua ducem admonebat, sibi maxime caueret. Cõcordiam, quæ inter fratres intercessisset, ad eius perniciem factam esse, eos expeditionẽ in eum tantisper differre, donec Aquitanię datam sibi prouinciã Carolus perlustrasset, remq; omnẽ domesticam & exercitũ ordinasset: Opus propterea illi esse maioribus, quã vllo tẽpore, copiis & regẽ acerrime bello infestare. Baluæ cognita perfidia, rex proditorẽ cõpręhendi & ad Monbasonẽ custodiendũ duci mãdat, sub tutela Iohãnis Torcei Normanni fidissimi imprimis aurati equitis, à quo ædificatum est Ambleuillę castellum, in agro Rothomagẽsi, cum

Marginalia: CAP. II. — Regia leuitas. — Leodiensium calamitas. — Balua cardinalis iniquitas.

canonicorum collegio, opus memoria dignum. Interim rex Niortum atque Rupellam petit: vbi dum regionem lustrat, fratrem offendit. Qui paulò post Turonū profectus, in regis verba, more Aquitanorum ducum, iurat. Et, quia Armigniaci regiis iussis repugnarent, præfectos militum Admiraldum & Chabanum cum copiis mittit, qui illos parere compellant. Qui, nulla cæde facta, regionem omnem receperunt. Dum hęc geruntur, Ludouicus beniuolentiam, in Britonū ducem conceptam, patefacere meditatus, diui Michaelis regium insigne aureum, & torquem per illustres nuncios duci legat. Quod oblatum dux recusauit, quòd per superiores dies (vt fama erat) vellus aureum Burgundi ordinis susceperat, amicus videlicet Burgundionis & ei arctissime confœderatus. Ea re maxime indignatus rex Britonibus bellum indicit, simulque exercitum in Britones ire iubet, dato Britoni decem dierum spacio, intra quod suum in regem animum, siue ad pacem, siue ad bellum, reuelaret. Per id tempus Edouardus, subacto Henrico rege, cum regnum Angliæ vendicasset, compositis inter principes discordiis, omnium sententia bellum in Francos suscipitur. Quod postquam Ludouico innotuit, nouas copias ad priores adiunxit: compulsis arma capere, quibusque, sine discrimine, qui feudo aliquo potirentur. Quæ iussio neque clerum, neque quosuis priuilegiatos habuit exemptos. Et quod metu maxime perculit regem, nunciatum quoque est, Burgundum ducem Gandaui visum esse, regis Angli iarteriam (id enim est, aureum cingulum, principis peculiare insigne) cruci suo alligatam, & in pectore crucem rubram, Anglorum instar, gestare: quo vno firmatam, inter Edouardum Burgundumque, amicitiam significabatur. Et, vt inter tot curas fortuna Ludouico paululum blandiretur, Ludouicus Villarus moriens, Ludouicum vniuersalem sibi hæredem instituit. Cuius hæreditatem per se rex adiit, posseditque opulentam & locupletem. Interim Varuicus comes, & Clarentiæ dux, vna cum eorum vxoribus Edouardum fugientes, octoginta nauibus vecti, Honfleum adnauigarunt: quos in continentem expositos, Admiraldus liberalissime excepit. Cuius rei certior factus Burgūdus, ad senatum parlamēteum litteras dat, Varuicum, hostem eius à Ludouico acceptum esse, præter pacis leges, de quibus inter regem & se conuenerat: patres idcirco eosdemque iudices hortari, Ludouico suasum faciant, opem nullam Varuico suggerat. Si secus acciderit, persecuturum se hostem, eumque vel è medio Francorum regno abducturum. Hanc verborum ducis arrogantiam senatus non multi pendit. Et ipse Varuicus nihil inde territus, multis apud Normānos diebus mansit. Atque ad Ludouicum Ambasiam se conferens, familiari confabulatione, de suo aduentu cum eo tractauit. Affuit quoque Anglorum regina Renati Siciliensis filia, cum eius filio Edouardo, Galliarum principe: quem postea Edouardus (qui regnum Angliæ Henrico VI. pulso vendicauit) occidit. Instruit igitur aduersus illos non modicam Burgundus classem, quam ad littus Normāni oceani Varuico insidiari iubet. Simulque mercatores Francos, qui negociandi causa in nundinis erant, compræhendit: causam hinc sumens, quòd Varuicus, dum ab Anglia perfugit, Burgundæ ditionis negociatores captos abduxisset.

Dux Britonū regis ordinē recusat.

Classis Burgundorum.

CAP. 12.

ILLIS diebus fere pridie Calendas Augusti Carlota, Ludouici regis vxor, Carolum filium Ambasiæ enixa est, patri successorem. Cui cōmuni gaudio aliud mox accessit. Britonum princeps Franciscus, Ludouico reconciliatus est. Interuenientibus maxime Renato Siciliensi, Carolo Ludouici fratre, & Iohanne Borbonio. Nec cunctatus est Franciscus ad Carolum Burgundum nuncios mittere, qui coniuratæ aduersus regem societatis syngrapha illi referrent. Fuit Burgundo ingratissima res. Eam ob rem magno nixu studet Varuico viam ad Anglos intercludere. At rex, tanquam voto sanctum Michaelem visere teneretur, Normanniam petit. Absolutusque voto, per Abrincas Honfleum veniens, ingentis magnitudinis naues instruit. In quas conscendentes Angli principes, ad suos se retulerūt, nec à Burgunda classe (quæ per longam moram commeatu deficiebatur) vllo sunt damno affecti. Igitur Angliam ingressus Varuicus, postquam paruo tempore, quę sua erāt, recepit, venere magno fauore ad eum supra quinquaginta millia armatorum. Quibus auxiliaribus per Angliam agens, Edouardum hostem imprimis quæritabat.

Britonū dux Ludouico reconciliatur.

Sed

Sed ille omnium fere auxilio destitutus, ad Burgundum (qui eius sororem in vxorem habebat) profugit. Varuicus autem cōciliatis regni proceribus, Henricū, quē Edouardus captū tenuerat, in regnum restituit. Ipse vero regni atque Henrici moderator fuit institutus. Hęc à Varuico prospere gesta esse, cum Angliæ regina accepit, Parisium ex Ludouici sententia proficiscitur, traiectura inde in Angliam ad virum suum Henricum regem. Quò cum appulisset, magni animi mulier cupiens viri regis administrationem gerere, discordes inter se proceres Anglos fecit. Per id tempus sancti Quintini Viromādorum oppidū Arturus de longa valle, oppidanis assentiētibus, cæpit. Quò paucis post diebus Conestabilis, Ludouici nomine, cum equitibus ducentis se recepit. *Oppidum sancti Quintini recipitur.* Rex vero præmissis Siluanectum copiis, Parisium veniens, expeditionem in Burgundum duxit: bonam spem capiens, eas vrbes recuperandi, quæ ad Sommā amnem Carolus occupabat. Nec sua expectatione frustratus est. Ambiani siquidem, Roia quoque & Mondiderium in Ludouici potestatē venerunt: quæ omnia firmissimis munitionibus protenus circumambire, vbi opus erat, mandat. Ministrarunt ad id opus Parisii magnum fossorum & ligneorum fabrorum numerum. Sed tam ingentis impensæ rationem minime principes habēt. Pœnitet enim eos confestim longæ militiæ, ita, vt proposita parum melioris fortunę conditione, rem à se bene gestam putent, si inducias hosti dent. Enimuero, Burgundus castra in Arthesio, inter Ambianos Bapammasq; fecerat, vbi fere obsessus, & rebus ad bellum longe necessariis inops, vinci paruo negocio posse videbatur. Multis enim quotidianis leuibus præliis Burgundi à cohortibus Frācis tentati, frequenti damno afficiebantur. Superuenere nihilominus insperatæ multorum dierum induciæ: quamquā in Burgundia Dalphinus comes egregie aduersus hostem pugnasset, interemptis captisq; plurimis. *Induciæ damnosæ.* In auctores induciarum, dicta scriptaq; sunt dicteria, & libelli famosi, eaq; publicis templorū foribus crebro apposita, ægre ferentibus quibusque optimis, nihil recte agi, dum occasio se sponte Ludouico prę sentaret. His (vt diximus) apud Francos se habentibus, magnis apud Anglos turbationibus Henricus vexabatur. Inter quas Edouardus Burgundi ducis auxiliis irrūpens, post multas vario euentu conflictationes, Edouardo tandem victoria cessit, Henrico capto, eiusq; filio Waliæ principe cum comite Waruico interempto. Ea re cognita, Ludouicus Picardia relicta Turonos repetit. Interim Pedemontanus princeps, qui Ludouicum comitabatur, & comes Deu vita defuncti sunt. Nam, cū multi profluuio alui per Galliam laborarent, eodem morbo non pauci periere. Cœpit per id tempus indignatio Carolum Aquitaniæ ducem, deque rege fratre malesuspicatus est, cuius indignationis causas, ipse non noui. *Belli suspicio in Aquitania.* Arminiacum tamen comitem (cuius terras Ludouicus vendicauerat) patria extorrem reuocat, eique inuito Ludouico partem restituit rerum ablatarum, atque ita conueniente ad Carolum cum Armigniaco Fuxensi comite, copiæ contrahuntur, non aliter quàm si bellum aduersus regem pararent. Mittuntur eam obrem à Ludouico in Aquitanos copiæ cum machinis & Francis aliquot sagittariis, qui cœptis aduersariorum obsistant. Fama per hos dies falso vulgata est, Carolum Aquitanum Burdegalæ mortē obiisse. Introducta quoque est (autore Ludouico) cōsuetudo, campanā hora meridiana (vt in noctis crepusculo solet) pulsandi: quo tēpore populus, vno poplite humi deflexo, angelicam diuæ Mariæ salutationem, obtinendę publicæ pacis gratia, religiose exhiberet. Qui mos hactenus diligenter à plerisque seruatur. *Aue Maria.* Erat siquidem Ludouicus à pietate non alienus, quantū ex rebus à se gestis liquet. Fuit Agnes (quę bella nuncupata est) Ludouici patri pellex. Ea in diuæ Mariæ templo (quod in castello Lociarum est) sepeliri voluit. *Ludouici in Agnetem pietas.* Datoq; sacerdotibus annuo prouentu, in medio templi choro, sepulchrū sibi extrui impetrauit. Ad eum locū aliquando diuertens Ludouicus, sciscitatus cuius hoc esset monumentum. Est, inquit, vnus ex clero Agnetis illius, quam propter formæ decorem bellam vulgus appellabat. Sed quia nobis impedimento est sepulchrum, vellemus cum tua venia alio aliquo sacello reponere. Non æquum, inquit, rex, postulatis: quamquam enim illa dum vixit mihi sit multum aduersata, mulieris tamen bustum contra leges non violabo. Sed nec vos arbitror illius cadauer sine largo eius munere hic collocasse.

Seruate

Seruate benefactrici, quod viuenti promisistis. Nec vobis fas esto hinc mouere sepultam. Vt autem illius causa obnoxiores deum orare sitis, accipite dono sex millia librarum. Et hæc dicens, nummos iussit sacerdotibus tradi, quos in perpetuos templi redditus impenderent. Porro induciæ, quæ cum Burgũdo positæ erant, ad paucos dies productæ sunt.

Nicolaus dux Calabriæ ad Burgundum perfugit.

Interim Nicolaus Calabriæ dux, Renati Siciliensis nepos, cui Ludouici filia desponsata erat, deserto socero ad Burgũdum declinauit, spe ductus, sibi in matrimonio assumendi filiam, quam Burgundus vnicam habebat. Sed à patre (sicuti alii quidam principes) illusus est. Nam harum nuptiarum expectatione cum plærosque in amicitia pater contineret, omnes tandem fefellit. Inter quos Federicus imperator fuit. Nam, cum post subiugatum Geldrensem ducatum, Burgundus Treuerim (quò eum imperator vocabat) accessisset: post multa secretiora consilia, Burgundus vicarium se imperatoris institui postulauit, pollicitus reducere, quantis viribus posset, ad imperatoris manus, quæ ab illis ablata tenebantur. His quoque plerique addebãt, Burgundum affectasse, vt à Federico coronaretur in regem, quò dignitate esset Ludouico æqualis, qui (vt iactabat) non erat opibus & potestate inferior. Id cum imperator concessurus esse videretur, Burgundi filiam filio suo Maximiliano vxorem dari petit, & mox nuptias celebrari. Id se facturũ Burgũdus, nisi impetrato vicariatu, negat. Igitur cũ imperator diu petita differt, clam vrbe digressus, se in Germaniam, relicto Burgundo contulit. Nam, illud cõstat, vtrunque principem de gloria certasse, ita, vt Burgundo Federicus inuideret: Carolus vero imperatorem contemneret. Illud propterea verum est, quòd vulgo à Francis dici solet: *Duos crassitudine æquales vno vase compræhendi non posse.*

Cap. 13.

Eisdem diebus diuę Mariæ templum (quod apud Clerium in Aurelianensi agro magnis impensis Ludouicus extruxerat) conflagrauit, igne negligenter asseruato, quem ad liquandum plumbum tecti artifex in quotidiano vsu habebat. Quo die rex de Caroli fratris morte nuncium accepit. Obierat enim apud Burdegalam veneno, à (nescio quo) abbate, non inscio, vt creditum est, rege appetitus. Quam ob rem accepta Aquitania, Ludouicus Petrum de belloioco dominũ regioni præfecit. Per induciarum tempus, Burgundionum dux collecto, in agro Attrebatensi, grandi exercitu, Anthonium fratrem suum nothum, cum parte copiarum Neellam mittit.

Neella capitur.

Quam à loci præfecto & sagittariis Francis quingentis acerrime defensam, frustra iterum atque iterum Anthonius oppugnauit. At Petitus Picardus (id enim præfecto nomen erat) consilio cum loci domina capto, ad Anthonium cum ipsa domina, componẽdæ rei desiderio profectus est. Pactum extitit, relictis equis atque armis exituros oppido milites, vitæ incolumitate concessa. Hoc accepto responso, sagittariisque relato, dum miles armis se nudat, ecce ab oppidanis clam in oppidum admissus hostis, exarmatos sagittarios trucidat: eos vero, qui in templum salutis causa confugerant, qui plurimi erant, omnes ad vnum Burgundus satelles mactauit.

Burgũdi crudelitas.

Eò cum dux equo insidens aduenisset, templũ ingressus, vt cędem cruoremque humanum cõspexit. Iam, inquit, noui quàm cruentos habeam carnifices. Neque mitius Petito præfecto pepercit, qui in vincula cum aliquot insignioribus armatis coniectus tenebatur. Hominem enim (cui ab Anthonio fides data erat) furca suspendere iubet. Atque oppidum, mox incensum dirutumque, reliquit. Protenus quoque Roiam contendens, eam circumuallat, multo milite atque machinis egregie munitam. Nam præter quadringentos, supra mille, sagittarios, erant in ea præsidio ducenti delecti equites, cum eorum præfectis Petro Auberto: Mignone: Loisetta Balagnio, domino de Moui, & domino de Rupenpræo auratis equitibus. Et hi quidem nulla oppugnatione expectata, deditionem, ea lege, fecere: si saluos inde abire liceret. Relictis igitur per ignauiam armis atque impedimentis, væcordes homines, vno bacillo contenti, non sine perpetua ignominia per medios hostes irrisi, Roia discesserunt. Roia (vt diximus) capta, Burgundus magna animo voluens, cum sibi à Ludouico magnam vim paratam esse existimaret, Bellouacos Picardis post Ambianenses, ad occidentem proximos, petit: ratus ciuitatem, vbi nullum præsidium erat, prima oppugnatione subiugare. *Sed plurima arrogantem multa deficiunt.*

Bellouacum.

Bellouaci, tametsi insperato hostis aduentu nullius pręsentanei mali periculo

riculo admoniti essent, venientem tamen Burgundum magno animo à muro prohibẽt. In ea oppugnatione egregia virtus puellæ cuiusdam apparuit, quę à Burgundo milite, dum in murum scandit, vexillum extorsit. Donec Guillermus de valle, Normanni Senescalli vicarius, cum ducentis equitibus auxilio accessit, qui ciuitatem ingressus, ad muros se protenus confert, vbi hostis incredibili pertinacia depugnabat. Venere nõ multo post Crussolus, Ioachinus Roaldus, Guerius Grongnus, atq; Torceius trecentorum equitũ, cum adiũctis sagittariis, ductores. Quibus commeatũ affatim Parisii subministrauerunt, missis permultis fossoribus, qui fossis atq; aggeribus ciuitatẽ cõmunirẽt. Enimuero sic opus erat. Nã subactis Bellouacis, libera in Normãnos Burgũdo patebat via. Fuit enim eius rei tãtus timor, vt in ipsa Parisiorũ vrbe regia, magnopere curatũ sit, vrbis fossas purgare, muros instaurare, cathenas per compita repente (autore præsertim Dionysio Hinselino) recensere: colubrinas insuper atque serpentinas conflare atque fabricare.

PER id tẽpus Antissiodorẽses, qui supra paucos dies admoniti, Ludouico parere spreuerãt, Burgundorũq; præsidiũ in oppidũ admiserãt, eruptione facta, dũ frumentatũ eunt, quidã ex Cãpanis equites, illis occurrũt, centũ sexaginta ex grassatoribus perimẽtes: octoginta in captiuitatẽ abductis. Perseuerãte in obsidione apud Bellouacos Burgũdo, dura in castris eius annonæ caritas fuit. Festinãs igitur, priusquã fame miles vrgeretur, animo firmat, acerrimo congressu ciuitatẽ expugnare. Ingẽtẽ ad hoc cratiũ & ligneorũ fasciũ copiã cũ multa materia cogit, quibus vrbis fossas impleret. Obsessi, re cognita, ad Parisios mittũt minuscula tormẽta & cõmeatũ cũ balistariis petitũ. Nec defuit petentibus misericors ciuitas. Præerat ad præsidiũ portæ (quæ domus hospitalis appellatur) Robertus Stoteuillus, Parisiorũ pręses, militaris apprime eques. Quã portã iactis in fossas (quas proxime diximus) cratibus fascibusq;, hostis adoritur. Scalis quoq; admotis in muros cõscẽdere perseuerat. Nec profecit quamquã horas quatuor cõtinenter pugnasset. In ea oppugnatione quingẽti supra mille armati ex Burgũdis in fossas decidisse, atq; occubuisse referũtur. Nocte insequẽti, quia ciuitatis portę obstructę erãt, patefacto muro Salazardus, cũ aliquot cohortibus, in Burgundionũ castra, sub diei crepusculũ, erũpens, tribus hostiũ tẽtoriis incẽsis, plęrisq; occisis, impedimenta aliquot ex illorũ castris rapiẽs, in ciuitatẽ dũ reuertitur, ab hoste eũ insequẽte pressus, raptas à se machinas in fossas ciuitatis pręcipitat, ægreq; ad suos recepit. Bellouacorũ obsidionis tempore Aurelianẽses officio in obsessos functi sunt. Imposita enim carpẽtis centũ vini dolia, ad Bellouacos dono miserũt, cũ magno sagittarũ & missilium numero, arcubus additis atq; balistis. Postquã sex & viginti cõtinuos dies ad Bellouacũ Burgũdus incassum sedisset: die diuæ Magdalenę festo, obsidionẽ diluculo soluit, segetes vicosque (quà iter faciebat) vrens, donec ad sanctũ Valerium castra posuisset, quod oppidũ cũ aliis vicinis oppidis, modico pręsidio defensis, minimo negocio cepit. Ex his locis, quandoquidẽ verosimile erat, in inferiorẽ Normãniã hostẽ profecturũ Conestabilis & Chabanus octingentis equitibus assumptis: Normanniã petũt occursuri Burgũdo. A quibus nullo fere dãno Burgũdus affectus est: quin vicos atq; oppida, per Caletos grassatus, incẽdit, Rothomagum vsq; mouẽs. Vbi Conestabilis se recipiens parum admodum Burgundo incommodatus est. Nisi quòd à populo ciuitatis vix excitatus: nõnullos ex suis cum aliquot ciuibus armatis eruptionem facere permisit. Burgundus autẽ inde digrediens, in Picardiã copias reduxit. Sed neque in Britannia quicquam à Ludouico præclare gestum est: quamquam quinquaginta hominum millia in armis habere diceretur. Nam legationibus pollicitationibusque tardatus: cũ res cõpositas proxime esse sperat: illusit eũ hostis. Dimissa Normãnia: Burgũdus Nouiomũ oppugnare instituit. Sed Cursolus & quidã cum eo militũ præfecti, illò se cõferentes, suburbiis incẽsis, ne illic diuersaretur hostis, ciuitatẽ maximopere tutati sunt. Robertus præterea Stoteuillus ex Bellouacis mouẽs: & deinde Ioachinus Roaldus ad Burgũdos (qui apud eum oppidũ in præsidio erãt) nũciũ mittunt, petentes oppidum Ludouico reddi. Moxq; compositione facta, locum & sua omnia deserentes: equites vno equulo: pedites baculo contenti, abierunt. Hoc exemplum secuti Valeriẽses Remburiensesque, deditionem, nulla vi facta, fecere.

EODEM

CAP. 14.

Dura obsidio Bellouacorũ.

Salazardus.

Burgundus in Normannia.

CAP. 15. EODEM tempore comes Roussius, Conestabilis filius, Burgundæ factionis obstinatissimus sectator, Burgundiæ præfectus, diffusis late copiis Tornodorum vsq; debacchatus, Trecas & Campaniæ partem vastabat. Contra vero Dalphinus comes, per Burgundiã, bono exercitu potens, omnia igne consumpsit, par pari rependens. Fiunt interim cum Britonibus per Ludouicum induciæ. Quo tempore regina filium Ludouico parit, cui vita breuis fuit. Petrus autem Borbonius, comes Belliioci, Aquitaniæ ministrator, dum Lestoriç multa nobilitate ornatus, agit: à suis in Armigniaci comitis potestatẽ proditur: atq; eo pacto ciuitatem comes recuperat. Eam ob rem Ludouicus aliquot ex nobilitate suspectos infidelitatis, Lochiç in vincula misit. Inter quos Iohannes Deimerus crimen confessus, capite damnatus est, & in partes quatuor sectus. Qui moriens, Cadetum Albretensem, eius proditionis, pertinacissime accusauit. Dum eius rei gratia Ludouicus in Pictauis immoratur, pax inter illum & Britonum ducem, intercessore Oudeto de Ria conuenit: data Britoni non parua pecunia. Porro Alenconii dux, Iohannes, acceptæ crebro gratiæ oblitus: cum constituisset possessiones omnes suas in Burgundum ducem, accepto inde precio, transferre: & ad eum clam proficisci, per Tristannum heremitam, iubente Ludouico, capitur: & Lochias primo ductus, paulo post Parisii in Lupara arce, in custodia consenuit. Lestoria quoq;, quam misso exercitu Ludouicus duce Iohanne cardinali Albiensi atque Iuone de fago obsidebat, Armigniaci culpa diruitur. Nam re composita, vt Armigniacus loco cederet, cum in ciuitatem Franci sine vlla violentia ingrediũtur, Armigniacus in eos insurgens, occidere eos iubet. Vnde clamor exortus dum in castra perfertur: Frãci per effractos antea muros irrumpentes, Armigniacum ipsum, & omnem sine discrimine populum trucidant, comitis vxore cum tribus suis pedissequis tantum salua. Hic Iohannes Armigniacus est, qui sororis illecebra captus, cum eam incestu polluisset, nisus est, eam pontificis Romani auctoritate ducere. Cuius stultitiæ fauisse dicitur Ambrosius Cambraius, qui per idem tempus referendarius erat Calixti pontificis. Accepta enim ab Armigniaco multa pecunia, bullam dispensationis de sorore desponsanda Armigniaco tradit: quam reuera adulteratam & à se falso editam postea cõfessus est, præsidente apud Romanos Pio pontifice maximo. Quo iubente, Ambrosius in custodia apud Montoliuetum monasterium habitus est. Sed è custodia noctu adiutore seruo emissus, in Angliam se recepit, vbi aliquot annos, mutatis frequenter locis, profugo similis delituit: Quippe cui Carlota mater: alioquin benigna mulier, suam domum occluderet: offensa scilicet filii criminibus, qui homicidio primum, deinde hac (quam dixi) falsitatis ignominia notabatur. Ingenio tamen & astu erectus, viam inuenit apud Ludouicum fortunæ melioris, simulans à regina Angliç se desiderari, quem in Angliam traduceret. Quare intelligens Ludouicus eum hominem esse quo ad dolos vteretur: Ambrosiũ ad se accersitum, stipẽdio iuuit, & mox inter aulicos habuit. Quem nõ multo post supplicationum regiarum magistrum, & deinde Parisiensem cancellarium vidimus: hominem profecto dolosum & prçter modum gloriæ studentem: verborum & iactantiæ vanitate redundantem, & perfluum, fidei autem modicæ, & cui probe confidere nemo posset: cuius mortem nec propinqui nec alius quisquam illachrimasse visus est. Sepeliri voluit in sacello Sorbonæ ante aram maiorem. Depræhensus apud Lestoriam Cadetus Albretensis & Pictauiam perductus, capitis supplicium luit.

CAP. 16. AGEBAT per id tempus Parpigniaci Iohannes Tarraconiæ rex. Qui Lestoriæ ciuitatis desolatione accepta: quodq; audiuerat, Philippũ Sabaudum cum ingentibus copiis in eum aduentare, Parpigniaco abiit. Ob quod diu quidem atque pertinacissime à Francis digladiatum est. Sed victor Francus extitit, & Russilionem totum Ludouicus obtinuit. Per hos dies Nicolaus Lotharingiæ dux, apud Nantiũ peste absumptus est. Fuit & Siluanecti habitus conuentus: venientibus à Burgundo duce legatis: qui belli causas tollerent. Nec fuit concordiæ locus: tametsi multos dies multa agitando legati consumpsissent. Burgundus vero, ducis Lotharingi morte accepta: Lotharingiã armis sibi subiugare tentauit: causam assumens, quòd qui defunctus erat, obæratus illi esset: simulque apud se anxie meditatur, regium

nomen

nomen vſurpare. Sed illuſus à Federico Burgundus, cum pecuniæ egeret, nec ſuis viribus ſufficeret Ludouici poteſtatem minuere, ad Venetos mittit: à quibus ſtipendium trimeſtre mutuo impetrat: quo ex gente Veneta partim coactas copias aluit: miſſaq; in Niuernenſes exercitus parte: rupem Caſtillionis, & aliquot regionis loca, dolo capit. Per eos dies Petrus Borbonius de Belloioco Annam Ludouici filiam deſponſat. Iterum quoq; Burgundi oratores cum regis legatis Compendii conueniunt. Vbi tandem poſt longas concertationes, paucorum menſium inducias firmant. Quo tempore Burgundus inimicitias in Ludouicum omnifariam exercens: Iterium mercatorem, qui poſt Caroli, Aquitani ducis mortem ad Burgundum ſe contulerat, magnis promiſſis inducit, veneno tollere regem. Igitur conſtituto illi quinquaginta millium aureorum precio: toxicum parat. Datq; Iohanni audaci (quem ſeruum habebat) ferendum: pollicitus montes aureos, ſi maleficium fœliciter exigat. Recipit ab Iterio Iohannes negocium, & Ambaſiam, vbi rex erat, profectus: quendam in Ludouici popina ſibi notũ (qui condiendis ſaporibus præerat) conuenit. Cui, quòd Aquitano duci ad ſimile miniſterium ſeruierat: rem patefacere non veretur. Atque ad facinoris precium viginti aureorum millia ſecure promittit: credulus, hominem ad veneni propinationem facile conſortem ducere, qui dominum ſuum non diſſimili maleficio ſublatum fuiſſe ſciret. Audiuit Iohannem ſumma diſſimulatione coquus, ſed rem nequaquam patrari poſſe ait, niſi Colinetus, primarius coquorum, conſcius accederet. Igitur recepto à Iohanne veneno, Colinetum ad id negocium cohortari pollicetur. Colinetus vero à conſorte coquo edoctus: ſimul cum eo ad regem pergit. Veneficium prodit: & ab eo exhibitum toxicum profert. Rex veneficium exhorrens: autorem præhendi iubet. Qui tanquam rei bene gerendæ ſecurus, iter ad Iterium faciebat. Sed non longe à Stampis depræhenſus: ad Ludouicum deductus eſt: moxque confeſſus crimen: paulo poſt in cuſtodiam detruditur: data ingenti mercede fidelibus cocis. Aſſeruatus vero eſt Iohannes audax, in publicis ædibus Pariſiorum, deinde capite truncatus. Cui quatuor exſecta membra, ad quatuor regni extremas regiones, cum titulo proditionis, furcis ſuſpenſa. Omnes eius ædes dirutæ ſunt: & natalis domus ſolotenus ſine vlla reſtitutionis ſpe euerſa: inſcripta ruinæ cauſa. Eo die, quo id geſtum eſt, legati ab Aragonia Pariſium venere, à ſuo rege mandatum habentes, de controuerſia ob Ruſſilionem & Parpigniacum, orta tractare. Nec multo poſt rex quoque Pariſium ſucceſſit. Iuſſitque Pariſios in armis eſſe, & militari ordine per diui Anthonii portam vrbe egredi. Quorum multitudinem Aragonenſes legati admirati ſunt. Centum enim & quatuor hominum armatorum millia è ciuitate in agrum prodiiſſe relatum eſt. Regredientibus in ciuitatem Pariſiis, oratores Vicennas Ludouicus ducit. Vbi regia cœna acceptos, duobus eos poculis aureis, varia cælatura ornatis, donauit. Horum precium tribus ducatorum millibus & ducentis æſtimatum eſt.

Veneficus deprehenditur.

Legati Aragonenses.

CAP. 17.

VENERE eodem tempore ab Germania dux Bauarus: & Britonum oratores, quos Siluanecti Ludouicus audiuit. Affuerunt præterea incaſſum Burgundi. Britonibus liberaliter Ludouicus reſpondit. Legationum cauſas diuinare magis, quàm probe ſcribere poſſum. Ex Siluanecto Compendium, mox Nouiomum rex proficiſcitur. Ceperat comes ſancti Pauli, Franciæ Coneſtabilis ſanctum Quintinum, Veromandorum oppidum, extruſo præfecto Curtono cum præſidio, quod in eo Ludouicus poſuerat. Oppidumq; Coneſtabilis, impoſito ex ſuis præſidio, rege inuito occupabat: ita vt in ſuſpicionem veniretur concepti in regem belli. Nec aliter ad Ludouicum acceſſit. Quin ponte inter ſe & regem facto, ad colloquium prodiit, ſatellitibus egregie ſtipatus. Colloquio paucis arbitris expleto, rex offenſam omnem comiti remittit. Iureiurando interpoſito, quòd in Ludouici fide permaneret. Erant per id tempus inter Federicum imperatorem & Burgundum ſimultates. Nitebatur propterea magnopere imperator Burgundo incommodare: vnde miſſis frequenter ad Ludouicum nunciis, illum hortabatur, cum Burgundo amicitiam non inire: ſe vnum ſatis eſſe, qui ducis ſuperbiam deprimeret, eumque redderet regi obſequentem. Nec tamen exaudiuit Federicum Lu-

Conestabilis temeritas.

douicus: sed cum ex Picardia Siluanectũ reuertisset, cum Burgundi legatis inducias anni vnius firmat. Interea in Iohannem, Alenconii ducem, capitis sententia & bonorum omnium publicatio, in senatu Parlamenteo, per Petrum Doriolum cancellarium, fertur. Burgundo vero duci nulla fuit induciarum & iurisiurandi reuerentia, quin in Lotharingiā ducens, Virdunum ceperit, sollicitauitq; Edouardum Anglum regem aduersus Ludouicum transfretare. Quamobrem Edouardus magno exercitu comparato, priusquam moueret: Ludouicum per caduceatores petit, Aquitaniam sibi Normanniamq; restituat. Nec diu distulit Edouardus, ad diui Michaelis montem, classem traducere. Quod postquam Ludouicus accepit, copias in Normanniam misit: eorum militum, qui recenter fuerant ab eo instituti, & Dalphini custodes appellabantur. Per eos dies tametsi induciarum finis nondum esset, Burgundi, qui Peronæ & per circumadiacentia loca in præsidio erant, omnia vsq; ad Isaram flumen infestabant. Et aliquot ex eis Arsonam, iam diu desolatam, instaurare ceperant. Sed missis aduersus prædones ex Ambianorum & Bellouacorum præsidio armatorum turmis: non expectata pugna, grassatores aufugerunt. Nec destitit miles Francus: sed accitis ex finitimis præsidiis aliquot cohortibus: quibus præterea plebei plurimi se coniunxerunt: ad Attrebates profecti, in suburbio ciuitatis castra posuerunt. Vbi nocte tota diuersati, deputatis agricolis, qui eos sequebantur, ad excutiendos per villas & agrestes mansiones frumenti manipulos, maximam tritici copiam, & pecorum ingentem numerum ex Attrebatensi agro comportauerunt. Nam id prius facere meditati, vannos & flagella currusq; complures secum adduxerunt. Recepere quoq; nonnullos captiuos, quos raptor violatis induciis abduxerat. Principio insequentis veris, rex in Picardiam mouens, Tronqueum vetustissimam, non longè à Mondiderio turrim: vbi perditorum hominum turma, duce Motino Caulero se receperat: omnia incursionibus infestans expugnat: occisis aut patibulo appensis, qui in ea inuenti sunt: præter ipsum Motinum, quem rex vita & officio donauit. Turris ipsa solotenus deiecta est. Mondiderienses autem, cum deditionem recusassent: obsessi oppidum dedidere: suis fortunis omnibus relictis abeuntes: oppidum vero solo prostratum est. Roia præterea Ludouico paruit. Nec spes deerat Picardiam atq; Arthesium recipiendi, nisi sancti Pauli comes Conestabilis dolo vsus, regem fefellisset. Cui progredi cupienti literas mittit, Edouardum Anglum ingenti classe petere Normanniam, idcirco opus esse cautione: ne destitutos præsidio Normannos hostis inuadat. Si ad illos partem exercitus ducere rex velit: se vnum cum reliqua militia satis esse, qui bellum in Picardia gerat. Motus hoc nuncio Ludouicus, in Normanniam ducens, de Anglorum aduentu nihil accepit. Redeunti autem Conestabilis scribit, Anglos Callisium appellere, & Carolum Burgundum Nussii obsidione relicta, fœdus cum Federico imperatore iniuisse. Quæ omnia tametsi nulla essent, caduceator tamen, Anglus, cognomento Scalus cum literarum fasce depræhensus, & ad Ludouicum perductus, vera esse iurauit. Neq; horum quicquam tam iniquo animo Ludouicus tulit, quàm Conestabilem clam sollicitare Borboniorum ducem, vt Burgundi partes relicto rege sequeretur. Cuius perfidiæ syngraphum à Conestabili missum, Borbonius per episcopum Mimatensem Ludouico demiserat.

Sententia in Alenconii ducem.

Conestabilis dolus.

CAP. 18.

EODEM tempore in Burgundia, apud Guium, non procul à castro Chinone magna Burgundorum turma à Francis superatur, cum ducentis equitibus, qui ex Venetis Burgundo auxiliares venerant. Fuit non prosperior Attrebatibus fortuna. Admiraldus (cui decreta belli ratio in Picardia erat) prope Attrebatum dispositis insidiis xxx. equites lacessitum Attrebates mittit. In quos, velut in contemnendi numeri cohortem, eruptione facta, Attrebates cum suo præsidio proficiscuntur. At, qui ab Admiraldo pręmissi erant, metum simulantes pedetentim retro abeunt, donec suorum insidias prætерissent. Quamobrem intercepti Attrebates, inter medias Francorum copias: ad quingentos supra mille occubuerunt. Et cum Romontus reginæ frater, qui Burgundarum partium erat, his se ducem præbuisset: vix ad suos se recepit equo eius interempto. Iacobus autem sancti Pauli cum aliis insignibus

bus viris captus. Paulo supra hos dies Auraicensis princeps, quem in custodia Ludouicus habebat, nullo precio liber factus, se ditionemq; suam regi summisit. Donatus est propterea potestate cudendi numismatis aurei, atq; argentei: remittendi insuper criminosis necis pœnam, nisi hæresis aut maiestatis rei haberentur. Edouardi autem, Angliæ regis classis, viginti millium armatorum Callisium appulit. Qua re cognita, mox ad priorem exercitum nouas copias Ludouicus ex Parisiis, duce Roberto de Stoteuilla contrahit. Et Carolus Burgundionum dux, Nussio relicta, ad Edouardum noctu venit, cui amice gratulatus est. Nam Edouardi sororem in vxorem duxerat. Hortatus magnopere est, rem prospere gerat, & sua recuperet, quæ à Francis iniuste tenebantur. At aliquot diebus exactis, cùm nec à Carolo, nec à Conestabili promissa illi seruantur (conuenerat enim inter illos, dum Edouardus in Arthesium venisset, admittere illum in aliqua munita loca, vbi & se atq; exercitum recreare, & tuto diuersari posset) Iamq; Lihonem in sanguine terso copias cum promouisset, pollicitis illusus, ad Ludouicum Siluanectum, vbi in victoriæ cœnobio agebat, oratores mittit, dicere se arcanũ quicquã habere, quod illi communicatum esse cupiat. Designet locum & tempus ad rem exigendam. Pinquigniacum in Ambianorum agro ad id deligitur. Interim mutuam à Parisiis grandem pecuniam Ludouicus petit. Ea fuit quinq; & septuaginta millium nummûm aureorum, quam dissoluere infra Calendas Nouembris ipse promisit. Ad Pinquigniacum ex Ambianis rex veniens, frequenti atq; admirabili militum manu stipatus, duos in ponte Pinquigniaci appendices extruere iubet. Vnum quo ipse, alterũ quo congredi Edouardus posset. Fuit inter vtrunq; appendicẽ paries medius, cancellatus, ita latis foraminibus, vt per ea dextras dare & cõtingere reges possent. Conuenientibus ad designata loca principibus, cum se alterni salutassent, longa fuit inter eos (centum vtrinq; admissis illustribus arbitris) collocutio. Inde vbi regibus visum est, illis seorsum exeuntibus, principes clam sermonem contulerunt. Nec dilata diu concordia est. Itaq; de septem annorũ induciis conuenit IIII. Calendas Nouembris, dum voluitur annus salutis MCCCCLXXV. Donatusq; à Ludouico Edouardus est quinq; & septuaginta millibus aureis, & quinquaginta millia per singulos induciarum annos illi promissa. Ornauit quoq; magnis muneribus Clarentiæ ducem, Edouardi fratrem. Rebus (vt paucis annotauimus) apud Pinquigniacum gestis, Anglus omnes copias Callisium remittit: iubetq; Hauartum & primarium suum scutiferum apud Ludouicum morari, donec se promisso absoluisset. Digrediente Callisium Edouardo, Ludouicus de Luxemburgo Conestabilis (cui regum concordia non conueniebat) nuncium cum literis ad Anglum mittit, vitio illi asscribens, quòd in belli ipse animo cum Ludouico pactus fuerit, promissis videlicet illectus hominis, qui eum falleret. Literis cognitis, eas Edouardus Ludouico communicat. Interiectis inde non multis diebus, accedentibus ad Ludouicum Britonum ducis oratoribus, pax firmata est, & annorum nouem induciæ cum Burgundo positæ. Additum quoq; de Ludouico Luxemburgo, qui ad eum perfugerat, regi dedendo. Missi sunt Peronam, qui illum exciperent, Borboniensis nothus Admiraldus, dominus de sancta Petra, & Guillermus Cerisaius, cum bona armatorum turma. Exceptum Conestabilem in diui Anthonii propugnaculum apud Parisios Philippo Oleario, loci præfecto custodiendum committunt. Deputat deinceps Ludouicus Petrum Dariolum cancellarium, & duos Parlamenti præsidentes, cum aliis iureconsultis de Conestabili quæstionem habere. Igitur interrogatus confessusq; plurima in regem deliquisse, in curiam Parlamenti, post longam custodiam, deducitur. Vbi à cancellario regium insigne, id est, aureum diui Michaëlis torquem (quem collo gestabat) deponere iussus est. Moxq; ingressus ad eum Iohannes Pompancurtus, *Illustris,* inquit, *comes, hactenus in custodia regis iussu habitus fuisti. Vbi de his, quæ in regem & rempublicam commisisti, quæsitum est diligenter. Confessus es maiestatem frequenter offendisse, cum hostibus conspirasse, & fidem violasse, qua reipublicæ eras obnoxius. Iam venio ad te à Parlamenteo senatu missus, significare mortis sententiam, quæ hodie in te lata est. Hodie tibi moriendum in Grauia ante ædes publicas ciuitatis. Terras & fortunas omnes tuas publicatas, & fisco attributas esse, ti-*

Edouardus Anglus apud Callisium.

Conuentio regis apud Pinquigniacum.

Conestabilis nequitia.

bi renuncio. Ad hæc Ludouicus. *O, inquit, optime maxime deus, quàm dura hæc sententia est. Te supplex oro, da mentem sinceram te agnoscendi.* Sic locutum, quatuor theologi, magni nominis Doctores (vt constitutũ fuerat) reum adeunt, salutaribus illũ monitis consolaturi. Cõfessione, more Christiano, expleta, orat viaticũ Christi corporis sibi ministrari: quod nõ obtinuit. Res tamen diuina (quam missam appellamus) coram illo facta est, & panis benedictus oblatus, quem religiose manducauit. Inde à palatio ad Grauiam per medias vulgi turbas perductus, atq; in tabulatum conscendens, postquam ad diuæ Mariæ templum (quod ex tabulato conspicuũ erat) conuersus, longiusculam orationem plorans habuisset, à carnifice Iohanne Cousino vno gladii ictu capite punitus est. Cadauer autem per cordigeros in ipsorum ecclesia humatum est, Decembri mense die XIX. anno MCCCCLXXV. De eius criminibus & supplicio epigrammata Gallica latinaq; multa scripta fuerunt.

Vide contradictionẽ, corpus Christi negatũ & interim datum narratur. Mira Theologia.

CAP. 19. *Moneta noua.* EODEM tempore monetæ precium mutatum est, & scuta aurea cusa, quinq; & XXX. solidorum Turonensium æstimatione. Cui operi quatuor tantum viri præfecti sunt, Germanus de Merla, Nicolaus Potierus, Dionysius Brito, & Simon Ausoranus. Vectigal quoq; indictum singulis doliis, quę è regno ad exteram gentem exportarentur. Nam pro quoq; vini dolio (quam Franci caudam vocant) aureum nummum portitores exigebant. Post hæc aliquid in Romanos molitus Ludouicus, de congreganda episcoporum synodo cogitauit. Nam cum sibi antea nõ processisset, quod de vniuersali ecclesiæ conuentu agendo suos oratores ad diuersos principes miserat, de suo regno habendum consiliũ præceptum vulgauit, iubens quosq; pontifices & maiorum ecclesiarum rectores, ad suas sedes intra à se constitutum diem redire. Deinde voto astrictus Anicium (quod Podium dicunt) Aruerniæ ciuitatẽ pergit. Vbi nouem totos dies diuæ Mariæ templo (quod in Galliis summa religione colitur) se promissis absoluit. Mox Lugdunum transiens, ad Dalphinates cum peruenisset, accepit Carolum Burgundum, qui in Heluetios expeditionem duxerat, fusum fugatumq; cum suo exercitu fuisse, non procul à Gransone oppido, & arcibus duabus receptis, quas Heluetiis ipse abstulerat: Tormentis machinisq; amissis, castra & sarcinas omnes direptas. Receptas insuper ab Heluetiis arces & Gransonem esse. Inuentosq; in illis quingentos & duodecim Alemannos, quos suspendio Burgundus necauerat, eos omnes patibulis liberatos terræ commendasse, & eisdem Alemannorum furcis lorisq; Burgundos strangulasse: quos Gransonem recuperantes Heluetii depræhenderant.

CAP. 20. *Dux Nemorsus capitur.* EADEM tempestate Nemorsus dux à domino de Belloioco in arce Carlati circunuallatus deditione facta, captus ad regem primum, deinde Viennam, & deinceps Parisium perducitur & in custodia asseruatur. Circunuallationis tempore, eius vxor, Caroli Andegauensis filia, cùm peperisset: tam partus dolore, quàm animi ægritudine mortem incurrit, mulier spectata plurimum atq; laudata. *Burgundus fusus.* Rebus apud Gransonem dissipatis: Carolus Burgundus cum Ioignam, in finibus Sequanorum se ex fuga militemq; recepisset, Heluetios iterum persequi (sicuti ferox & vindictæ percupidus erat) cõstituit. At, quòd illi milite & pecunia opus esset, Guillermum Gonnetum, eius cancellarium, cum aliis vndecim, bonæ apud suos auctoritatis, viris ad Flandrenses & ditionis eius populos legat, qui militem resarciant: sextamq; bonorum suorum omnium partem ad belli impensam ministrent. Legatis responsum est, Carolo si facultas deficiat, se tuto recipiendi, subsidiũ illi, vt principi & duci suo, se quidem præbituros, donec domum saluus redeat. Belli autem in Heluetios gerendi causam nullam videre, cuius sese bonis & pecunia premere aut mulctare necesse sit. Hæc dum à Burgundo geruntur, ad Ludouicum Lugduni agentẽ Renatus ex Andegauensi familia Siciliæ rex accessit. Cũ quo de prouinciæ comitatu ad hunc modum transactum est. Erat Renatus plenus dierum, sine liberis princeps, cuius filia Angliæ regina ab Edouardo, de familia ducum Eboracensium, in custodia tenebatur. Eius liberandæ causa Ludouicum sibi hæredem prouinciæ Renatus instituit. Datis à Ludouico millibus quinquaginta scutorum aureorum, quæ redimendæ reginæ causa Edouardo soluta sunt. Regina liberata, iuri quod à morte patris in comitatu ipso vendicare potuisset, abrenunciat, constituta quo-

ta quo-

ta quotannis (dum superstes esset) pensione, quam Ludouicus reginæ persolueret. Accidit per hos dies non procul à Dordano plena miserationis cædes. Ludouicus Bresei filius, Normanniæ Marescallus Carlotam Agnetis (quæ bella appellata est) filiam, ex Carolo VII. Ludouici patre (sicuti credebatur) genitam, habebat vxorem. Hic laxandi animi causa cum in siluam, assumpta vxore, venatum prodiisset, domum noctu reuersus, cum se lassum sentiret, seorsum ab vxorio cubiculo cubitum pergit. Carlota autem libera ad tempus viro, Iohannem Lauernum Pictauum, cum quo stupri consuetudinem fecerat, ad se protenus in cubiculum admittit. Qua re cognita, Iohannes apothecarius domus Senescalli prouisor, scelus domino defert. Vnde furens Senescallus, gladio exerto, cum cubiculi fores repente effregisset, inuentum adulterum, interiore tantum tunica amictum, protenus confodit. Coniugem vero, quæ se ad liberos in proximo penetrali receperat, culcitra obtectam, manu apprehensam, humo prosternit. Quam in genua procumbentem & mariti misericordiam fœmineo ploratu orantem, traiecto per mulieris pectus mucrone, mactat.

Carlota adultera à viro interfecta.

Sed ad susceptam historiam reuertamur. Rege Lugduni agente renunciatum est, Carolum Burgundionum ducem, reparato exercitu, ad Moracum in Heluetios castra posuisse, atq; exile oppidulum circunuallasse, eoq; Renatum Lotharingiæ ducẽ (à quo Nantium Burgundus abstulerat) cum validis copiis suppetiaturum Heluetiis accessisse, primamq; hostium aciem fudisse, in fugam verso Remonto comite, eius aciei ductore.

Moracum in Heluetiis.

Vnde ex Moraco eruptione facta, eos qui in præsidio erant, cum Lotharingo duce se coniungentes, in hostium castra, fugatis cæsisq; quamplurimis, peruasisse, nec fuisse fugæ modum, donec Ioingnam peruenissent. Quæ autem in Burgundionum castris spolia capta essent, Heluetios ad beneficii compensationem benefactori Lotharingo reliquisse. Occisorum in ea pugna numerus XVII. millium fuit. Victoria de Burgundis habita, Renatus Argentinam (quæ Strasburg dicitur) se recepit. Indeq; quatuor armatorum millibus roboratus, Nantium (quod sibi Burgundus vsurparat) recuperare contendit, & oppidum (quod ducentorum supra mille militum præsidio tenebatur) obsidione cingit. Qua firmata ad Argentinenses reuersus, cum nouas copias coegisset, eas prioribus, quas ad obsidionem reliquerat, adiungit Nantiumq; recuperat. Hæc dum aguntur, Ludouicus Turonum repetens, multis votis, quibus se astrinxerat, satis (pro religionis debito) fecit. Erat enim diuæ Mariæ Christi matri vel reuera, vel simulatione deuotus. Cuius templis multa donaria obtulit. Interim Burgundus (cui aduersa omnia succedebant) ægre admodum ferens, à modico principe (vt ipse querebatur) vinci: resarcitis pro tempore copiis, ex Salinis Sequanorum oppido, Nantium ducit. Cum enim de Renato sermonem haberet, illum magnopere parui existimabat, tanquam gygas ipse, ille nanus esset.

CAP. 21.

PER eam tempestatem de Castellæ regno disceptatio insurgit. Erat Henrico Castellæ regi (vt ferebatur) ex legitimis nuptiis filia, & ex patre grandis natu soror. Hæc Aragonum, illa Portugallorum regi vxor datur. Quamobrem vterq; regum Castellam vendicare magnis viribus contendit. Portugallus rex Francum regem secutus, Ludouicum per se conuenit, sperans maxime discordiis inter eum & Burgundum compositis, copias sibi ad vendicandam Castellam attribui. Fuit mediussidius Portugallus rex incredibili magnificentia à Parisiis exceptus. Verum, cum ad Burgundum, in obsidione Nancii agentem, pacis causa, per horridam hyemem frustra concessisset, ad Ludouicum rediit.

Rex Portugalliæ ad Burgũdum uadit qui Nantium obsidebat.

Burgundus enim Nancium tam arcte concluserat, vt fame prope deficientes, Burgundo permittere se obsessi destinarent. Militabat in Burgundianis castris Longobardus quidam comes, quem Campobassum appellabant. Hic vel suapte perfidia, vel pecunia clam corruptus, à Burgundo deficiens, cum nonaginta equitibus ad Ludouicum regem venire constituerat. At per regis internuncios tardatus, ne proditionis particeps Ludouicus esse videretur, ad Renatum profectus est: cui Burgundi consilium omne patefacit. Duo vero suę factionis Angelus & Montefortus, qui eum ad proditionem conceptam sequebantur, iussi sunt Condeum petere, qui locus à Nancio secundo tantum lapide distat, ad Mosellam flumen, quà à Mettensibus & Luxemburgis ad

Burgundos commeatus importabatur. Quarto autem Nonas Ianuarii Renatus Varengeuillam, ad sanctum Nicolaum cum suis & Heluetiorum copiis progrediens, & postridie cum Nouamuillam aduenisset, ad lacum (qui non procul abest) acies instruit. Vnam Dabestanus comes, & qui Friburgum Suricumq; incolunt: alteram Bernenses atq; Ternenses duxerunt. Atq; ita partito agmine, alteri secundum flumen, alteri per viam militarem Nancium versus, composito ordine incedunt. Iam enim Burgundus suos in acie stiterat, & Heluetios, qui via publica progrediebantur, tormentis appetere properabat. Quod animaduertentes aciei ductores, sinistrorsum ad proximum collem diuertunt. In quos Burgundus Iacobum Galleotum Italum, & Iudocum Lalanum, Flandriae primarium iudicem, bino agmine mittit. Iubetq; hostem ab equitibus inuadi, sequente illos numeroso peditatu. Mox nihilominus Heluetii, qui in colle erant, conuersa in Burgundos facie, vix credibili impetu in venientem in se hostem procedunt: ita vt ad primum colubrinatum iactum peditatus omnis Burgundorum fugae se commiserit. In Gallorum autem ii qui ad flumen iter habebant, nulla mora incursantes, totam cohortem fuderunt. Est pons non procul à Nancio, quà via est ad Thiouillam & Luxemburgum, quam Campobassus comes occupauerat. Ad pontem postquam fugientes Burgundi peruenerunt, insequente eos ferociter Lotharingo, pars fluminis vadis se credentes, ab Heluetiis trucidabantur. Pars fluctibus obruti interibant, pars, qui siluis se credebant, ab incolis sine miseratione iugulabantur. Nec cessauit Lotharingus hostem persequi, donec adueniens plurima nox eum prohibuit. Tum de Burgundo duce, interiissetne an viueret sollicitus, quandoquidem de eo nullum nuncium acciperet, ad Mettenses confestim sciscitatum mittit, an ipse per eorum ciuitatem euasisset. At ille reuera dum se fuga saluare contendit, labente equo, quem insidebat, fuerat tribus vulneribus occisus, vno ad caput, secus aurem, ad dentes vsq; pertingens: altero ad femora, tertio ad anum. Id certissima fide compertum est, capto Baptista adolescente ex Columnensium familia: qui duci eodem tempore familiarissime obsequebatur, qui non dubia de illo indicia protenus ostendit: assensusq; est testimonio eius Matthaeus Portugallensis ducis medicus: atq; Anthonius eius frater nothus, quem Lotharingus captiuum habebat. Cuius rei fidem vix admiserunt Arthesienses, & ii qui Burgundorum potestatis erant, temere atq; pertinacissime asseuerantes, eum è pugna ad Germanos dilapsum esse, ibiq; septennem poenitentiam vouisse, quam postquam explesset, inde cum potentia reuersurum, & suas iniurias vindicaturum. Noui nonnullos, qui in ea credulitate obstinati, equos gemmasq; venales exhiberent, venderentq; (si quis eas plus iusto emeret) dilata solutione, donec Carolus eorum princeps, exacta poenitentia, rediisset. Eam credulitatem auxit quidam vir, horridam vitam agens, inter Sueuos in oppidulo cui Bruxellae nomen est. Qui cùm statura & voce non absimilis Carolo esset, nec se ostentaret, sed poenitenti par, & semper moestus esse videretur, vulgus facile hunc pro Carolo habuit, donec euidentioribus signis ad verum peruentum est. Inuentum enim ducis cadauer nudum in pratello, quod riuulus alluit, in diui Georgii ecclesia, apud Nancium, anno salutis MCCCCLXXVI. postridie epiphaniorum domini, conditum est. In eo loco vbi tot occisorum corpora iacebant, Lotharingus victor sacellum condidit, addicto sacerdote, qui memoriam defunctorum perpetuo haberet. Edidit quoq; in pratello crucem ex lapide, vbi Burgundus occubuerat.

Apud Nanciū Renati victoria.

Pertinax in dominū amor, stulta credulitas.

CAP. 22.

Flandriae rectores, eiusq; descriptio.

HIC me locus admonet, in catalogum conferre, quot Flandria ab exordio rectores comitesq;, ad hunc vsq; Carolum, per annos fere DCC. habuit: vt hinc cautionem accipiant ii, qui splendore principatuum & generis antiquitate elati, facili per inconsiderationem lapsu fabula posteris fiunt. Terra Flandria, insula Galliae Belgicae, ab occidente Britannico oceano, ab oriente Scalde flumine, à meridie Lisa amne (qui in Morinis oritur) circunsepta, est tota fere palustris & siluis olim impedita, sicut ex Caesare liquet: qui Morinos bello aggressus, difficile sibi audientes fecit, propterea quòd in siluas se recipientes, quaerendi fuerunt vt vincerentur. Est enim non parua pars Flandriae etiámnum Morinorum pontifici (qu antum

tum ad Christianam religionem attinet) subiecta. Et hanc fuisse olim non procul siluam illi nõ temere quis putabit, quàm Carbonaria silua in Neruiis fuit, vbi Tornacum insignis ciuitas extructa est. Cuius spirituali ditioni altera Flandriæ portio paret. Est tamen non vulgaris opinio, dicentium, Hannoniam olim siluam Carbonariam fuisse dictam. Ea regio raris colonis cum diu inculta & plurimis fossis interscissa mãsisset, latronibus patuit, qui prædas ex transeuntibus agebant, donec ad annum salutis DCXXI. quidam (cui Luderico Lillescuquo appellatio erat) Lo- *[Ludericus.]* tharii, quarti Francorum regis filiam vxorem habens, cum liberos quindecim ex ea genuisset, maximus natu Anthonius, siluæ Flandriæ custos a Lothario positus est, vocatusq; Forestarius. Silua enim Francorum lingua Foresta appellatur: vnde Forestarii nomen deriuatum. Sed huic narrationi rari assentiunt, aliis tradentibus, Ludericum ex Germania vxorem duxisse, & vicum incoluisse Arlebecam, qui vnus in illa terra erat. Vxor autem, cum Flandra diceretur, ab eius nomine fuisse Flandriam dictam. Ludericum vero à Carolo magno siluæ custodiam, vt eam à latronibus quietam redderet, accepisse, anno gratiæ DCCXCII. ibique IIII. & XL. annos imperasse, & eius filium successisse Ingecamum, qui vicorum extruendorum diuersis Flandriæ locis auctor extitit. Porro, exacto sui magistratus anno XV. apud Arlebecam, vita excedens, sepultus est. Fuit illi hæres filius Andaquerrus, reipublicæ curator atque amplificator industrius. Gandauum *[Andaquerrus.]* enim, Curtracum atque Aldenardum, nec non Casseletum construere cœpit. Relicto autem Balduino filio, post XIII. sui Forestatus annum, Arlebecæ huma- *[Balduinus.]* tus est. Post patris excessum Balduinus regionis administrationem est adeptus. Erat Iudith speciosa fœmina, quæ Caroli Calui, Franci regis, cùm filia esset, & Edouardo (qui & Adolaphas dicebatur) Anglo regi nupta, mortuo marito in Franciam rediens, à Balduino rapta est, & matrimonio iuncta. Qua iniuria affectus rex, Balduinum persequi pergit: quemadmodum à nobis supra relatum est. Ab hoc Balduino Brugus (quem nunc incolæ Brugas vocant) ædificari cœptus est. *[Bruga.]* Ipse vero à suscepta administratione anno XVII. vita destitutus, in diui Bertini cœnobio, apud sanctum Audomarum celebri sepulchro est honoratus, anno Christianæ pietatis DCCCLXXXIX. Cui successor fuit Balduinus, quem Caluum *[Balduinus Caluus.]* Flandri vocauere, qui Brugas muro circundedit, & Ethelsundam, Edelphidi Anglorum regis filiam, vxorem accipiens, liberos duos, Arnoldum & Adulphum, Boloniæ postea comitem, ex ea tulit. Decurso autem accepti comitatus anno XV. Gandaui sepultus est, in cœnobio, quod diuo Petro dicauerat. Arnoldus *[Arnoldus.]* patris principatu recepto, religiose vixit. Nam apud sanctum Donatum, qui locus Brugis celebratissimus est, sacerdotes XII. à se institutos, decimarum largissimo prouentu donauit. Fuit illi vxor Alisa, Viromandorum comitis filia, quæ illi genuit Balduinum. Ab hoc Arnoldo (vt à me supra memoratum est) Guiller- *[Balduinus.]* mus Normannorum dux, per speciem reconciliationis, non longe à Pinquigniaco trucidatus est. Exactis autem in principatu XXXVIII. annis, Gandaui apud sanctum Petrum, traditus est sepulchro: anno Christianæ misericordiæ DCCCCLXIIII. Post quem suscepit filius comitatum, III. annorum comes. Quo tempore data est illi vxor Matildis, Emano Saxonum duce nata, quæ peperit Arnoldum. Huic Balduino sepulchrum cum suis maioribus apud Gandauum fuit. Cuius successori Arnoldo (qui iuuenis nomen accepit) cura & diligens sollicitudo *[Arnoldus.]* extitit, subiectum sibi populum iusticia continere. Nam tametsi timori esset: amabatur tamen vehementer, propter summam eius æquitatem & perseuerantem iusticiam. Amicitiam iniit Berengarii regis Italiæ: cuius filiam Susannam thori participem assumpsit. Ac recepto comitatu anno primo & vigesimo, dum fluit annus salutis DCCCCLXXXVIII. moritur, relicto filio Balduino, cognomento Pul- *[Balduinus pulchra Barba.]* chra Barba. Cui vxor fuit Ennia, filia Guichardi Luxemburgorum ducis. Præfuit Flandriæ annis XLVII. suscepto filio, qui Balduinus de insula vocatus est. Sepelitur Gandaui cum maioribus suis. A cuius morte comitatum administrauit Balduinus *[Balduinus insulanus.]* insulanus, annos duos & triginta: à quo diui Petri de insula templum extructũ est. Est enim insula munitissimũ & populo frequens, cũ firmissima arce, oppidũ, Flan-

driæ finitimum. Huic fuit vxor Alisa, Philippo Francorum rege nata, quæ duos liberos mares enixa est: Balduinum & Robertum: & fœminam, quæ Guillermo notho Normanno duci (à quo regnum Angliæ vindicatū est) nupsit. Orta inter Germaniæ imperatorem & hunc Balduinum simultate,

Balduinus Insulani filius.

Balduinus comitatum, qui Alostensis nuncupatur, occupauit. Sed compositis tandē discordiis, imperator Balduino comitatum in feudum dedit. Hic successorem habuit filium Ludouicum,

Ludouicus pius.

cui pio cognomen inditum est: exq; Richilde comite Hannoniæ progenita, duo liberi fuere, Arnoldus & Balduinus. Subditis amantissimus, maxime propter benignitatem, & egregios ipsius mores fuit. Tertio autem suæ administrationis anno, vita defectus, in Henone monasterio sepelitur. Arnoldus, qui illi suffectus est, cum bellum aduersus Robertum Frisonum ducem mouisset, occubuit. Post quem Balduinus, Balduini insulani nepos, comitatum est adeptus: quem cum Gaufrido in Palæstina militasse, supra scripsi. Accepta autem Gertrude vxore, filia ducis Saxonum, quam Hollandiæ comes moriens reliquerat: marem vnum, Robertum: & fœminas duas excepit. Eius opus est apud Castelletum, diui Petri ecclesia, vbi viginti sacerdotes, assignatis annuis prouentibus, collocauit. Rexit Flandriam annos

Robertus.

duos & viginti. Eo assumpto, Robertus suscepit principatum, & ad recuperandam de Mahumeti seruitute Hierusalem, operam cum Gaufrido de Buillone dedit, tulitq; ex filia Guillermi, Normanni ducis, Balduinum. Erat illi consobrinus, sacerdos, sancti Donati Brugensis præpositus: quem Flandriæ cancellarium assumpsit, iussitq; perpetuo decreto, eum posthac eadem dignitate fungi, qua præpositus haberetur. Sepultus est Attrebati apud sanctum Vedastum, post annum XVII. sui prin

Balduinus.

cipatus. Successor Balduinus cum Margaretam, Boloniæ comitis filiam, vxorem accepisset, nec inde liberos haberet, comitiali morbo affectus: Monachatum professus est, designato hærede Carolo, reginæ Dalmatarum filio: qui ei consobrinus erat. Apud sanctum Bertinum sepulturam accepit, cum annos VIII. Flandriam gu-

Carolus.

bernasset. Pari annorum numero Carolus ministrauit. Hic cum rei diuinæ apud sanctum Donatum adesset: in oratorio, ab inimicis & quidem familiaribus occiditur. Inde comitatum vsurpauit Guillermus, vicecomes Iprensis: qui vxorem ex filia Caroli Dalmatæ duxerat: sed secundo mense ab vsurpato comitatu interiit,

Guillermus.

nullis liberis relictis. Cæterum dux Normannorum Guillermus, Caroli primi consobrinus, rege Francorum Ludouico adnitente, eiecto Guillermo Iprensi Flandriā

Thericus.

occupauit, deteriora omnia faciens. Quamobrem Flandri Thericum (quem dux Dauzai ex Gertrude Caroli auia, susceperat) accersunt. Hic excitato bello, cum Thericus in oppidum Alostum se recepisset: à Guillermo Normanno circunseptus est. At Guillermus, dum obsidionem pertinacissime continuat, sagitta percussus, vita excessit, exactis mensibus XV. postquam Flandriam intrauerat. Impositus est honorifico Mausoleo, in diui Bertini æde, quæ est apud sanctum Audomarum. Fuit illi successor Thericus, quem bello persecutus erat, & Flandria extrudere conabatur. Hic apud Damiatam atque Hierosolyma, sub Ludouico Francorum rege, ordines Francorum militum duxit, vnde reuersus domum, aliquid de Christi sanguine extulisse traditur, quem in sancti Basilii templo apud Brugas reposuit, monumentum scilicet Christi passionis, quod à Flandris maxima veneratione colitur. Sibyllam vxorem duxit, Siciliensi rege prognatam. Hinc Philippus & Margareta prodiere. Margaretam Balduinus, Hannonius comes, vxorem accepit. Patri Therico apud Vatenas post II. & XL. annum sui magistratus sepulto, suc

Philippus.

cessit Philippus, Hierosolymiticam expeditionem secutus. A qua rediens, quandoquidē liberis carebat: Isabellam, ex sorore neptem, Balduini Hannonii comitis filiā, Philippo Augusto adolescenti vxorē dedit: sicut in ipsius Augusti gestis scripsimus. Inuenio hūc (nescio quamobrē) depræhensum, & in vinculis habitū interiisse: & in Claraualle Cistercii ordinis cœnobio humatū, anno Christianæ passiōis MXC.

Balduinus.

Tenuit deinceps Flandriā Balduinus gratia cōnubii, quod cū Magareta Therici filia contraxerat. Præfuit regioni cum laude, tulitq; ex vxore liberos mares duos: Balduinum, qui Hierosolymorū imperium adeptus est, & Philippū Namurci comitem: duas præterea filias, Margaretā, quæ Philippo Augusto tradita est: & alteram

Braban-

Brabantini ducis vxorem. Hunc secutus est Balduinus, qui Flandriæ atq; Hanno-niæ principatum moderatus est. Sed duabus susceptis ex vxore fœminis, Iohanna & Margareta, in Palęstinam cum Christiano exercitu mox proficiscens: post egregia multa militiæ opera, in Constantinopolitanum imperatorem assumptus est. Inde à Sarraceno hoste interceptus, nullo post tempore comparuit. Inde mortui loco filia eius Iohanna, Flandris Hannonibusq; imperauit, accepto in virum Ferrando, Portugallo genere oriundo, Francis admodum infesto. Quamobrem O-thonem Germanum imperatorem secutus, dum bellum aduersus Philippum Augustum, Francorum regem, gerit: captus in arce (cui Luparę apud Parisios nomen est) asseruatur. Mortuo sepultura fuit in monasterio Marquetensi. Iohanna vero, viduitatis pertæsa, secundas cum Thoma, Sabaudi ducis filio, nuptias contrahit. Quarto deinde anno vita excedens, cum Ferrando apud Marquetas sepulta est. Eius ęnim monasterii institutrix, nõ procul ab insula fuit. Huic soror Margareta suffecta, Flandriæ Hannoniæq; comitatus annos XXXIIII. gubernauit, magni animi fœmina. Semel enim atq; iterum nupsit. Ex priore viro Bosardo, qui ex Anglorum regum familia prodierat, Iohannem filium genuit: breuis vitæ puerum. Ex altero Guillermo Dampetro, Guido natus est, & Guillermus Guidonem (qui matre recusante Fegardi de Bethunia filiam sibi copulauerat) diu à se relegauit. Iohannem quoq; alterum filium, maiorem natu persecuta, eum exhæredare statuit: quæ causa fuit Guidoni cum matre reconciliationis. Eapropter exurgens Guillermus Romanorum rex, & Hollandiæ dominator (cuius filiam Iohannes Dauennes habebat vxorem) genero aduersus Margaretam auxiliatus est. Verum Ludouicus Francorum rex, cum medius arbiter accessisset, ex Parlamenti decreto pronunciatum est, Iohanni deberi Hannoniam: Flandriam autem, matre defuncta, Guido possideret. Mors paulo post terris eripuit Margaretam, quæ apud Flinas in monasterio eiusdem nominis (quod à Duaco Flandriam versus miliaribus IIII. distat) monumento honorata est. Ideo Flandriæ comes Guido est effectus. Cui annos VI. & XXX. præfuit, liberis tam maribus quàm fœminis fœcundus. Quinq; enim ex priore vxore masculos extulit: Guillermum: Robertum: Balduinum: Philippum, & Iohannem qui Leodiensium pontifex extitit. Filiarum (quæ quatuor fuere) nomina non inueni, præterquam vnius, Philippetæ, quæ Anglo regi desponsata, ante nuptiarum diem Parisii interiit. Ex secunda, quæ Namurco principabatur, filios tres, & filiam vnam generauit, quæ comiti Gheldrensi data est vxor. Hic Guido Anglis amicus, eos ad bellum secutus est. Tandem cum filio Roberto captus vinctusq;, moritur. Cuius cadauer apud Flinas humari rex permisit, anno MCCCIIII. Rebellantibus autem ob Guidonem captum Flandris, & tandem à Philippo subiugatis pax data est, promissis Philippo multis nummorum millibus. Cuius causa insulam Duacum & Orchias ab eis in pignus rex accepit. Post Guidonem Roberto de Bethunia Flandria obuenit: factusq; auctior est Bethuniæ atq; Teneræ Mondæ accessit. Attrebates quoq; hunc sibi patronum & defensorem, id est (vt illorum sermo est) aduocatum assumpserunt. Ex vna vxore Caroli Siciliæ regis filia Carlomanus illi natus est, quem ferunt inter scapulas crucis simulachrum ex matris vtero attulisse. Sed cum matre, non multo post tempore, obiit mortem. Ex altera (cui Niuernum atq; Rethelium attinebant) mares duos: Balduinum & Robertum: quatuor insuper fœminas excepit. Philippo autem Pulchro cum Robertus infensus esset: propterea quòd profecturo Hierusalem sexcentos auxiliares milites Robertus mittere recusauerat, Philippus tres, quos habebat, filios in comitem cum ingentibus copiis ducere iubet. Sed profectus nulla re gesta exercitus, domũ se recepit. Defuncto tandẽ Philippo, & mox Ludouico Hutino: in Philippi Longi beniuolentiã est admissus. Mortuo sepultura apud Ipras fuit, in diui Martini cœnobio, anno dominici natalis MCCCXXXII. post VIII. & XX. annũ sui principatus. Comitatum protenus assumpsit Ludouicus, Niuernensis comes, Ludouici filius: qui Franci regis filiã Margaretã vxorẽ acceperat. Nã ex cõditione nuptiarũ cõuenerat, mortuo hoc Ludouico, filiũ eius in Flandriã recipiẽdũ. Quã ob causam indignatus Robertus Cassellanus: bellũ in Ludouicum Niuernensem excitat. Sed Parlamentei sena-

Ferrandus.

Margareta.

Guido.

Robertus de Bethunia.

Robertus Philippo Pulchro infestus.

Ludouicus Niuernensis.

tus definitione sedatum est, vt in Caroli Pulchri vita annotauimus. Occubuit apud Creciacum Ludouicus, relicto Ludouico filio, qui de Marla cognominatus est, & Brugis in beati Donati æde sepultus. *Ludouicus de Marla.* Ludouico de Marla Niuernum & Rethelium cum Salinis & Machlinia accesserunt. Moxq; matre Margareta vita defuncta, Arthesium atq; Burgundiam adiuit, duxitq; vxorem Margaretam, Brabantino duce progenitam: quæ alteram Margaretam enixa est: & duci Burgundionum Philippo in connubio data, qui xv. annum agens interiit. Inde ad Iohannem, Francorum regem, Burgundia pertinuit. Quam paruo pòst tempore, cùm filius eius Philippus (cui audaci cognomen fuit) Margaretam huius Ludouici de Marla desponsasset, Philippo rex donauit: iis legibus, quas in Iohannis gestis lector agnoscet. Humatus est Ludouicus apud sanctum Petrum insulanum. Deinceps successit Philippus Audax: omnium quæ socer eius Ludouicus possederat, hæres. Genuit ex Margareta Iohannem, Anthonium præterea, Brabantiæ postea ducem, Lothricicq; & Lemburci principem & Philippum: qui Niuerno Rhetelioq; principatus est. *Philippus Audax.* Fuerunt item Audaci ex eodem coniugio fœminæ tres. Prima duci Austriæ, altera Subaudiæ, tertia Guillermo Hanonio comiti nupsit. Extruxit in agro Diuionensi Cartusiorum ædes, vbi voluit mortuus sepeliri. *Iohannes.* De Iohanne filio, quia supra abunde scripsi: non producam historiam. Eius sceleris est, quicquid hactenus simultatis & bellorum Franci principes exercent. Suscepit ex Margareta Bauariæ ducis filia marem vnum, Philippum: & fœminas sex. Vna, quæ Agnes dicta est, Iacobo Borbonio iuncta est. Hic aduersus Aurelianorum ducem grauissima vsq; ad internicionem odia exercuit. Tandem apud Monstrolium (quod ad Ionæ amnis ostium collocatum est) trucidatus: & inde ad Cartusios Diuionenses elatus, humatur anno Christianæ resurrectionis CCCCXIX. supra M. postquam annos XV. Flandriam administrauerat. *Philippus.* Philippum vidimus vna cum vtraq; Burgundia atq; Flandria: Arthesium: Brabantiam: Lothricum: Lemburgum: Hanoniam: Hollandiã: Zelandiam & Frisiæ partem, cum Salinis, Machlinia & Namurco, obtinere. Illi deinde accessit Luxemburgus. Hic patre interfecto Anglorum partiũ fuit. Cum autem vxores tres habuisset, ex postrema Isabella (quæ rege Portugallo oriunda erat) tres liberos excepit: Anthonium & Iodocum, quos cita mors absumpsit: & Carolum. Gandauos, qui suo more seditioso tumultu rebellauerant non sine suorum iactura tandem compescuit, pœnaq; affecit. Defunctus Brugis, Diuione in æde Cartusiorum sepultus est, anno salutis MCCCCLXVII. XVIII. Calendas Augusti. *Iodocus.* Patri Philippo successit hic Carolus, de quo præsens narratio texitur, à Renato Lotharingorum duce fusus. Filia eius Maria, ex familia Borboniorum ducũ, per matrem genita, *Carolus.* Maximilianum Federici Germanorum imperatoris, filium virum accepit. Ex quo Philippum & Margaretam cum extulisset, equo lapsa & inde paruo post interuallo moriens, quotquot Carolus principatus tenebat, Philippo filio reliquit. Ad hunc modum, post vnum & triginta Flandriæ comites, potentatu illustris, Burgundiæ clarissimum nomen, in sua familia, Carolus extinxit. Nisi quod illi fuerunt superstites aliquot fratres nothi, quos ex multis mulieribus Philippus eius pater susceperat.

CAP. 23.

SED de Lotharingo reliqua persequamur. Carolo duce mortuo, protenus in Burgundiam exercitum ducit, quam totam post paucos dies, Ludouici nomine recuperat. Secuti Burgundos ipsi Antissiodorenses, regi paruerunt. Certior factus de Burgundorum interitu Ludouicus, Turonum linquens, postquam suo more varias diuæ Mariæ ædes muneribus honestasset, Nouiomenses adiuit. Breuiq; tempore Mondiderium, Peronam, Abbatisuillam, Monstroliumq; cum aliquot locis, vsq; ad Attrebates, occupat. *Attrebates obstinati.* Attrebates vero, pugnacissimi & duri animi populus, parere detrectarunt, recepto in ciuitatẽ Flandrensi præsidio. Interim dum cunctantur Attrebates regi obtemperare, Ludouicus grandẽ exercitũ, & belli apparatũ cogit. Sed tandẽ captã ciuitatẽ (quę seorsum centũ fere passibus ab oppido, loco editiore sita est, & raro muro munita) instaurat, aduersus oppidanorũ vim atq; iniuriã: ad quos ex aliis recenter recuperatis locis, multi, odio nominis Franci, perfugerant. Quibus tanta temeritas fuit, vt per muros & publicos parietes furcas scul-

perent,

perent, appensis albis crucibus, tanquam ipsum regem Francosq; suspendio dignos arbitrarentur. Fuerũt qui pudendas partes reuelatas è muris militibus ostentarent, conuiciantes regi. Venere tamen ex oppidanis ad Ludouicum aliquot ex primoribus, qui hanc concordiæ formulam reportauerunt. *Manerent ipsi in regis fide atq; potestate. Vectigalia & fiscum regii quæstores administrarent. Pecuniam inde quæsitam, Maria Caroli Burgundi filia vnica, ab ipsius regis ministris acciperet, donec regi primario principi suo debitam fidem persoluerit: interim nullum regium præsidium oppidani reciperent.* His ita compositis, Ludouicus ad oppidanos mittit Borbonium cardinalem, Petrum Doriolum cancellarium, Guiotum Potum & Philippum Desquerdum: qui ab Attrebatibus fidei iuramentum exigant. Quo sanctè (vt putabatur) præstito, cum legati in diui Vedasti cœnobio discumbunt, pars perditorum hominum insurgens, clamore (vt in seditione solet) sublato, in cœnobium procurrit, frequenter vociferans, *Occidite.* A legatis tamen temperatum est. Qui protenus in ciuitatem ad Ludouicum se recipiunt. Quam iniuriam dissimulans rex, Morinum petit. Inde Hisdinum occupat, & paulo post arcem, emissis qui in eam confugerant, cum suis fortunis militibus. Dum Hisdini esset Ludouicus, Attrebates simulata ad eum legatione Admiraldum adeunt, petentes vt bona eius venia Hisdinum ad regẽ mittere suos nuncios liceat. Acceptis ab Admiraldo de profectione literis, XVIII. (Odardo Butio duce) oppido egressi, Flandriam versus iter constituunt, eo consilio, vt Mariam Caroli filiam conuenirent. Cuius doli prouidus Admiraldus, quosdam ex suis exploratum legatos miserat. Qui in fraude depræhensos ad Ludouicũ omnes perducit. Hi vltimo supplicio affecti sunt. Odardo capuciolum pellibus, aduocati more, ornatum appositum est. Erat enim publicus Attrebatium procurator, & in eo amictu caput amputatum, tignoq; sublatũ, cum inscriptione. *Hoc Odardi caput est.* Hac Attrebatium perfidia irritatus rex, dum Boloniam religionis causa pergit, circunuallare oppidum iubet. Reuersus Bolonia, tormentis muros turresq; quatit. Extruxerant oppidani contra ciuitatem propugnaculum, quo se tuentes, ciuitatem maxime infestabant. At tormentorum violentia propugnaculum à Francis ita deiicitur, vt in oppidum longe patens prospectus esset. Simulq; Ludouicus oppidanorũ bona militi diripienda publicat: quamobrem animosior factus, quã maximã spem diripiendi oppidi miles capiebat. Verum impendenti periculo perterriti oppidani, ad Ludouicũ mittunt, misericordiã implorantes: quã pręter multorum voluntatem impetrarunt, admiseruntq; ad se regis copias quantum regi visum est. Nec tamen opprobriis abstinebant, in Mariam Caroli hæredem propensi. Quam longe à se in Flandria agentem, non minus quàm numen aliquod obseruabant: ita, vt quidam ob perfidiam in regem capite damnati, cum securim ceruici districtam vnico euadere verbo potuissent, mori pertinaciter maluerint, quàm dicere, *viuat rex.* Mulctati sunt Attrebates multa fusi celatiq; argenti copia. Nec eo magis demissiore animo erant. Quamobrẽ veteres loci incolas Ludouicus in penitiorem Franciã transfert, vocatis ex reliquo regno nouis colonis, quos in illorũ locum, velut in nouã coloniam, mittit: mutatoq; nomine Francisiam Attrebatum vocat. Interim magnopere studet Ludouicus, quomodo Mariã Caroli filiam ad se traducere posset. Promittit itaq; puellæ maritum ex regio genere dare, nec sinere eam dispendio aliquo affici, sed ditionẽ, quæ ad eam pertineret, tanquã suam defensare. Cuius rei causa Oliueriũ Dammam, regium tonsorẽ (qui Flandrensis erat) ad eam mittit. Non enim Franco alicui principi rex satis confidebat, ne legationis munere fretus, perniciosum quicquam machinaretur. Oliuerius aũt postquam ad Mariã venit, solita temeritate vsus: vel quòd ita in mandatis acceperat, petit apud Mariã seorsum colloquium habere. Quod cum puellę pudori atq; celsitudini non conueniret, sermonẽ priuatim facere non impetrat. Sed ea, quæ à Ludouico acceperat, dicere præsentibus, ad hoc à Maria delectis proceribus, illum oportuit. Nec legato fides habita est. Igitur ad Ludouicum inanis reuertit. At Flandrenses, tametsi omnẽ belli rationẽ vitare cuperent, Francis tamẽ relictis, ad Germanos respiciunt. Erat Frederico Alemanno imperatori filius Maximilianus, vnũ & vigesimũ annum agens. Cum hoc nuptiarum fœdera conciliant. Nam, quòd pater ad impe-

Attrebatium pœnæ.

Francisia.

ratoriam maiestatem plurimum thesaurum, per annos ferme quinquaginta, quibus imperium administrauerat, adiecisse putabatur, spes illis erat magni aduersus regem Francum subsidii. Ea re cognita, Ludouicus Henricum Hisbucum Coloniensem, qui à puero apud eum fuerat educatus, specie visendorum amicorum suorum in Alemanniam ire iubet, vt reuera exploraret, quid de nuptiis ageretur. Henricus cum Argentinam venisset, cognoscit de ineundo fœdere conuentum apud Francfordiam ad Calendas Iunias edictum esse, quò ipse imperator & cum eo Maximilianus, ipsi quoq; Flandrenses conuenirent. Curat propterea Ludouicus Francfordiam nuncios mittere, eiusq; negocii munus mihi committit, mandans oratoris nomen non prius assumere, quàm compertum mihi esset, qui Germani principes suas partes tuerentur. Summa legationis fuit, Francfordiæ in conuentione ipsa memorare, quæ amicitia inter imperatores regesq; Francos diu permanserit, quibus legibus atq; institutis perseuerauerit beniuolentia. Mariam Burgundi hæredem, feudi legibus erga Ludouicum astringi, longo vsu obseruatumq́; esse, ne qua illustris inter Francos fœmina viro peregrino, iure nuptiarum, rege inconsulto, coniungatur. Decere illam patriis obtemperare institutis, imperatoriæ dignitatis & fidei esse, non violare amici iura. Temperet igitur Fredericus, ne id committat, quo veteris amicitiæ sanctitudo offendatur. Talibus mandatis edoctus, apud Argentinam Henricum Hisbucum offendi. Vbi dies sex immoratus, cum de conuentu Francfordiensi nuncium nullum accipimus, fama aduolat Maximilianum per Rhenum amnem Coloniam petere. Eò propterea festinantes, Maguntiam proficiscimur: quò Mariæ quoq; oratores se conferunt: rati Maximilianum in eam ciuitatem aduentare. Verum nulla statione Maguntiæ facta, præterlabitur & Coloniam perpaucis comitatus contendit. Quem & nos item secuti, Coloniam peruenimus, clam sciscitantes, quisnam princeps Francorum amicitiam sequebatur, cui literas, quas permultas à Ludouico habebam, redderemus. Vnum tantum neq; satis perspectum Iuliaci ducem conuenimus. Qui legatione accepta respondet, nos tarde quidem (negocio expleto) aduentasse, se Maximiliano fide astrictum esse, à qua sine dedecore resilire non possit. Neq; tuto nos diu in eis locis diuersari posse, quæ inimica nobis essent. Sed tamen obnixe curaturum, ne quid nobis aduersetur. Post dies viginti, quibus Maximilianus profectionem in Flandriam parat, eo quo Colonia egressus est, die Aquisgranum accessimus. Quò præterea Maximilianus, centum supra mille tantum equitibus stipatus, se contulit. Postera autem die ad Ludouicum, quàm maximis potuimus itineribus, per Leodios primum, inde per Campaniam atq; Arthesium festinantes, rei à nobis gestæ fecimus certiorem. Erat enim per hos dies Morini, præmiseratq; ad sanctum Audomarum magnam copiarum suarum partem, vt locum obsidione cingeret. Redierant eo tempore ex Anglia Viennensis archiepiscopus, & Oliuerius Ruffus: qui Ludouico retulerant, Edouardum polliceri auxilium, missurumq; in Hollandiam supra viginti militum millia (si ita Ludouicus volet) qui terram ipsam occupent. Inter hæc dubius rex, animo pendebat, quorsum inclinaret, cum subito defertur Maximilianum XVI. millibus armatorum potentem Basseiam aduenire. Qua re adductus, copias protenus à sancto Audomaro reuocat: Cameracumque profectus, copias maiores contrahit, nunquam satis sui securus. Admiserant enim

Cameracēses.

Ludouicum Cameracenses, appositis legibus. Cuius rei non multo post eos pœnituit, Marrafino illis præfecto, qui ex sacris reliquiis auro argentoq; (vt fama fuit) detracto se ditauit. Itaq; torque multi ponderis ornatus, cum ad Ludouicum venisset, illi occurrens Briquebecus, torquē venerari simulauit: quòd ex sacris rebus conflatam esse accepisset. Cumq; torquem palpare tentaret, noli, inquit Ludouicus, tangere, res enim sacra est. Eius sacrilegii Marrafinus nō tam autor fuisse fertur, quàm ille (cui Iohannes de Daillon nomen erat) à qua grauia Attrebates etiam incommoda acceperunt. Ludouico autem religiosa cura incessit, ablata Cameracensibus restituere. Studebat enim eos sibi subiectos perpetuo, & Parlamenteo senatui reddere audientes: licet ad Germanici imperatoris ditionem pertinerent. Ex Cameraco senatum Parlamenti Ludouicus Nouiomum accersit. Vbi de Iacobo

cobo Nemorsi duce (quem Carlati deprahensum diximus) quæsitũ est. Qui propterea, quòd post habitam apud Rionem cum rege cócordiam, cum hostibus senserat IIII. nonas Augusti, ob læsam maiestatem morte damnatus, capite apud Parisios in foro publici mercati, apud hallas punitus est, & eius cadauer à fratribus diui Francisci in eorum ecclesia sepultum. *Dux Nemorsi*

Cap. 24.

PER eos dies ortis inter principem Auraicensem & Craonum, ob Burgundiæ administrationem, inimicitiis, dum res bello decertatur: Auraicensis à fratre adiutus, qui Castelli Guionis dominus appellabatur, & Claudio Valdraio, Guium in Sequanis oppidum accedens, à Craono impetitur. Vbi commissa pugna, cecidere vtrinque quingenti supra mille armati. Quamobrem, quia Frácis victoria fauisset, supplicationes decretę sunt.

Cap. 25.

EODEM præterea tempore dux Geldrensis mille & quingentis Alemannis instructus, Tornaci suburbia cremare cóstituens, à Tornacensibus primo conflictu occiditur, & in vrbem infertur. Secundo vero erumpentibus in Alemannos equitibus Francis, cum aliquot vrbis incolis cædem fecere duorum millium, septingentis viuis compræhensis. Et cum Flandrenses ad Blancam fossam multo numero castra haberent, missis in eos copiis profligati, ad duo millia cecidere. Reliquorum in fuga depræhensorum duo quoque circiter millia corruerunt. In Sequanis vero (quos vulgus altos Burgundos dicit) non paruam Francorum cædem Auraicensis apud Greium & alia ad Ararim, id est, Sagonam loca fecit: eorum imprimis, qui sub Salazardo & Conigano Scoto militabát. Eadem tempestate Caroli Magni & diui Ludouici simulachra, quę in ædibus palatinis apud Parisios, inter regum statuas suo ordine posita erant, ad caput aulæ (vbi sacellum constructum est) iubente Ludouico posita sunt. *Geldrensis dux capitur.* *Flandrenses caduntur.*

Cap. 26.

ACCIDIT per id tempus in Anglia Edouardi in fratrem, Clarentiæ ducem, dita sententia. Constituerat Clarentiæ dux, sorori (quæ Burgundo duci olim nupserat) auxilium præter Edouardi consilium ferre, quamobrem compręhensus, & in vincula coniectus, multis pòst interiectis diebus, cósilio ad Edouardi præsentiam aduocato, dux hanc in se sentétiam accepit. Ex Londoniensi arce, extra ciuitatem, ad patibulum traheretur: ibi conspiceret intestina sua cremari, cui mox caput tolleretur, & cadauer quadrifariam secaretur. Sed à tam ignominiosa damnatione (hortante matre) temperatũ est. Eius tamen supplicii genus hoc fuit. Itaque in maluatici vini dolio viuus extinguitur, & inde exemptus capite truncatus est. Alterã mortis causam Angli afferũt, quòd ille regnum expulso Edouardo affectarat. *Gaudet siquidem Anglorum gens, vel exactione & exilio, aut nece suos reges commutare.* *Edouardi in fratrem seueritas.*

Cap. 27.

PER hos dies Edouardus misso Hisdinũ ad regẽ Hauarto, res Flandrensiũ componere frustra tentauit. Interim, quia Condeti præsidio Tornacenses infestabantur, ita, vt commeatus ad illos difficile importaretur: Ludouicus oppidum cum arce recepit, discedentibus inde cum suis fortunis militibus. Condetó capto, Cameracum, moxq; Attrebatũ Ludouicus petit. Quò Maximilianus Flamingiq; de pace ad regem legatos mittunt. Promittunt relicturos se Ludouico Arthesium, Duacum, Insulam, Orchias, sánctum Audomarũ, cum vtraq; Burgundia, si ab armis rex cesset. His promissis confestim credulus rex, Cameracum, Quesneium, Bouchiuiumq; cum reliquis, quæ occupauerat, locis Flandrensibus restituit. Et vt fidem promissis detrahere non putaretur Maximilianus, castra inter Duacum Attrebatesq; locat, vnde cum Ludouico expeditior congressus esset. Duxit regem multis verbis Maximilainus, nec fidei satisfecit. Interim Carolus de Ambasia Burgundo bello à Ludouico præfectus, multas árces atq; oppida (quæ ad hostes desciuerant) recuperat, Beluensesq; quadringenta millibus nummorum aureorum mulctat. Mittuntur paulopost Attrebatum à Maximiliano oratores, quibus cum præter vnius anni inducias, nihil actum est. Redeunte à Picardis Ludouico, vt erat in superos magnopere deuot⁹, diui Martini Turonẽsis exterius feretrũ, quod ferreũ erat, ex solido argẽto fabricare mãdat. Opus ipsũ vsq;quaq; absolutũ, ducẽtis millibus librarum Turonensiũ, cóstitisse fertur. Nec differt consiliũ Aurelianis habere. Vbi eius loco Petrus, Bellioci dominus, præsedit considentibus plurimis maiorũ eccle- *Maximiliani astus.* *Feretrum diui Martini argenteum.* *Contio Aureliamensis.*

strarum sacerdotibus,atque studiorum generalium insigniumque ciuitatũ legatis. Enimuero de pragmatica sanctione,de qua variæ sententiæ ferebantur,deq; ecclesiarum annatis,quarũ gratia ingens è regno Francorũ pecunia Romã quotãnis exportabatur,inquirere cupiebat:adhibita moderatione, ne tantũ nummorũ Romana auaricia sine rei Christianæ cõmodo exigeret. Ad eam rẽ aduersus Romanorũ ambitionem Ludouicus sublimi ingenio & doctrina viros apud se(constituto illis stipendio)alebat. Inter quos Martinus,cognomento magistri, Theologus doctor fuit,litteratura celebris,qui de quatuor virtutibus (quas vocant cardinales) laudatissimũ scholasticis volumen scripsit,non multo post morte absumptus. Sed mox cœpti pœnitens Ludouicus,Aureliam cum venisset,contionem dissoluit:dicens se eandem Lugduni postea habiturum.

Cap. 28. Per eos dies apud Aruernos,in cœnobio Issoriensi monachus quidã,cum hermophrodita esset,grauidus est effectus,asseruatusq; summa diligentia donec parturiuit.Eadem præterea regione leo domesticus domini sui domo elapsus, cõplures viros fœminasq; vorauit, donec egressus in eum cum multitudine incolarum dominus,cum forte leo apparuisset,cognito domino,ad eum se belua cõtulit.Quã confestim multis telis turba cõfodit.Apud Attrebates Simon Courthosius, Ludouici per Arthesiũ vniuersalis procurator,malæ fidei homo,simulat sibi in Flandria negocium esse,quò per inducias(quę positæ erant)profectus, Mariam Maximiliani vxorem adit,ante omnia precatus, se in seruum illa recipiat. Illi quidem obsequi,quàm regi malle,cum ad illam Arthesii comitatũ pertinere maxime cõstet. Si in officio,quod a Ludouico habebat, per eã confirmetur, se nõ minus fidum fore, quàm suam familiã,quę Burgundę domus celsitudinẽ olim secuta esset. *Maria* (cuius studium erat multorũ amicitiã comparare) homini assentitur, eumq; ad fidẽ & iusiurandũ admittit. Ille officii & Mariæ benignitatis securus, spe bona domũ reuersus,accusatur perfidię. Captusq; & Turonũ ad regem ductus,postquam crimẽ confessus est,capite truncatur. Tale fuit præmium proditoris.

Cap. 29. *Bombarda.* Per eos dies anno salutis MCCCCLXXVIII. machina ingẽs (quam bombardã dicunt)Turoni conflata,& inde Parisium vecta,triste sui spectaculum præbuit. Ad diui Anthonii portã,extra muros,cũ instrata & cõposita prorsus à peritis eius operis esset,dum pila ferrea pondere quingentarum librarũ in cauum machinæ deuoluitur,ignem excutit:quo pila ipsa repẽte depulsa,machinæ imprimis autorẽ, moxque quatuordecim proxime astãtes viros,ita dissipauit,vt per aerem membra prouecta,ægre inueniri & colligi potuerint. Longius quoq; euolans pila, aucupẽ auibus insidias ponẽtem oppressit. Alii præterea sex violentia spiritus & sulphuris fætore grauem valitudinem incurrerunt. Iohannes Mangueus (qui machinã conflauerat) frustatim per agrum receptus, apud sanctum Medericum sepultus est. *Cameracenses.* Iam vero ad Picardos cõuertamur. Cameracenses,quamquã præfectum haberent dominũ de Fiennis,eius nationis insignẽ equitẽ,cũ bono Francorũ pręsidio: deficientes tamẽ ad Maximilianũ,eius militẽ accersunt,Frãcis expulsis. Nec minus perfidi *Bouchinienses* fuere Bouchiniẽses:qui nondũ finitis induciis Flãdrensiũ cohortes receperũt,interimẽtes quosq; in arce depræhẽsos Frãcos. Ea re cognita,Ludouicus nouas copias cũ multis machinis atq; tormẽtis ad Carolũ de Ambasia,q̃ Cãpaniã moderabatur, mittit:imperatq; Sequanos,id est,superiores Burgũdos petat, eosq; acerrime infestet.Paret Ambasianus Ludouico,& mox arcẽ Rochefortẽ capit. Dolã insuper vi expugnat,diruitq;. Quibus de rebus cũ nunciũ rex accepisset, vehemẽter gauisus est.Cogitauitq; per Cãpaniam Luxẽburgũ proficisci,quã regionẽ cõstituerat,tanquã ad se pertinẽtẽ recuperare,sed aliis distractus, cœpto destitit. *Maximilianus Morinos petit.* Nã Maximilianus,qui grãdẽ exercitũ coegerat,ex Flãdria mouẽs,Morinos adoritur.Erat Morini validũ Frãcorum præsidiũ,cui præfectus imperabat auratus eques,de sancto Andrea nomẽ habens, militiæ peritissimus. Eius opera ciuitas defensa est. Vbi autem Maximiliani aduentus ad cohortes per viciniora Morinis loca perlatus est, confestim erumpunt,Morinis subsidium præbituræ.Incedentes autem,cum iam ab oppugnatione depulsus Maximilianus esset,hostem procul conspiciunt,quadraginta pæne armatorum millibus instructum : quem Maximilianus Romontusque

imprimis

imprimis ducebant. Francorum copiis præerat Philippus Desquerdus: qui protenus signo dato, prælium committit. Cecidere ex prima Burgundorũ acie permulti, sarcinis eorum preciosis direptis atq; amissis, & qui fugæ se mandauerunt, eos miles Francus Aeriam vsque persecutus est. At Franci sagittarii, rati se victoria potitos esse, dum prædæ animum intendunt, à Romonto comite intercepti, nõ secus ac oues, apud Guinegatam mactantur. Ex Burgundis vndecim: ex Francis quinque millia occubuisse relatum est. Periit in ea pugna præfectus Beluosianus, & Vastus Monpedon, Rothomagensis prætor. Venere viui captiui in manus Frãcorum nongenti fere Burgundiones, inter quos Poloniæ regis filius fuit. Receptis post pugnam militibus, Maximilianus Malannoium, non procul distãtem arcem (cui pręerat Cadetus Remonetus Vasco) expugnat. Cadet⁹ autẽ, fide ab iis, qui eũ cęperãt, accepta: cũ ad Maximilianũ perductus esset, & triduo in vinculis habitus, Maximiliani iussu strangulatus est. Quo illiberali atq; inhumano facto exasperatus Ludouicus, ex omnibus Burgũdis, qui à Frãcis capti tenebãtur, quinquaginta selectos pari supplicio afficere mandat. Ex quibus eodem, quo Cadetus necatus fuerat, loco septem suspensi fuere: decem in conspectu portæ Duaci, totidemque proxime insulam, & apud sanctum Audomarum pari numero: non procul deniq; ab Attrebato alii decem laqueis vitã finierunt. Eius supplicii præpositus regiæ domus exactor fuit, octingentis ad sui tutamen equitibus, & Frãcorum sagittariorum sex millibus stipatus. Qui exacto supplicio non longe à Guinis viam facientes, dum Flandriam versus incedũt, decem & septem munitiora loca occupant: vnde exacta multimoda præda, ad sua præsidia rediere. Afflicti sunt præterea magno detrimento Flandrenses, qui LXX. nauibus ex Pruscia cum plurimo cõmeatu nauigantes, à Columno Normanno superati, totis nauigiis & mercibus à Francis spoliati sunt.

Hæc rem alii aliter, vt post finem Gaguini scriptorum videre est.

Pugna Guinegatana.

INCIDERAT his diebus in mentem Ludouici, aduersus Iohannem Borboniorum nescio quid iracundiæ: ita, vt perdere hominem velle videretur. Quæsiuit profecto aduersus ducem, cui soror nupta erat, eius perdendi occasionem. Vnde Iohanni Auino, parlamentei senatus consiliario, & Iohanni Doico Aruerno negociũ committit plurima præter patrias leges aduersus Borbonium perpetrandi: vt inde irritatus Borbonius, aliquid in regem patraret, quo in eum meritò rex moueretur. Nec veritus est Doiacus, præsente duce, prętensis sibi velis & tapetibus sericeis atque aureis assidere, & ius dicere. Diem præterea dicere ducis insignioribus officiis, in parlamenti senatu se sistendi: inter quos affuit Iohannes Hebertus Constantiensis antistes, qui in custodia asseruatus est, & eius bona regiæ ditioni deputata. Quo tempore rursus cum Maximiliano, VII. annorum induciæ intercesserunt: cõsilio magis alterutrum fallendi, quàm ineundæ pacis. Trahebat enim Maximilianus Ludouicum multis promissis, quæ soluere ipse minime constituebat: insidiabatur illi Ludouicus, si ingenio aliquo à Galliis extrudere illum potuisset. Sed per id tempus ægrotare maxime Ludouicus cœpit. Nam comitiali morbo cum interdum premeretur, elephãtiæ quoque occulta indicia præ se ferebat, & hęmorrhoide crebro vexabatur. Quamobrem medicorum diligenti opera vsus est, & pręsertim Iacobi Quoteri Burgundi, qui ad extremam illi vsque diem obsecutus est: multis opibus ab eo ditatus. Valetudine autem paulisper leuatus, nihil prorsus vel serium vel ludicrum prætermisit: quod ad bonam valetudinem conueniret. Nam multa excogitauerunt cubicularii ad exhilarandum eum, sicut maiorum murium venationes, quas in cubiculo exhibebant. Condiderat ex tabulatis & curribus munitiones, quæ suo ambitu grandem exercitum complecterentur, vbi miles tãquam in vrbe cõtineretur. Neq; illę minus solido ciuitatis muro, siue ad iacienda, siue ad repellenda tormenta firmæ erant, poterantque dissolutæ, quorsum iussisset rex, vectura transferri. Eas laxandi potius animi causa, quàm necessitate in planicie pontis arcis explicari, & in eis milites pro loci magnitudine induci iubet, eiq; negocio Philippum Desquerdum & Guillermum Picardum pręficit, mandatq; militem ibi mensem vnum totum agere, cognoscendi gratia, quãto commeatu opus illi esset. Re aliquot dies perspecta, militẽ in sua pręsidia dimisit: ipse Turonũ proficiscitur. CAP. 30.

Campus regis

EADEM tempestate Franciscus Britonum dux, missis Mediolanum nũciis, qui CAP. 31.

arma cōpararēt, atq; ad se ferrēt: dū per Aruerniā arma (velut fasciculatas & bōbice, ne pulsu tinnirēt, obtectas merces) nūcii vehunt, Doiacus cōpræhendit: quibus armis eū rex cōfestim donat. Lætus quòd Britonē hoc dāno affecisset. Non multis post diebus cū grauius solito ægrotaret Ludouicus, certauit magnis munerib⁹ opē à diuis impetrare, quibus cōplures ecclesias abūde ditauit. At cū vota oblationesq; illi parū procederēt, nouissime diuo Iohāni Baptistæ deuotus extitit. Instituitq; in sacro sacello Parisiaci palatii missam, dietim perpetuo cantari, quæ de ipso dominico Baptista esset. Cantatoribus autē libras mille annui census designauit, ex vectigali, quod Parisiani portitores à vectoribus marinorū pisciū exigūt. Diuū præterea Claudiū, qui apud Sequanos in mōte Iura colitur, religiose veneratus est. Adiuitq; monasterium multa militum manu stipatus. Prius tamen quam peregrinationem assumeret, Carolum filium Petro Borbonio cum regni administratione committit. Quo tempore dum annus salutis M C C C C. vnus & octogesimus agitur, fames complures absumpsit. Longa enim inedia vexati plerique: cum acceptum dono cibum manderent, illum ad stomachum transmittere, coercitis inedia arteriis, non poterant. Hoc diro incommodo Lugdunenses, Aruernii, Borboniique imprimis laborauerunt.

Dira fames.

Cap. 32.

ANNO, qui secutus est, Iohāna Ludouici soror, Iohānis Borboniorū ducis coniunx, Molini febre interiit: mulier ante alias optima. Mortua quoq; est Maria Maximiliani vxor, relictis liberis duobus, mare & fœmina. Peregrinatione Claudiana exacta, Ludouicus Clериū veniēs, nouē totos dies in tēplo diuæ virginis religionis gratia diuersatus est. Alleuatusq; paululū morbo: Magdunū se contulit, nec diu ibi moratus, Cleriū cū redisset: Flādriæ oratores audiuit: qui de pace ad eum venerāt. Quibus perbenigne respōsum est. Quare ad suos læti reuertētes, reliqua, quæ paci cōueniebāt, tractauerūt. At sub ipsum tēpus Aëria ad Lisam flumē (quo Flamingi ab Arthesiensibus disiungūtur) à Philippo Desquerdo recipitur, dedēte illā oppidi præfecto, qui triginta scutorū aureorū millibus à Ludouico muneratus, præfecturā quoq; centū equitū cū solito stipēdio accepit. Apud Leodios fuit Ludouico Borboniensi aduersa fortuna. Nā Guillermus Marchianus (quē Arduennæ aprū Leodii vocāt) belli quæsita occasione: Ludouicū episcopū, cū incōposita populi multitudine vrbe egredientē, ex insidiis adoritur, & manu sua necat, mox pōtificis nudū cadauer pro ecclesiæ maioris foribus plebi conspiciendū exhibuit. Fertur eū à Ludouico rege pecunia militeq;, vt id faceret, fuisse adiutū: propterea quòd Maximiliano antistes cōplaceret. Nō erat Ludouico à morbo requies: seque indies magis ac magis debilitari sentiebat, & mortis metu angebatur. Nemo enim fuit illo vitæ cupidior. Tamē prouidus finis Ambasiā se portari iubet. Ibi Carolū filiū admonēs: *Sum* inquit, *carissime fili breuioris, quàm æstimas vitæ: vtique morbo afficior, cui nulla subuenire medela queat. Tibi post me regnandum est, in qua re tibi maxime necessarii sunt fideles ministri. Inter plurimos, quorum fidem & diligentiam ipse expertus sum, duos tibi commendatos facio, Oliuerium Dammā & Iohannē Doiacum. Illius seruitio ita vsus sum, vt eius maxima ope vitam mihi diu seruatam esse putem. Illum in tuo obsequio post me habeto, nihil de officiis aut fortunis quæ seruiendo consecutus est, illi detrahi sinito.*

Leodii.

Ludouici ad filium oratio

Guiotum quoque Potū & Bochagium ita existimabis: vt viros consilio & prudentia valentes. Philippum vero Desquerdum in rebus bellicis plurimum scire atq; intelligere dubius non sum: eius prouidentia atque moderamine, dum bellum erit, vtitor.

Cæteros qui magistratus à me aut officia adepti sunt, conseruato. Populum, quem ingruentium bellorum necessitate multis vectigalibus extenuaui, quoad per te fieri poterit, leuato. Matri ne credito cum enim Sabaudiensis sit, Burgundis fauere mihi semper visa est. Alioquin bonam & pudicam illam sum arbitratus. Hæc postquam dixit, Turonum reuersus, excogitauit à musica valitudinis leuamen quærere. Quamobrem accersiri mandat omnis generis musici instrumenti lusores quos centum & viginti conuenisse constat. Inter quos affuerunt ouium pastores: qui multos dies non procul à regis cubiculo continenter modulabantur, eius consolandi causa, & ne somno, quo grauabatur, succūberet, iussit præter hoc hominū genus, alterū lōge diuersum ad se conuenire. Solitarii & qui eremū incolebāt homines, quiq; opiniōe sanctitatis plurimi æstimabantur.

æstimabantur. Fœminæ quoque spectatæ religionis Turonum conuenerunt, quibus negocium mandatū est, deū indesinenter orare: vt regi salute restituta, maneret ipse diu superstes. Tam appetens diutissime viuendi fuit Ludouicus. Præsagiebat credo animo turbationes, quas ipso mortuo regni administrandi concupiscentia importauit.

Cap. 33.

Venere per id tempus ad valetudinarium regem Flandrensium, Brabantinorum & Hannoniensium oratores, quos per Iohānem de Vaccaria, primarium parlamenti præsidentem & Philippum Desquerdum audiuit. Post aliquot conuentiones tandem de pace conuenit: vt Carolus Ludouici filius Margaretam Maximiliani filiam, dum legitima vtrique ætas esset, acciperet vxorem. Donantur à Ludouico legati. xxx. millibus scutorum aureorū, præter pocula argenti cælati, quod illorū causa rex cudere iusserat. Erat autem Margareta infra bimatum & à Gandauis educabatur. Igitur redeuntibus Gandauum Flamingis oratoribus, fit apparatus ingens, de Margareta ad Francos ducēda. Nec minus curabat rex magna pompa Margaretam à Flamingis recipere. Ob eam rem Petrum Borbonium cum multa procerum frequentia Ludouicus illi obuiam mittit. Annam quoque sororem, quæ Petro nupserat, occurrere nouæ nuptæ iubet. Fit pręterea à Parisiis multiplex & varium ad eam excipiendam paramentum. Quarto autem nonas Iunii, anno salutis MCCCCLXXXIII. Margareta Parisium ingreditur, infans puella. Et paulo post ad Ludouicum Ambasiam frequenti pompa deducitur: vbi desponsationis festum communi omnium læticia mense Iulio celebratum est. Quò anno Ludouicus sursum deorsumq; à superis, hominibusq; opem suæ valetudini implorans, sacrum liquorem (quem sacrando Remis Clodoueo çælitus missum supra diximus) ad se Turonum deferri iubet. Allata est præterea ex sacro palatii sacello summi sacerdotis Aarō virga, & victoriæ crux: quam Carolo Magno diuinitus fuisse datam plerique asseuerant. *Sed definitæ mortis nemo limitem produxerit.* Infirmatur in dies magis ac magis Ludouicus: nec prosunt miris modis quæsitæ & raro antea excogitatæ medicinæ. Nam humano sanguine, quem ex aliquot infantibus sumptū, hausit: salutem comparare vehementer sperabat. Verum tertio Calendas Septembres apud Turonos moritur: qui mortis supplicium aut metum multis frequenter incusserat. Voluit autem in diuæ Mariæ apud Cleriū templo sepeliri. Vbi monumētum sibi extruxerat, in quod viuens adhuc descenderat, decubueratque, tentans si cadaueri eius monumentum quadraret. Qui tametsi durissimis pro suo arbitrio institutis nobilitatem populumque presserit: operæ tamen precium regno erat, aliquot illi annos vitam superesse, donec Carolus adoleuisset, quem tenerum & nullo rerum vsu exercitum hęredem relinquebat. In hunc Ludouicum hoc lusimus epigrammate ęx eius persona loquentes:

Carolus Margaretam, Maximiliani filiam desponsat.

Ne dubites vero me dicere nomine regem,
Lex ego, pœna, modus, gratia cuique fui.
Audiuit Francus prona ceruice iubentem:
Mox aderant dictis facta relata meis.
Nec satis hoc. nostra vultu præcognita mens est:
Et solo nutu plæraque gesta meo.
Et si vnquam in terris potuisti cernere numen:
Me tanquam æthereum credere fulmen habes.
Pascua, pastor, ager, bos, grex, armenta, colonus,
Sanguineque & fastu nobilitata domus.
Clerus item: & vastæ patiens habitator eremi:
Aut lucro illectus paruit: aut tremitu.
Hoccine miraris? potius mirabere Romam:
Quæ pede concordi vota secuta mea est.
Vix habet in sacris venerandum Francia patrem:
(Principe me) quem non fecit apostolicus.
Nonne vel oblatis tentaui vincere diuos?
Plurima numinibus quæpia dona dedi.

Quid memorem saltus: quid classes, spicula, telas?
Mille meis canibus silua ferebat apros.
Crimen erat cuiuis lustris errare ferarum:
Caprea, dama, lepus, omnia regis erant.
Ardea per nubes: per sentes abdita perdix,
Falcone emisso decidit esca mihi.
Quin etiam sæuos astu tardauimus hostes,
Et tandem incautos fecimus esse nihil.
Rhenus, Arago, Ligur, Ruscillo, Sabaudus, & Anglus,
Ingenium, moresque extimuere meos.
Quodque magis stupeas, glaciatis amnibus altis,
Gammarus est raptim iussus adesse cibis.
Nec dubium, lictor iussus distringere ferrum,
Pergeret humana vellere carne iecur.
Et terra & pelago, quantum natura reponit
Præsumus. Sed habet vltima fata caro.
Millibus ipse tamen multis ditatus alyptes,
Pugnauit genesis ducere lustra meæ.
Sed medicas cohibet naturæ conditor artes:
In mortem nulli est imperiosa manus.
Cætera sunt nobis subiecta timore, vel armis,
Nunc verme & sanie non redimendus agor.
Me dicas posthac Ludouicum multipotentem,
Flectere pro nutu maxima qui potui.

ROBERTI GAGVINI
HISTORIÆ FRANCORVM
LIBER VNDECIMVS.

Cap. I.



OLENTI mihi deinceps scribere, lacrhimæ suboriuntur: dum fluidas vitæ spes & fortunæ volubilitatem attentius considero. Hic enim qui proxime sequitur magnanimus princeps, superata, quam ægerrimè exegit, pueritia, cū adoleuisset, expectationem quidem inter vitium virtutemque de se dedit. Sed decursis aliquot annis dexterior factus: & voluptati frænos ponens, qualis futurus esset, facile potuit intelligi, nisi præceps illū morbus, & inexpectata mors adolescentiam vix supergressum abstulisset. Fuit enim illi (cui Carolo VIII. nomen erat) mitius ingenium & natura benignior. Quem nulla eruditione latina institui pater voluit. Existimans litteras impedimento esse regnantibus. Idque de se iudicium faciebat, quòd cum excellenti ingenio esset: & plurima nosset: ad molestiam sibi eruditionem accedere dicebat. Credo Ludouicum prouidere Caroli fragilitati voluisse: cui infantiam non satis firmam esse conspiciebat. Teneris enim atque imbecillibus membris primo Carolus fuit, ita vt sedulo duci illum & gestari molliter, priusquam solide incederet, oportuerit. Cui incommodo doctrinę studiū & laborē non congruere, pater arbitrabatur. Alioquin erat Carolo animus disciplinæ appetens. Nam Ludouico mortuo, cum regiā adeptus est dignitatem, scriptos Gallice libros libenter legit: tentauitque latine scire. Consecratione Remis suscepta, protenus de superfluis Ludouici donationibus, ratio habita est. Quæ ad ius fisci reuocatæ sunt. De Oliuerio Damma cū propter multa, tum ob necem ab eo, Ludouici iussu, perpetratam, vltimū supplicium sumptū. Nam cum Daniele quodam Flamingo sibi plurimum in flagitiis familiari vitam patibulo terminauit. In quem sequens carmen à nobis editum est.

Sunt

Sunt sua criminibus ridentia tempora tonsor.
Curre[illegible]e subito prouida parca vetat.
Hoc poteras olim longe praenoscere Damma,
Vt saltem horreres tollere caede pios.
Te natura humilem cùm mater Flandra tulisset,
Arte vna noras radere caesariem.
Hunc talem & seruum te saepe Lutecia vidit.
Tutus ab hac poteras ducere sorte dies.
Raptus ad excelsam Ludouici principis aulam,
Mox erebi furias moribus anteuenis.
Et crinem huic tondens, dum suffers lingere ficos,
Par ducibus, regi regulus alter eras.
Quid tibi non licuit soboles ô dira Neronis?
Nemo non vixit te referente reus.
Nemo dei sacra, caesuram nemo gerebat:
Grandia qui renuit promere dona tibi.
Protenus auxilium, vel mors, vel mulcta, negantem,
Pressit: eras iudex, lictor, & exitium.
Regnasti: satis est. surgunt noua sydera mundo:
Turba scelestorum territa luce fugit.
Agnosce ô tonsor quò te scelus extulit atrox.
Et te praecipitem propulit in laqueos.
Te Daniel: te dira cohors: te Memmius odit:
Et scelerum auctorem damnat, & insequitur.
Nescio quid de te superi, vel fata reponunt,
Seu lictore cades: seu cruce liber eas.
Vna tamen vulgi constans sententia, furcas
Expedit: vt satiet, te pereunte, odium.
Interea vinctus culpas absterge gemendo:
Peccâsti: morte est nunc redimenda salus.

Doiaco aures amputatae. Sed statim ab initio suscepti regni ortae sunt de Caroli tutela & regni administratione discordiae, aegre ferentibus plerisque, Annam Caroli sororem rebus gerendis anteferri. Primus ob eam rem Ludouicus Aurelianorum dux (quasi praeludente sibi ad regnum fortuna, quod mortuo Carolo est assecutus) bellum mouit: multa prius molitus, vt regni gubernacula reciperet. Iohannam enim alteram Ludouici filiam vxorem habebat. Sed expectatione fraudatus, apud sanctum Albinum (qui locus Britonum est) dum cum Britonibus sociis non satis foeliciter praeliatur, captus est, & in arce Biturigum diu asseruatus. Sed de viro sollicita vxor, quia regis soror erat, crebris postea precibus mariti liberationem impetrauit. Libertati restitutus, fidem Carolo debitam, Maximiliani coniuratione relicta seruat. Inde Maximilianus (qui Burgundiam Arthesiumque post Caroli soceri sui interitum à Ludouico occupatum repetebat) magnis viribus insurrexit. In Britones quoque (Francisco duce defuncto) arma à Carolo sumpta sunt. Superstites erant Francisco filiae duae, quibus vna appellatione Anna nomen erat. In has donec fidei iura secundum fundi leges persoluissent, neue rege inconsulto nuberent, bellum indicitur. Fit in Nanatenses incursus, & dura sed tandem inanis obsidio. Misit Britonibus Henricus VII. Angliae rex subsidium: quamquam ipse supra multos annos profugus ad Carolum veniens, diu apud eum mansisset, pecunia liberaliter adiutus: atque inde acceptis à Carolo militibus in Angliam nauigans, regnum occiso Richardo vendicasset. Cuius rei gratia aliquot legationibus cum Fräcisco Luxemburgo & Carolo Marigniano ad eundem Henricum functi sumus. Qui neque amicitiae, neque beneficiorum recordatione distineri potuit, quin expeditionem Boloniam vsque traduceret, vbi castris non procul positis, tentauit eam expugnare. Demum Philippi Desquerdi (qui Arthesio praeerat) opera rebus compositis, copias in Angliam reduxit. Pacis enim, quätum sibi sine Anglorum offensione

licuit, Henricus amator erat. Sed Anglis morem gerens magis, quàm suopte ingenio adductus, militem ex Anglia deduxerat, ne in suspicionem [illegible] veniret, quòd Franco regi plus æquo beniuolus esse videretur. Postridie initæ cum Henrico pacis, Carcaluenti Britonis negligentia atque inertia Attrebatum (cuius præfectus erat) à Maximiliani copiis noctu captum est, nemine omnino defendente ciuitatem. Quinimo ipse Carcaluentus, creditis cuidam ex suis portarum clauibus, strato segniter decubans, in hostium potestatem venit. Militabant in copiis Maximiliani Theutones plerique atque Germani: qui cum stipendia multis diebus non recepissent, rapinis non abstinuerunt. Sed postquam opulentiores tanquam hostes spoliassent, in sacras ædes debacchati: ita, vt non locum Maximiliano recuperasse, sed extremæ desolationi destinasse miles videretur. Tam dira passi ciues, non tantum inde mœroris, quantum gaudii ex Francorum deturbatione cœperũt. Exactis post aliquot mẽsibus, arcem ad maiorem mercatum, & munitiones ciuitatis aduersus oppidum à Ludouico extructas funditus desolauerunt. Adeo imbibit populus ille Franci nominis odium: quãquam ad Francos maiestatis & iurisdictionis vetustissima lege pertineat. Fuit non multo post cum Maximiliano conciliata vel potius

Margareta dimittitur. simulata concordia, in vrbe Siluanectensi. Dimissa tamen Margareta quum sponsalia patri grata non erant, Carolus reconciliatis Britonibus Annam, eorum dominam, vxorem accepit. Et Ferdinando Aragonum regi Ruscillo, præter multorum opinionem, est restitutus: ita enim Ludouicum Caroli patrem morientem testamento voluisse vulgatum est. Mittitur propterea Ludouicus de Ambasia, Albigesius antistes, qui ex Caroli sententia Ruscilionẽ Ferdinando Aragonensi restituat,

Expeditio Neapolitana. qua vna re perpetuam inter reges amicitiã parari putabatur. Verũ longe secus post accidit. Igitur cum à bellis quiescere Carolus potuisset, cura illi incessit de *Sicilię* regno, quod sibi patrimonii iure pertinere contendebat. Nec potuit à sententia dimoueri. Nec Parisiorum oratores, eius rei causa ad eum missos, audiuit. Contractis propterea terra marique copiis, hortante maxime Alexandro VI. Romano pontifice, & Ludouico Sfortia, qui Alphonso Neapolitano infensi erant, in Italiam ducens, Lugduni primum aliquot dies moratus est, non satis certus an alpes ipse transcẽderet. Distinebatur enim ciuitatis delitiis, & quarundã amoribus fœminarum. Sed vbi aër pestilens factus est: Viennam, Dalphinatium vrbem, petit. Antecedebat eum copiosus exercitus, & iam ad Astenses, superatis alpibus, peruenerat, cùm necdum firmasset animo, quid primum exequeretur. Stat tãdem sequi exercitum. Nam licet pusillo corpore esset, ducebatur tamen animi magnitudine, præclarũ quiddam gerendi. Igitur Viennam digressus, Vercellas, Sabaudi ducis ciuitatem, profectus est. Quò eius salutandi causa Ludouicus Sforcia cum aliquot Italiæ principibus se contulit. Ibi paucis diebus exactis, quia copias partim Pisas, partim Bononiam præmiserat, mox ipse secutus Rapellam Genuensium munitissimum oppidum plurimis oppidanorum cæsis expugnat. Pisas inde petens, magna omnium lætitia & plausu excipitur. Florentinis dubia mens fuit, an regem ad se admitterẽt grandi exercitu potentem: cuius etsi diu amicitiam coluissent, militum tamen variam fidem pertimescebant, qui ferociter agentes in tam longinqua expeditione prædæ & opibus inhiabant. Erat Petrus Medices, apud Florentinos imprimis opulentus, qui in suspitionem venerat tyrannidis. Hic Caroli gratiam meriturus, Petram sanctam atque Sarzanellam olim Ianuensium oppida Carolo tradit. Proinde

Picus Mirandula. magno suorum comitatu ornatus rex à Florentinis admittitur. Quo tempore Picus Mirandula, genere illustris, Philosophus & orator nominatissimus, multarumque linguarũ sciens. xxx. suę ætatis anno vita decessit. Apud Florentinos non multos dies moratus, Senas pergit. Cui Senenses obuii, hospitio liberaliter illum sus-

Omni enim habẽti datur: nihil habenti aufertur. cepẽrũt, ministrato affatim commeatu. Inde Tuscanellam progrediens, cum oppidani Alexandro iubente militem aditu prohiberent, pœnas luerunt. Viterbium quoque nolens repugnansque, exercitum accepit. Pontifex Romanus Alexander (cui Caroli aduentus, propter eius magnitudinem, formidabilis erat) Ferdinandi Alphonsi filium ad pręsidium vrbis adsciuerat, prohibiturus quoad posset, Carolo vrbis ingressum. Cui populus Romanus aduersabatur. Quamobrem vbi aduentare

re

re regem pontifex accepit, sibi timens, in molem Adriani (quę sancti Angeli castellum appellatur) se festinãter proripit. Rex vrbem ingressus, militẽ à tumultu temperare iubet. Quosdam, qui edicto non paruerunt, supplicio (tribus per vrbem erectis furcis) afficit. Inter hæc Ferdinandus cogitur vrbe excedere. Dum paucos dies in vrbe rex agit, nec vllus auditur militaris tumultus, securior sui Alexander, arce egressus, regem ad colloquium admittit. Fecit rem diuinã pontifex, eiq; post sumptam eucharistiam, vinum in sacrum calicem Carolus ministrauit. Fuere (sicuti accepi) plerique ex cardinalium cœtu, qui Carolo suaderent, Alexandrum captum abducere, vt pontificatu amoueretur. Quibus audiens nõ fuit Pius princeps perfide se facere ratus, si post datam fidem, calumniã inferret pontifici. Discedens ab vrbe Carolus, ne sibi via interciperetur, Terracinã (cui Anxur vetus nomen est) à pontifice accepit: Zyzynum etiam Turcum fratrem. Sed hostem magni Turci (quem ex Galliis, vbi asseruabatur, Innocentio VIII. traditum supra annotaui) cõsentiente Alexãdro secũ eduxit, quatinus subacto regno Apulię, ope Zyzyni finitimos Turcos expugnet. Iã enim à Iuliano Cardinali ostiã acceperat. Rebus ad hunc modũ ordinatis Cãpaniã adiens Carolus, Aquilã in mõticulo sitã, dedẽtibus se sponte incolis, recepit. Ad S. Germanũ (quod oppidũ est situ & arte lõge fortissimũ) statio fuit, repugnãtibus pertinaciter oppidanis, qui se fossis frequẽtissimisq; aggeribus muniuerãt. Sed insiliẽte Frãco milite, postquã machinę appositę sunt, tertia pòst hora oppidũ expugnatur. Vnde perterritus Alphõsus, qui Neapolim tenebat, Ferdinãdũ filiũ ad se vocãs, regnũ illi reliquit. Ipse in Siciliã fugiẽs, paulo post vita defi citur. *Nã quòd tyrãnidẽ apud Neapolim exercuisset Alphõsus, odiũ populi mirũ in modũ in se cõflauerat.* Ferdinãdus, fugiẽte patre, in castrũ oui veniẽte Neapolim Carolo se recepit. Quã ingrediẽs Carolus applaudẽtes illi honoratissimos quosq; ciues habuit & plebẽ. Inde per internũcios, vitæ & status honestã cõditionẽ, si in Galliã se recipere velit, Ferdinãdo pollicẽtur. Id quia recusaret, inde fugere cõpulsus est. Ad Caroli secũdas res Appulia successit: deinde Calabria, mox etiã Lucania. Tã prosperis successibus inuidẽs põtifex, cõsociatis sibi Venetis, & Maximiliano Romanorũ rege, quibus cũ accedebat rex Hispanus, & Ludouicus Mediolanẽsis: hi omnes ad Carolũ legatos mittũt, petẽtes Neapolim liberã dimittat, aut in Turcos (sicut promisisset) copias ducat. Ad hęc subindignatus rex protenus respõdens: vos, inquit, omnes aduersum me arctissime cõiurastis, sed vestras cõsiliationes vnus irritabo: ita vt vos Veneti, mercaturã, non rerũ imperia, discatis me auctore moderari. Hoc verbo dimissis oratoribus, grauiora Neapolitanis tributa remisit, quibus ab Alphõso grauissime premebãtur. Pacata Neapoli, & per loca pręfectis cũ valido pręsidio impositis, summã rerũ Gilberto Mõpẽserio, comiti de Borboniorũ ducũ progenie, cõmittit. Ipse in Galliã cũ parte copiarũ reuerti parat. Redeũti portas vrbis Alexãder claudit. Quã licet fossis atq; aggeribus vallasset: Ornetũ tamẽ cũ cardinalibus se cõfert. Veniẽs Roma Carolus, fauẽte populo, in ea stationẽ fecit. Et quas ab Alexãdro vrbes habuerat, libere dimittit: præter Ostiã, & Zyzymũ Turcũ, qui apud Neapolim vita decesserat. Inde profectus, Senas in suã tutelã accepit. Dũ Fornouiũ nõ lõge à Parma ciuitate appropinquat, nũciũ accipit, Venetos & reliquos cõiuratos vias insidere, quã erat trãsiturus. Erãt in hostiũ castris millia quadraginta armatorũ. Carolo septẽ ad summũ millia electissimorum pugnatorũ militabãt, diuturno itinere fessa, & nõ minus indigẽtia viatico. Nam reliqui exercitus bonã partẽ Neapoli & alibi per præsidia reliquerat. Miserat quoq; Genuã ducibus Philippo de Sabaudia, & Hugone Ambasiano alterã nõ exiguã manũ: quòd spem illi Iulianus cardinalis fecerat, vrbem recipiẽdi. Sublatus propterea hostis, exploratũ quasi habebat, venturũ in suã potestatẽ Carolũ, aut reuera vulnere aliquo moriturũ. Quinquaginta nãq; (alii dicunt centũ) millia ducatorũ proposuerãt in mercedẽ illi, qui regẽ vel viuũ vel occisum in castra abduxisset: ei, qui Franci caput exhibuisset, præmium ducatorum sex erat constitutum. Tali spe militem hostis Venetus animabat. Sed nihilo segnius dispositis aciebus Carolus cõgreditur, & postera die Taro flumine traiecto, victor ad Astenses se recepit. Cecidere ex Venetis plęrique nominatissimi & opulentissimi ciues. Nec quenquam ex hostibus captiuum Francus miles seruasse inuentus est.

Carolus in Campania.

Aquila.

Sanctus Germanus.

Alphonsus fugit.

Ferdinandus fugit.

Alexandri & Venetorum in regem coniuratio.

Caroli ad eos qui ad ipsum legati erant, responsum.

Carolus in Galliam reditum parat

Alexander Ornetum fugit.

Credibile, Nam diuitum cutis est tam mollis quàm pauperum.

Sequebatur

Sequebatur Carolum turba multa famulantium, quæ sarcinas vehebat, atque eorum qui exercitum curiositatis magis, quàm belli causa, comitabantur: quorũ magna cædes fuit. Cum ad Astenses venit, Ludouicum Aureliæ ducem, cui Mediolanum pertinere iam diu constans opinio erat, Nouariæ à Mediolanensibus arctissime obsessum accepit. Eius liberandi causa Carolus cum hoste minus honestã pacem iniit. Atque sic liberato Ludouico in Franciam cum reuertisset, diui Dionysii cœnobium, contemptis Parisiis, adiuit: vota quæ superis vouisset, soluturus. Mos enim regibus Francis supra multos annos fuit, cum longinquam expeditionem assumunt, petere à beatis martyribus opem, è conditorio vbi illorum reliquiæ pręcipua veneratione seruantur, feretra, in patentem templi aram sistere: nec prius reponere, donec à militia reuertentes, feretra in propriam sedem ipsi restituant. Igitur voto secundum priscam maiorum suorum consuetudinem liber factus Carolus, Parisios visere dedignatus, relicta dextrorsum vrbe, per sanctum Anthonium de Campis iter faciens, ponte Calentonio traiecto, per Belsiam, Ambasiam est profectus. Indignationis in Parisios causa erat, quòd ad Neapolitanam expeditionem centum millia nummûm contribuere Parisii negauerant. Cogitauit propterea Carolus, aliquo incommodo illos afficere, & quo id faceret modo, oportunitatẽ expectabat. Redeunte in Franciam Carolo, statim Neapolis à fide defecit, & mortuo Gilberto Monpenserio, relicti præfecti ægre sua pręsidia tuẽtes, ad Carolum se recepere. Primam adolescentiam Carolus cum parum caste egisset, vires illi intabuerant, ita, vt ante paucos menses, quàm moreretur, macilentia extenuatus atque effœtus effectus, præteritas interim detestari voluptates, seque ad castimoniã colligere videbatur. Ea propter indolebat illi maxime, quòd sine liberis esset, cum ex Anna vxore, quos genitos tres habuerat, mors abstulisset. Decessit Ambasiæ septimum & vigesimum vix agens annum, dum laxandi animi gratia ex deambulatorio cum vxore pila ludẽtes despectat VII. Idus Aprilis anno salutis MCCCCXCVII. Pridie vero Calend. Maii funus ad sanctum Dionysium per Parisios accuratissima pompa efferre sequenti ordine conspexi. Apud Basiam, in diui Florentini templo, per Iohannem Peraudi cardinalem expletis exequiis, comitantibus inde suo ordine veste lugubri principibus atque primoribus aulicis, ministrisque supra millia septem, & prælucentibus continenter quadringentis facibus, quas totidem pauperes pullis tunicis & caputio induti præferebant, postquam ad beatæ Mariæ templũ (quod de Campis in Parisino suburbio nuncupatur) primo & vigesimo die ab Ambasiæ exitu peruentum est, defuncti feretrum in eodem templo, ea quę secuta est, nocte reponitur: pernoctantibus ibi permultis suo ad hoc nomine designatis curialibus. Ad eam tam numerosam pompam, toto itinere, nonaginta millibus passuum deducendam, ex instituto Petri de Ruse aurati equitis primi (secundum vulgi appellationem) regis scutiferi præfecti erãt honorati ductores, qui multitudinem, semota famulantium & seruorum colluuione, moderarentur. Et ad quemque locũ, vbi diuersandum esset, præcedebat cum domesticis regiæ aulę ministris Castellaudius, eius temporis magister domus, qui alimenta non secus ac viuenti adhuc Carolo multitudini pararet. Anteibant præterea omnem pompam longo interuallo cantores & ministri regalis capellę, vt per ecclesias, vbi statio futura esset, aras ornarent & lichnos. Et, ne pręter prædestinatũ ordinem à quoquã erraretur, Guiotus Mazacus, Petrus Loisius, & Rigaudus seruandis ordinibus erant prępositi. Erant item qui commeatum & diuersoria curarent. Igitur Parisii accepto nuncio de funeris aduentu, altera die, secundum cuiusque ordinis conditionem, ad eum, vbi cadauer repositum erat, locum procedẽtes, sequenti modo funus sunt comitati. Ibat ante omnes commissarius vnus Castelleti, cui assignati assistebant bono numero seruientes (quos clientes vocant) cum singulis tunicis nigris: baculos eius coloris manibus ferentes, ad dimouendam plebem, ne progredienti pompæ foret molesta. Hos sequebantur dextrorsum sinistrorsumque pauperes, portandis facibus (vt supra exposui) deputati. A singulis tędis pendebant scuta duo insignibus liliis picta. Veniebant inde quatuor & viginti cum singulis campanulis polictores (quos clamatores Parisii dicunt) à pectore & scapulis regis insignia gestantes, qui nec punctum

Francorum regum mos.

Parisios rex contemnit.

Carolus VIII. moritur.

Pompa funebris.

Stulta faces soli plebs prębuit ergo micanti.

ctum quidem temporis à pulsandis tintinabulis cessabant. Dextro latere viri religiosi cum sua quique cruce, primum mendicantes, post cæteri diuersorum ordinum (sicuti antiquitas ferebat) incedebant. His subibat præfectus vigilum cum suis seruientibus. Inde quatuor & viginti salis baiuli, qui Hannonii vocitantur. Hi nempe venerant, quod priuilegii iure funeris feretrum ferre contendebant. Sed priuilegio derogatum est. Retro hos tabellarii equites, qui ferendis regiis litteris designantur. Mox regii corporis custodes. Inde Suitenses cum singulis gesis (quas hallebardas appellant) ingrediebantur: quibus præerat Claudius, præfecti custodum vicarius. Pòst ibant ii qui illustri genere orti, honoris vocantur infantes. Inde regię domus magistri, quibus pro more singuli baculi in manu erant. Talis erat dextri lateris institutio. Sinistrum tenebat magno numero studii Parisiensis vniuersitas, incipiens ab extremis clamatoribus, & inde secundum singularum facultatum collegia sursum ad rectorem vsque versus episcopos. Rectori præibant bidelli cum suis baculis & massis argenteis. Nec aderant scholastici omnes, ne per illorum multitudinem via arctaretur. Inter hos, hincinde procedentis pompæ, ordines, post fascifer os ibat Castellaudius mula insidens, sequentibus comministris peditibus, vt à me dictum est. His suberant tubicines inuersis tubis, & caduceatores. Inde Claudius signum militare regi peculiare gerebat, equo vectus nõ ignobili. Ducebatur hinc sex equis carpentũ, in quo regis corpus ad diuam vsque Mariam de Cãpis fuerat aduectum, veluto tectum nigro, & aureo desuper pallio instratũ. Cuius limbi per quadrum ex veluto colore cælesti pendebant aureis liliis, arminisque (quales pro insignibus Anna, vxor defuncti, gerebat) intexti. Super hæc distensa erat lata crux candida. Equi cũ suis iugis & loris pari veluto, superaddita cruce tegebantur. Adequitabant hinc atque hinc equis vecti Emarus Ronus, & Canuquonus illustres scutiferi. Carpento post ibat Blandinus quotidianæ regis impensæ scutifer. Atque inde sex generosi adolescentes (Pagios vocant) totidem insignibus equis vehebantur, simili apparatu, quem de carpento diximus. Ducebatur post hos non inferiori ornamento equus cæteris dexterior. Hunc gladii latorem aulici vocant. Quem sequebantur in equis insidentes splendido sanguine nati Suffacus & Sanctamemus. Post huiusmodi medium ordinem dextrorsum procedebant sacerdotes & clerus parochialium ecclesiarum. Inde ii, qui sacello palatino, & qui maiori ecclesiæ inseruiunt. Succedebant monasteriorum abbates, sancti Victoris Maglorii, diuæ Genouefæ & de Fecano. Accedebant subinde pontifices Sarlatensis, Valentinus, Andegauus, Altissiodorensis, Parisiensis: Cardinales duo, Gurcius & Luxemburgus: ille natione Pictauus in Germania præsulatũ obtinebat: hic ex Picardia nobili stirpe genitus, Cœnomanis præerat antistes. Sinistrorsum pręter scholasticos nemo incedebat. Eratque rector è regione prælatorum suo ordine postremus. Inter hos & pontifices, medii ibant viatores regii, virgas suas (quæ massæ nominantur) inuersis capitellis gestantes. Inde caduceatores duo, qui reges armorum nuncupãtur: Monoius dico & Clareuoius. Post quos alter equus (cursorium vocant) toto pręter oculos, corpore veluto amictus, sine assessore ducebatur. Cui Petrus de Rufe primarius (vt ante dixi) scutifer paruula mula vectus accedebat, regio ense accinctus. Pone hunc trium passuum interuallo ibat pedes Iacobus de Stoteuilla Parisinus prætor, virgam manu pręferens. Inde ex regis maxime domesticis clarissimi homines, qui lecticam, vbi Caroli funus conditum erat, comportabant. Cui superextabat, tanquam in lecto, iacens Caroli simulachrum, simillimum (quoad fieri potuit) viuo. Erat lectus lintheo ex subtili tela Holandina in terram profluente instratus, cui superpositum erat grande veluteũ palliũ, vlnis quinquaginta cõstans. Desuper intextum ex auro palliũ quinque & viginti vlnis extendebatur, similibus limbis, quos in carpẽteo supra descripsi, præter arminas. Addita erãt puluinaria aurea duo. Altero simulachri caput, altero pedes nitebantur. Aurea corona caput decorabat. Tibias induebãt sericei cothurni blauio (vt ita dicam) colore: superassutis aureis liliis. Vestis prima ex purpureo tafeto, id est, tenui serico: & fimbriæ eius aureæ erant. Erat & altera tunica superior ex satino cælestis coloris aureis liliis intexta, quibus superextabat chlamys arminis duplicata, dextrorsum aperta ex veluto pari colore:

liliis

liliis superinductis. Ad chlamydis extremã fissuram, armũ versus, fibula erat multis gemmis & auro Florentino preciosa. Chirotecatis autem manibus cũ statuta esset, dextera sceptrum, sinistra gerebat manu quam iusticiæ franci vocant. Ea est huiusmodi. Indicem digitum & mediũ erectos habet, reliquos cum pollice ad volam implicitos deflectit. Dextera manus paulo altius, quàm sinistra pectori eminebat: vt, qui in digito aureus anulus erat, videri posset. Aurei pallii angulos quatuor parlamẽtei senatus præsides singuli singulos tenebãt: vestibus ornati quibus in curia solennia iudicia exercent. Ad lecticæ latera incedebant cęteri senatores, rubris tunicis vestiti: Quos hostiarii lugubri toga pręcedebant. Supra lecticam aureũ velum quadratum, decem baculis sustinebatur: quos mercatorũ præpositus & Scabini vectitabant. Eius veli singula latera velutea erant, ad eundem modũ, quo carpentum ornatum fuisse scripsimus. Quo etiã tegumento baculi tegebãtur. Ad lecticę sinistrum latus militare signum (quod panonẽ appellant) Ludouicus Daucus gestabat. Dextrorsum peculiare regis signũ ferebat Iuo dalegre. Retro prodibat cum integro vexillo Carolus Tremolus. Quem comitabatur Chaumontus, regię domus primarius magister. Veniebãt inde principes, Monpenserius, de Guisa: de Dunois, & dux Albanię, talaribus chlamydibus pullis caputiisq; amicti. Inde cambellarii, & ii quos regii ordinis torquibus Carolus donauerat. Quatuor inde, & xx: arcitenentes, quibus viuentis Caroli pręcipua custodia fuerat. Mox sequebãtur selecti nobiles ducenti, tersas & splendidas hastas manu gestãtes. Sinistrũ latus suo ordine decorabant regiarum rationũ computores: vectigalium quoq;, id est (vt aiunt) iustitię generales, regii itẽ thesaurarii, & ex Castelleto frequentes iudices, atque ministri: honoratorum quoq; ciuium ingens multitudo. Postremi omnium ibant vrbis Parisiorum sagittarii: bini procedentes. Hoc apparatu & luctuosa pompa funus ad diuę Marię pontificale templum deductum est: spectãte ex fenestris tectisq; vicatim innumera plebe ciuitatis. Maioris templi singula ornamenta, subselliorum ordines, vela, tapetes, qui parietes vestiebant, scribere operosum & longum esset. Lichnorum autem per templi muros sursum deorsumq; tanto fulgore ecclesia & micabat & calebat, vt illò venientes pauloque morati æstuarent. Postridie solennibus exequiis facta re diuina, pari (quo supra dictũ est) incessu, cũ ad Dionysianã portam ventum est, ordo deducentium funus, transito suburbio, & rectore cum suis scholasticis domũ repetente, talis fuit qualem ab Ambasia ad beatam vsq; Mariam de Campis seruatum fuisse diximus. Inde ad crucem (quę in via militari ad sanctum Dionysium est, & pendens nuncupatur) pompa processit. Quò religiosi cœnobitę ecclesiastico ornamento conuenere: funeri per sacras cęrimonias obuiantes. Præerat illi abbas de Fecano. Nam loci abbas, supra aliquot annos cardinalis factus, Romæ agebat. Vbi ad oppidi portam pompa successit, quatuor parlamenti præsides & cæteri senatores suum iterum ordinem receperunt, obambulantes funus. Cui tandiu astiterunt, donec funebribus officiis absolutis, ad sepulchri locũ deduxissent. Fecit rem diuinam cardinalis Luxemburgus: funebrem orationem Ioannes Andegauus præsul, qui regius confessor fuerat, habuit lamentationis plenam. Dum in fossam cadauer deponi cæptum est, adscitis per caduceatores regię domus magistris, singuli singulos baculos, quibus ministrando regi vsi erant, in fossam demiserũt. Inde caduceatores ipsi, & armorum seruientes, sericeas vestes regiis insignibus pictas exuentes, eas cũ suis massis deponunt. Qui vexillum (cui Guidon nomen est) gestabat, demissam magna religione lanceam ad tumulum prostrauit. Eadem obseruatione fecit is, qui regium signum ferebat, cũ pars adhuc feretri extra fossam extaret. Eo in fossa instrato, accedens qui panonem gerebat, humi signum deposuit. Simile fecit signifer maioris vexilli. Magnus inde scutifer Petrus de rufe regium gladium (quem terrę commiserat) in altũ exerens, postquam exaltata voce VIVAT REX pronunciauit, caduceatores suas tunicas receperũt. Mox ex cambellariis primus vexillum maius erexit, quod postea eminenti loco positum est. His ad præmissum modum religioso ritu consummatis, epulatum est, in regia domo, non secus ac regibus mos est. Si quis historiæ hæc coniunxisse me calumniabitur, miretur magis, nusquam apud Francos scriptores inueni-

Credibile tamen, istũ mortuum nihil interim vidisse.

inueniri, quo ritu, quave pompa aut cerimoniis suorum regum funera ad sepulchrum superioribus sæculis deducta sunt. Delectauit me, in ipso etiam publico luctu, hæc raptim annotasse: quæ futuris hinc funeribus exemplaria sint, & non aliunde quęrantur. Minus enim operosum fuerit, priora æmulari, vt illis aliquid adiiciatur: quàm ancipiti (in re præsenti) cogitatione, quid factum aut gerendum sit augurari. Occidentalibus enim incolis exteri auctores vitio vertunt: quòd se & suæ gentis originem & progressum turpiter ignorent. De Caroli autē morte, cui multis legationibus inseruieram, hoc epigramma sum meditatus.

Sed si incipias dubitare recte an perperam ista superiora facta sint, quid tum fiat?

Nunc tandem agnosco stultus mendacia mundi:
Et spes exiguas dum punctum viuimus æui.
Congeries nos fallit opum: nos fallit & ætas.
Nec fida vllis est quæsita potentia regnis.
Deserit elatos sublimis gloria reges.
Calcat & excelsum mors protenus atra tribunal.
Inde fidem si vis, repetito funera Carli.
Late cuius erat omnis possessio Francus.
Cui tremefacta caput summiserat Appula tellus.
Britoq; depositis parebat subditus armis.
Quem Ligur & Veneti consulto Marte petitum
Terribilem sensere manu, fortemq; duello,
Fornouii multa maduit dum sanguine campus.
Ille pila dum forte videt colludere seruos,
Confestim abripitur, & vox occlusa fatiscit.
Vix quater aspirans septena volumina solis,
Emoritur, sine prole sacrum diadema relinquens.
I iam rumpe alpes, multorum effunde cruorem:
Dilata imperium, promitte palatia cœlo.
Cuiq; domus terra est longo seruanda sopore.

Scripsit quoq; de Caroli inopinato obitu egregius autor Faustus Andrelinus quamplurima: de quibus hæc digna lectione excerpsimus.

Ecce trucis numen non exorabile Parcæ,
Florida truncauit surgentis stamina Carli:
Stamina Nestoream transcendere digna senectam
Cumæam: Phrygiamq; simul: sed strenua virtus
Ante suum veniens iuuenili in corpore tempus:
Ipsis inuidiam superis commouit atrocem,
Et tanto orbarunt fœlices numine terras,
Festaq; plaudentis decorarunt atria cœli.

Et de præcipuis Caroli virtutibus est eiusdem distichon.

Religio, bonitas, animus, donatio, iustum.
Hoc sita sunt tecum, Carole summe, loco.

SECVNDVM hunc (quoniam sine liberis decesserat) Ludouicus Aurelianorum & Valesii dux, Maria Cliuiensi matre natus, qui quarto stirpis gradu Carolum contingebat, dum Blesis agit, rex assumitur. Statimq; sepulto Carolo Remis inungitur. Mox iudicio ecclesiæ dimissa Iohanna, quam vxorem, Ludouici metu (cum gibbosa deformiter esset) inuitus duxerat: Annam Caroli relictam sibi copulauit, dato Iohannæ in partem successionis Biturigum ducatu. Dum hæc aguntur, Maximilianus Romanorum rex, nunquam quietus princeps, cuius ceptis fortuna rarꝰ fœliciter arrisit, coacto raptim exercitu Sequanos, id est, superiores Burgundos petit: in alteram Burgundiam, quæ Francorum est, licet ad Philippum Maximiliani filium pertinere pleriq; disputent, impetum facturus. Itum est protenus aduersus hominis conatus, leuibus præliis atq; incursionibus, non sine vtriusq; exercitus damno prælusis. Verum succedente proxime bruma: induciatum est. Venere per hos dies à Venetis legati, nouo regi gratulantes, suppetiasq; illi aduersus Ludouicum Sforciam pacti: in amicitiam recepti sunt. Non defuere confestim ab initio, CAP. 2.

Morum ac institutorum reformationes.

qui vel ineundæ gratiæ causa: vel rerum innouandarum studio: vel ostentandi sui libidine moti, Ludouico persuaserunt, animaduertere quantum à maiorum legibus magistratus & iudicia desciuissent, decere illum qui reipublicæ gubernacula suscepisset, restituere ea in priscam integritatem, quæ corrupta & neglecta esse constabat. Igitur Ludouicus ante omnia præclarum ratus, si optimis legibus regnum stabiliret, iudiciorum formam correxit: & disciplinæ scholasticorum priuilegia interpretatus est. Porro à religionis obseruantia incipiens, per omnia iudicia & forensia officia perq; generalium studiorum conseruatorias sedes, & priuilegiorum aliquot protectores decretum & suam explanationem adiecit. Iussitq; in Parlamenteo senatu atq; aliis regni foris promulgari, misso eius rei causa Ludouico, Albigesiorum pontifice. Tentauit autem Parisianorum scholasticorum vniuersitas tueri suam libertatem, & de regiis constitutionibus ea demere, quæ priuilegiis & diuturnæ eorũ consuetudini: diuersa contrariaq; esse videbatur. Misit propterea suos ad senatum oratores, qui peterent, quæ constituta à rege erant, benignius explanari, neq; sinerent iudices, apud quos iudiciorũ potestas erat, turbari scholasticorum quietem, qui & Parisiis maximo commodo essent: & Christiano orbi luminis atq; fidei stabilimentum afferrent. Si quid grauius solito, & præter veteres regum sanctiones statutum foret, mox dissipandam forte tam ingentem literatorum hominum multitudinem: alioq; abituram, vbi tranquillam sedem obtineret. Ad hæc senatus respondit, se à rege iussos promulgare quas tulerat leges. Apud illum auctoritatem esse, abusiones tollendi & corrigendi errata, quæ à suis committi subditis comperisset. Nihil de illorum priuilegiis demere regem velle. Cæterum, quoad senatus poterat, concedere quidẽ illis potestatem, sua priuilegia edendi, quę curiæ exhibita incontaminata seruarentur. Igitur hoc iudicante senatu: vniuersitatis syndicus biduo tantũ impetrato, aliquot, quæ pro temporis angustia præsentanea habebat, priuilegia apud scribam deponit: neq; melior inde facta est scholasticorum conditio. Neq; derogatum est legi, quam Ludouicus rex condiderat. Quod iniquo animo ferentes scholastici, coacto numeroso conuentu, de intermittendo studio: deq; literariis exercitationibus deserendis consultant. Dicuntur in eo cœtu variæ sententiæ, donec tertio conuenientes, ventum est in sententias eorum, qui prædicationibus & quotidianis interpretationibus interdicere suadebant. Postridie eius conuentionis dies erat festus eucharistiæ sacramenti. Missum est autore Iohanne Caue, qui vniuersitati pręerat rector, ad eos, qui cõcionaturi in ecclesiis erant, vt plebi nunciarent, non habendas deinceps verbi dei prædicationes, donec priuilegiorum suorum integram libertatem schola Parisiensis recuperasset. Fuere inter prædicandum qui liberius locuti sunt: ita vt ad seditionem oratio illorum spectare plerisq; visa sit. Venerat per hos dies ad vrbem Guido de rupe forti cancellarius, in quem probra & libelli per multa vrbis loca positi fuerunt. Incidit propterea suspicio, id à scholasticis factum esse: moxq; per vrbem rumor irrepsit, scholasticos turmas & conuenticula ad seditionem habere. Quamobrem parantur ab vrbis præposito armati, nec minus vigilum præfectus excubias habet, viasq; diligenter circuit ciuitatis: quanquam ex omni schola iuuentus est nemo non quietus, & domi se omnino continens. Mirum profecto est, quàm cita & pernix fama, homines quos multi inter magistratus existimasses, fefellit. Ex his enim nonnulli literas, tanquam de re comperta, ad regẽ dant festinanter, scholasticos in armis esse, sollicitare ad plebem populum: verendum esse, ne ciuitas tota ad rebellionem propediem spectet: festinet ergo, tanquam ad restinguendum incendium, accedere. His literis permotus rex, paucis pòst diebus aduenire nunciatur, plenus indignationis aduersus scholam, quam nesciebat innocentem. Qua re accepta, nuncios suos Corbolium (quò rex venturus ferebatur) Schola ideo pręmittit, vt priuilegiorum antiquam libertatem recuperet, aut positis per eum legibus benigniorem rex explanationem adhibeat. Qui missi erant, sollicite inquirentes, quo in scholasticos animo Ludouicus esse videretur, comperiunt illum irritatum esse vehementer, quòd decretis parere tam contumaciter cunctarentur, excitarentq; suis concionibus populi furorem, quo Parisii omnes non modice turbaban-

Rectissime & verissime dictum.

babantur. Ea re per illustres aulicos accepta, oratores mutato de retinendis priuilegiis consilio, placare ante omnia regem leui oratione constituunt. Igitur ad regis conspectũ admissi, in hac sententia locuti sunt. Nihil ab eorũ vniuersitate perperam esse factum. Falsa esse quæ aduersarii ad eum de seditione detulerant. Scholasticorum multitudinem domi quietissime agere, expectare cum summa modestia, quid eius amplitudo imperaret. Videret ne per paucorum insipientiam consultissimos quosq; pergeret vlcisci. Eum quidem positum regem esse, sed (vt est in principe apum, qui vel aculeo careat, vel habitum ad vindictam nõ exerat) remittat eius clementia, quod à iunioribus leuiter garritum extitit, esse in omni ciuitate dicaces. Linguas ad stulte loquendum fluxas & labiles tam parui habendas, quàm imbecillium canum latratus. Summi principis laudem præcipuã, ab ira ne excandeat temperare, mansuetudine leniri, vt amari magis quam timeri studeat. Ipsum vnum esse, quem non secus ac filia patrem, schola Parisiensis obseruet. In eo spem repositam scholasticorum: qui præter solam libertatem & libros nihil possideant.

Vtinã ita sit.

Dicendi ab oratoribus, fine facto, Georgius de Ambasia, Rothomagensium primas, qui inter aulicos plurimi habebatur: *Eruditi*, inquit, *viri*, *non mirum vobis esse debet, si æquissimus rex de abusibus, qui prætextu vestræ libertatis committi deferuntur, vestris priuilegiis limites posuerit. Ipsi pro vestra eruditione nostis, quid in his omnibus peccatum hactenus est. Emendare vosipsos prius decebat, quàm alterius censura iudicaremini. Neque enim sua opinione rex, sed prudentium virorum consultis ac responsis erratorum delicta legibus cohibuit, quibus repugnare vos non oportuit: ita vt repentinis edictis à vestro studio cessaretis, prohibentes disserere per ecclesias populo verbum dei. Quo mediusfidius facto regem à vobis despectum esse quis ignoret? Vestræ libertati detractum ire rex noluit. Dolos amouere, fraudes amputare est arbitratus, non vt vestræ quieti aduersaretur, aut bonos à litteraria lucubratione auerteret. Tenet memoria, quanta tranquillitate vos fouerint reges, qui eũ præcesserunt. Nouit quæ sunt in regnum suum & rem communem Christianorum vestra merita. Sed vestra res sincera esse non potest, quæ peruersorum abusionibus atq; illegitimis negociis perturbatur. Ea regis conscientia est, vt paucissimos malit doctrinæ recte incumbentes, quàm discolorum incompositam multitudinem. Date operam vestrorum mores componere, vt regiis institutionibus audientes sapientiam, cuius gratia conuenistis, comparetis. Si hoc ritu conuersabimini, tum principis gratiam vobis impetrabitis, tum priuilegia vestræ communitati affatim conferentur. Hæc cum pontifex dixisset, petentibus legatis, an aliud præcipere rex illis optaret: Ite, inquit, & scholasticos vestros, qui hoc nomine digni sunt, salutate: de malis nulla mihi cura est. Moxq; percusso manu pectore, ipsi me, inquit, suis prædicationibus taxauerunt, illos autem mittam aliò prædicatum.* Intellexerunt hoc verbo oratores iratum esse regem. Festinantes ergo Parisium reuerti, vocata eodem die magno numero vniuersitate, quæ accepissent oratores, retulerunt. Rector vero ex vniuersorum sententia protenus iubet, studii communionem, exercitationesq; repetere, & prędicatoribus concionari permittit.

In furcã quæ se dignos effecerunt, abripias.

Ingressus est vrbem Ludouicus multis armigeris cum tensis arcubus & procerum multitudine stipatus: vbi habito postridie Parlamenteo senatu, leges ab eo semel positas publico edicto pertinacissime confirmauit. Erat quidam ex concionatoribus Thomas Varuetus Cameracensis, qui nescio quid minus consulto inter prædicandum dixerat. Hic sui conscius, non expectato regis aduentu, Cameracum (vnde oriundus erat) se recepit. Iohannes autem Standon Brabantinus, Theologus Doctor, vita & doctrina clarus, Ludouico alioquin suspectus, qui collegio montis acuti præsidebat, regno interdictus est. Proscriptionis causam non comperi. His rebus gestis, cum Philippo deinde archiduce, ob præstandam regi fidem, liberaliter actum. Veniens enim Attrebatũ (quò missi à Ludouico rege Guido de rupeforti cancellarius, & Ludouicus Luxemburgus, Ligniaci comes se contulerant) in verba regis, stante pro tribunali cancellario, Philippus Flandriæ & Arthesii comes iurauit, oppidaq; cum toto Arthesio (quæ antequam pubesceret, rex vt feudi dominus occupabat) recepit.

Philippus fidem præstat.

Sub idem tempus Heluetii (qui & Suitenses) in Germanos vastatis illorum agris ferociter incurrunt. Maximilianus numeroso exercitu instructus, Suitenses vlcisci festinat. Cæterum Ludouicus iniuriarum memor, quas à Ludouico Sforcia apud Nouariam

Bellum Heluetiorum.

Expeditio Mediolanum.

supra annos tres acceperat, simulq; Mediolani ducatum, tanquam ad se pertinentem, vindicare constituens, grandi conflato exercitu alpes traiicere copias præmittit. Quas (reuisa obiter vxore, quia grauida erat) Lugduni non cunctanter assequitur. Vbi magistratuum ciuiumq; ordinibus accurate dispositis, cleri præterea apparatu, publica omnium lætitia excipitur. Itaq; ingrediente Ludouico ciuitatē: vbiq; ludi ióciq; celebrantur, & plausu cantuq; æther resonabat, ea præsertim causa, quòd nouo regi maxime gratulari Lugdunenses cupiebant: & in expeditionem aduersus Insubres proficiscenti, fœlicem auspicari euentum conabantur. Nam animo reputantes insidias, quibus apud Fornouium Carolus VIII. appetitus fuisset, & quo apud Nouariam modo Ludouicus laborasset, nemo non gaudebat accinctum ad bellum regem intueri, quem & hostes vlturum, & sua repetiturum sperabant. Enimuero Mediolanensium ducatus supra aliquot annos, à morte Philippi, qui fuit ex vicecomitū familia vltimus, Mediolani princeps, & anno salutis CCCCXLVII. supra M. è vita migrauerat, ad Aurelianensium ducem Ludouicum, hoc potissimum iure pertinere constabat. Itaq; Philippus, sororem habens Valentinā, hanc Ludouico (qui regis Caroli VI. frater, & Aurelianensium dux erat) vxorem tradit: data illi in dotem Astensi vrbe, quam nihilominus tradere, licet à Carolo fuisset sæpenumero admonitus, tam diu recusauit, donec rerum necessitate adductus, spe auxilii à Carolo impetrandi, illam Rainaldo Drensnensi Caroli regis præfecto (qui propterea missus erat) restituit. Quà à Rainaldo recepta, sequenti proxima nocte Philippus febre & alui profluuio interiit. Rainaldus autē, tametsi duobus tantum armatorum millibus instructus hastā teneret, postquam de Philippi morte certior factus est, simulq; intelligit Mediolanenses consilium capere, dominū̄ne quempiam admitterent, an in libertatem se asserentes, rem suam paucorū moderationi committerent, dum occupare Alexandriam cupit, nonnulla agri illius loca vi obtinet diripitq;, donec repugnantibus Boscensibus, qui ad Alexandrinos pertinent, cum illos pertinaciter obsidet, mittuntur à Mediolano milites, qui Rainaldum multis Francis partim captis, partim occisis, exuperant: & vinctum in Alexandriam ducunt. Fuit Alexandrinorum in captiuos ferina crudelitas.

Mediolanum quomodo ad Ludouicum pertineat.

CAP. 3. EODEM tempore insurgentibus per Franciam diris factionibus, & rege per temporis interualla mente capto, à Mediolanensi bello cessatum est. Erat Franciscus Sforcia vir animo & opere militaris, qui Blancham Mariam Philippi filiam vxorem duxerat: quam ex Agnete nobili Mainæ stirpis fœmina, Philippus illegitimo thoro genuerat. Eam ob rem Franciscus Mediolanensem ducatum occupare contendens, depulsis Venetis, qui aliquot vrbes in ea regione tenebant, ducatum occupat, recepto vniuersi Mediolanensis agri dominio. Ad quam rem magno vsui fuit Renatus Andegauorū dux, qui collecto ex Francis ad bellū Siciliense milite, Francisco se coniunxit, vt quietis aliquando Mediolanensium rebus, eius copiis in rem suam vteretur. Itaq; postquam manus Gallica ad Franciscum venit, Pontemuicum (ad Olium amnem ponte facto) circumuallat: vbi exardens in oppugnatione Francorum furor, miserabilem in oppido cædem, incendiūq; excitauit. Quod cum restingui facile non posset, totum oppidum (quia Venetarum partium erat) permittente Francisco conflagrauit. Hæc clades ad finitimas ciuitates delata, miro terrore incolas perculit, ita vt ad sua iam mœnia stare Gallos existimarent. Hinc Cremona, mox Brixiensis ager, & quæ in montanis sunt oppida atq; arces, octauo post Pontisuici excidium, die Francisco paruerunt. Atq; inde succedentibus prospere rebus, Mediolanenses Francisco se permiserunt. Tam vtilis fuit illi Gallorum animus ferox. Sed Itali scriptores crudelitatem appellant, propterea quod Italus miles stipendia faciens, hostium spolia magis quàm belli finem velit. Francisco liberi quatuor fuere, Galeacius, Philippus, Ludouicus, Ascanius: ipse intercute morbo interiit. Galeacius successor ab Andrea Lampugnagno, in diui Stephani templo apud Mediolanum occiditur, relicto filio Galeacio. Quem patruus eius Ludouicus Sforcia venenauit, inuasitq; mortuo adolescente ducatum ad hos vsq; dies, cum Ludouicus rex bellum tyranno indixit. Superatis igitur mense Augusto alpibus, cum Astam copiæ peruenissent, duo in Alexandrinis oppida (quorum alteri

teri

teri Non, alteri Roqua nomen est) expugnata diripiuntur, soloq; æquantur, præter Roquæ arcem, quæ in edito loco sita, aditu difficillima est, sed tamen incensa. Mox in Alexandriam itum, ductore Ianiacobo, qui à Ludouico Sforcia ob male à tyranno administratam rempublicam ad Ludouicum regem se contulerat. Tenebantur Alexandrini firmo Sforcianorum præsidio. Ideoq; acerrime primo impetu se tuentes, summa difficultate expugnari potuerunt, donec è muro Galleacius (qui vrbi præfectus erat) se proripiens, ad Sforciam aufugit. Et in eis quidem breui tempore subigendis, magna non sine nostrorum incommodo cædes facta est, & pars ciuitatis direpta. Nam præter id, quòd in Sforcianorum fide stare Alexandrini pertinaciter studebant, addebat illis animos vetus odium Gallici nominis, quod post Senonensiū in Italiam irruptionem omnibus fere Italis semper exosum fuit: nunc illorum leuitatem, nunc crudelitatem auariciamq; & libidinem exprobrantibus, quasi huiusmodi vitia non maxime apud illos regnent. *Nulla enim re insignior fere Sicilia est, quàm principum, qui in ea regnauerunt, nece.* Et conditor vrbis Romulus fratris sanguine in imperium est auspicatus: ipse deniq; in senatu ab iis, quos conscripserat patres, direptus est. Indigna est nomine crudelis illa fœmina, quæ in patrem recenter trucidatum carpentum, quo vehebatur, aurigam agere coegit. Sed nunquid Tarquinium cum sua omni posteritate expulit Romanus furor? Proscripsit & consules. Corinthum ob leuem culpam desolauit. Horret animus Syllanæ crudelitatis meminisse: qui atroci imperio legiones quatuor, clementiam miserabiliter comprecantes, trucidatas in Tyberim præcipites dedit. Qui Prænestinos fide impunitatis data, spoliatos armis è conspectu ciuitatis ad quatuor millia & sexaginta iugulauit. Quin & occisorum capita, crudelis dictator, oculis eius oblata aspicere, per voluptatem non horruit. Nec humanior existimari Marius debet, qui Marci Anthonii pręclari oratoris mensę appositum caput manibus per ludibrium contrectauit. Quis nescit Cæsarem multis in curia vulneribus præsente senatu fuisse necatum? Sed ne singula commemorem, plærosq; etiam laudatissimos imperatores insolens Romanus miles occidit. Simile in aliis multis Italiæ ciuitatibus & regulis legimus, & accepimus nostra memoria perpetratum. Gallia autem semel acceptos reges inuiolata fide obseruauit. Sed panegyricum ad Gallos, in Italos satyram scribere non assumpsi. *Perseuerant ab ortu cuiq; genti cognata vitia, quæ altera alteri improperet.* Illud obiter dico: extare per Italiam Gallicæ gloriæ atq; maiestatis perpetua monumenta, quibus ad hunc vsq; diem illustrantur Insubres, & præclaras à Gallis conditas vrbes habent: Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, atq; Vincentiam: nonnulli Papiam addunt, quam à Boiis atq; Cœnomanniis Eutropius conditam tradit. Quinimo magnæ portioni Italiæ perdurat Gallicum nomen, quod & ab eisdem & à Senonibus Gallorum populis initium accepit. Extant alia recentiora Gallorum non obscura apud Italos gesta, in quibus non exiguam laudem obtinet Carolus ille Magnus Francorum rex, qui apostolicæ sedis inimicos frequenti expeditione vltus est: cuius munificentia obrutam ruderibus Florentiam restituit. Nec abscondere potest Sicilia, quæ à Gallis olim per Richardum & Tancredum, perq; Andegauorum principes ornamenta accepit. Ad quorum gloriam accedit Appulia atq; Neapolis: vbi visuntur magnifica Gallicæ virtutis argumenta, quibus admoneri decebat ingratam prouinciam, ne in pulchre meritam de se gentem, Panhormi, perq; reliquam Siciliā clandestinis conciliabulis furens, crudelitatem nouo exemplo exerceret, per proditionem ausa, quod palam agitare sibi metuens perfidia formidabat. Sed ad propositam narrationem me conuerto. Alexandria (quia Astensibus finitima est) ad omnem motum Gallicæ vltra alpes expeditionis, primam belli molem sustinere solita, ruinas hactenus suæ calamitatis ostendit. Accepta Alexandrinorum expugnatione, mox Papienses in regis potestatem transiere. Quo euentu permotus vecors Sforcia, & de suorum erga se fide dubius, subducere se periculis cogitauit. Positoque in arce Mediolanensi ad præsidium milite, dat non paruam præfecto pecuniā. Ratus arcem, quæ longe munitissima est, annum totum aduersus irruentem Francum resistere posse, quo in tempore ipse ad Maximilianum Romanorum regem

Ciuitates Insubriū à Gallis conditæ.

Sforciæ vecordis fuga.

(cui suam neptem in matrimonio collocauerat) se recipiens, Germanorum inde copias educeret. Atq; ita cum filio & paucis clam per Comum per lacum larium Tridentum ignauus abscessit, vbi à Maximiliano Romanorũ rege receptus, conuocatis tertiò Germaniæ principibus, de recuperando ducatu auxilium petit. Fugiente Sforcia, non multo pòst Mediolanenses regem admiserunt. Et arcis præfectus idem facere admonitus, semel atq; iterum restitit: tanquam arcem sincera fide Sforciæ seruaturus. Sed auariciæ (quæ Lombardis congignitur) obsequens, arcem deditúrum se promittit, si quam in ea supellectilem Ludouicus discedens reliquerat, regio dono sibi liceret accipere. Placuit partim conditio & dimidium supellectilis præfectus accepit. Decemq; millibus nummûm aureorũ à rege donatus est, ne diuturna obsidione forte labefactanda arx impendiosa reparatione indigeret. Quæ sex validissimis turribus exurgit: quas latissima fossa & aqua perennis cingit. Estq; intra eius arcis ambitum altera, quam Roquetam vocant: vix (si defensorem habeat) expugnabilis. Vnde ad tertium vsq; lapidem sunt subterranei meatus tres, per quos fieri libera in campos eruptio potest. In ea bienne viaticum & arma reposita erant, quot duorum hominum millibus instruendis sufficerent. Et duo machinarum bellicarum millia, præter quatuor ingentes bombardas, tam in priore arce, quam in hac Roqueta reperta sunt: vanum proculdubio & inutile in tanta mole munimentum, quod meticulosus atq; ignauissimus princeps, viso necdum hoste, deseruit, & prodidit auarus præfectus. Igitur rex munitionem admiratus, vah, inquit, hunc locum annos multos facile defendissem. Hanc arcem Franciscus Sforcia condidisse perhibetur. Mediolano cum arce recepto, reliqua regionis oppida, cum castellis vniuersis, libera paulo post deditione, in regis potestatem traducta sunt. Venere præterea Genuenses, quibus præfectum dedit Philippum Rauestanum, materno sibi genere attinentem. Venetis Cremonatum aliquot insignibus Mediolanensis principatus locis (quia ita ab initio conuenerat) permissa.

Genuenses.

CAP. 4.

Turcorum insultus.

SVB idem tempus Turcorum classis, quos auxiliares Sforcia adsciuerat, à Venetis Gallisq; maxima parte deleta est. Præerat Venetorum classi Anthonius Grimanus, inter Venetos apprime diues. Qui cum victoriam in manibus haberet, pusillanimiter agens Turco non restitit, quin Naupactum (Lempatum vocant) ingressus solo æquauit. Franci vero Salamina nauigantes, hostiliter occupauerunt igni ferroq; omnia vastantes. Cephaloniã Venetus inuasit, cæpitq;. Turcus Forum Iulium inuadens, omnia crudelissime in prædam vertit. Sed ab Hungaris & Bernardino comite Francpano obsessus hostis, fame tabescentibus equis, per inaccessa capris montium iuga reptando potius, quàm incedendo, euasit: interemptis magno numero, quos abducebat, Christianis captiuis. Tam prospera, & minime cruenta, intra paucos dies habita victoria adductæ Italiæ ciuitates & reguli, legatos quiq; ad regem miserunt, gratulatum rebus eius prosperis oblatumq; opem suam: si ea vti placuisset. Fuerũtq; à poëtis eius regionis multa ad regis extollentiam carmina honorifice scripta & oblata. In hac rerum fœlicitate quidam mediocri nobilitate armati, licentius militum more agentes, ob stuprum & fœdas libidines, vltima (rege mandante) passi sunt. Fuit his diebus per Gallias pluuiosus aer, & propter continuos imbres vuæ non maturuerunt: & Parisii peste laboratum est, non tamen diuturna. Priusquam in Lombardiam proficisceretur Ludouicus, de Normanno Scascario (id est communi gentis Normannorũ foro) suasu maxime Georgii de Ambasia, Rothomagensium archisacerdotis hæc statuit. Mos erat post Rollonis mortem diligenter obseruatus, statutis annis Scascarium Rothomagi indicere: ibiq; ex omni Normannorum conuentu totos tres menses ius dicere ligatoribus, qui ad Scascarium Doleantiam (quo nomine prouocatio significatur) perferebant. Id tempus, quia expediendis iudiciis haudquaquam sufficeret, restantibus multis causis, quibus patronorum culpa finis dari non posset (patronis enim qui consuetudinarii à Normannis dicuntur, suumq; à litibus lucrũ augurantur, id interstitium maxime conducebat) edixit propterea rex, Scascarii nomen in Parlamentum commutare, vt non alternis annorum vicibus, sed perpetuo consensu

Scascarii in Parlamentũ commutatio.

cau-

causæ in eo agerentur, iusq; diceretur. Igitur huic Parlamento iudices quatuor & consiliarios sex & viginti instituit. Addidit præterea cancellariam & regium sigillum. Præsides fuerunt Iohannes Hebert Constantianus præsul. Anthonius Boierus, monasterii sancti Audoeni abbas. Christophorus de Carmona, & Robertus de Calange. Cœperunt sedere in eo Parlamento Calendis Octobris, anno dominicæ pietatis CCCCXCIX. supra M. Quo anno tertio Idus Octobris, Anna regina fœminam parit: cui Claudiæ nomen inditum est. Et pons nouus apud Parisios II. & XC. anno postquam conditus fuerat, cum vniuersis ædibus, quæ pulcherrimo, ad vtrunq; pontis latus, ordine, eademq; altitudine sexaginta superextructæ erant, horam ante meridiem circiter nonam totus concidit. Quod vix existimandum incommodum præpositi & Scabinorum vrbis negligentia accidisse consentanea omnium fama prædicabat. Cum enim annuas octingentas libras ex pontis prouentu acciperent, permodicum tamen in eo instaurando impendebant: reliqua in suum commodum reponentes. Nam superiore anno, ædilibus (qui magistri operum vulgo appellantur) denunciantibus, tigna quibus pons nitebatur, antiquata esse, atq; ideo opus esse (veteribus sublatis) alia apponere, negocium distulerant, donec imminente prope diem ruina, cum de instaurando ponte nulla spes esset, faber lignarius ad censorem criminum Iohannem Papilionem veniens, ruiturum ante meridiem eius diei pontem, constanter affirmat. Quamobrem (asseruato in custodia fabro) censor ad curiam protenus venit. Quem quòd intempestiuius solito accederet (erat enim hora fere septima) Theobaldus Bailletus ex curiæ præsidibus secundus, ratus censorem de captiuis pro suo officio aliquid consulturum, rogat quid velit. Est, inquit, censor aliud miserabile: pons nouus proximam & nunc instantem ruinam minatur: Id renunciare senatui aduenio. Inde Theobaldus confestim ad senatum conuersus, dirum nuncium explanauit. Mox ex senatusconsulto, censor nihil cunctatus, omnes pontis inquilinos migrare iubet: simulq; regios seruientes ad pontis extrema locat, qui transituros prohibeant. Dum supellectilem quiq; suam & merces auferre trepidus festinat, qui in ea re tardiores fuerunt, vna cum ponte corruerunt. Fuit hæc iactura tum multis inquilinis, tum reipublicæ Parisiorum apprime molesta. Inquilini domibus mulctati, & quos precario aliena domicilia subire oportebat, sua damna querebantur. Plebs tanto accepto incommodo in rectores tumultuari & furere timebatur. Quod ne accideret, Parlamenteus senatus præpositum mercatorum Iacobum Pedemferreum & Scabinos confestim accersiri, & in custodia apud regium palatium seruari iubet. In quos iudicium ferre non prius voluit, quàm de præsenti fortuna regis sententiam explorasset. Prænunciabant ruinam ingentes in ædibus rimæ, & in trabium tignorumq; commissuris hiatus. Et pauimentum fatiscere cœpit, moxq; non sustinentibus tantam molem veteranis tignis, pauimentum primò, reliqua inde omnia, quæ ponti hærebant, in semet prona, & tanquam sibi occurrentia miro fragore prolapsa sunt, simulq; tanta puluerum nubes aerem obscurauit, vt nihil esset videntibus perspicuum. Sistit Sequana suos fluxus: & sursum, non secus ac si cataractis fuisset cohibitus, refluxit. Puellæ enim quædam, dum ad Glatigniacum, paulo supra pontem, pannos abluunt, altera fluminis restagnatione correpta, extincta est: altera fluctibus præualens enatauit. In cunis obligatus infans in summã aquam emergens (adnauigantibus qui in flumine cum lembis erant nautis) periculo liberatus est. Vnus ex iis, qui quotidiano quæstu operas suas locant, dum ex quadam domo magnum sagittarum atque telorum fascem efferendum ab opifice desumpsisset, ipse vna cum fasce clitellis ad humeros imposito in flumen collapsus, nullo vulnere, præterquam parua cutis derasione, offensus, nautarum ope eripitur. Alter vbi dissolui pauimentum animaduertit, ad posteriorem ædium suarum fenestram raptim conscendens: cum nandi peritus esset: se deiecit in amnem: atque euasit incolumis. Tam vario euentu aliis saluatis, alii (non admodum multi) ruina attriti perierunt. Eius pontis longitudo septuaginta passuum & pedum quatuor. Latitudo octodecim passuum erat. Sustinebatur secundum aluei latitudinem decem & septem tignorum ordinibus. Singu-

Pontis ruina.

Sed honor sit auribus.

li ordines tigna xxx. continebant. Quodq; tignum paulo plus pedis crassitudine cum esset: II. & XL. pedibus longum erat. In eo ponte deambulantes, cum nulla parte aspici flumen posset: in continente se esse: & in nundinis diuersari reputabãt. Itaq; tanta ibi opificum atq; rerum venalium copia & varietas erat: tam præterea æqualis & speciosa domorum facies: vt inter publica regni Francorum opera, id est, non iniuria primarium dici potuisset. De huius pontis casu hoc epigramma condidi.

De pontis ruina apud Parisios.

Ne longa dubius titubes indagine rerum,
Quid sors forte ferat, aut qui sit casibus autor
Argumenta patent plus solis lampade damni.
Non fato cecidit, non ictu fulmineo pons:
Nec mala portandi dirus præsagia casus.
Prætor & ædilis, & stipes debilis æuo:
Pontis causa fuit miserandæ infausta ruinæ.
Qua sexaginta flumen desorbuit ædes.
Matresq; & teneros violentus Sequana partus.
Et famulos pariter sæuo torrente vorauit.
Mole ruinarum stagnauit gurges: & vnda
Retro flexit iter: donec præstantia rupit.
Alueus indignans sibi dudum peruia claudi:
Et se terrifico prouexit murmure fluctus,
Obruta nunc saxis, nunc tignis vndique trita.
Corpora mersa latent: & piscibus esca manebunt.
Crispini festum dicent insigne nepotes,
Tam tristi clade, quam mœsta Lutecia plorat:
Quingentos nostræ post annos mille salutis,
Dimidium cicli si vis subducere solis.

Mediolanensis ordinatio.

Inter hanc Parisiorum publicam calamitatem, rex Mediolani agens, ad ordinandam Insubrium rempublicam animum intendit. Quam à Sforcia vehementer vexatam grandi tributo leuauit. Nam ex annuo vectigali mille sexcentorum octo millium sexcentorum octoginta sex librarum Turonensium, quæ Sforcia exigebat, rex sexcenta & viginti duo millia & quingentas libras tantum accipere contentus: præsidia munitioribus locis imposuit. Commissaq; in primis Ianiacobo primaria ducatus gubernatione, illum Mediolani in palatinis ædibus habitare iubet. Quentino Scoto Roquetam committit, eiq; ducentos pedites Francos, & totidem Scotos attribuit. Maioris arcis custodiam domino de Scepeio mandat, cum quadringentorum militum Franci sanguinis, & leuis armaturæ præsidio. Ianuensibus Reuestanum, Sauonensibus Iuonem Dallegre præfecit. Palatio vrbis Iohannes de sancto Simone: Castelleto quod vrbi Ianuæ eminet, Guidonus regis Admiraldus præponitur. Castellis autem & insignioribus oppidis, quæ Etruriam versus, mari Ligustico adiacent, Francorum atq; Suitensium præsidium collocauit. Ad hunc modum compositis per Insubres rebus, rex in Franciam mense Decembri reuertitur. Præstolabantur Trecis regis aduentum Guillermus Iuliaci, & Carolus Geldriæ, duces: quibus erat de insignibus ferox contentio. Indignabatur enim Iuliacus Carolum vicinum sibi ducem, eadem quæ ipse gestabat, insignia vsurpare: relictis maiorum suorum insignibus: ducem insuper Iuliaci se nuncupare, nec resipiscere, quamuis sæpenumero fuerat, ne id faceret, admonitus. Vnde crescente indignatione (quod par pari cedere recusabat) res armis cœpit disceptari, digladiatumq; est multum acerrime. Et Iuliacus quidem oppidum Arcklens (quod in planicie & loco siluestri situm, munitissimum Carolo pertinebat) cepit. Conuenerat igitur tandem ad Francorum regem de ea controuersia referre, vt quod ille arbitraretur, id litem dirimeret. Quamobrem profectis Aureliam ducibus, & causa diligenter agitata: Carolum Geldriæ, Iuliaci ducis insignibus abstinere pronunciat. Oppido vero Arcklens Iuliacum cedere: & illud Carolo restituere decernit. Vsusque digna rege munificentia, quatuor millibus nummûm aureorum Iuliacum donat,


Iuliaci ducis aduentus.

nat, constituta insuper in annos singulos pensione. Comitabantur Iuliacum ducem tum plurimi tum viri illustres Philippus de Vernebegh, Guillermus de Waldech comites. Guillermus de Renembergh, Baro insignis. Dominus Iohannes Nagel, ecclesiæ Monasteriensis canonicus, & diui Iohannis Osnaburgensis præpositus: Crato de Milendunck, eques auratus: Iohannes Palant de Wildenbergh: dominus Robertus Plettembergh: Godefridus Hansselet, iuuenis generosus, quem suorum aulicorum numero rex ascripsit: reliquis vel pulchro munere, vel annua pensione honestatis.

Comparata hoc pacto intra duces amicitia, rex Lochias profectus est. Carolus Geldrius Molinum, Iuliacus Parisios petit. Vbi, dum honoris causa regium senatum ingressus, consedit: Iohannes Couardus, primarius præses, in mercatorum præpositum, scabinosq; (de quibus supra à nobis dictum est) sententiam tulit. Pecunia enim, prout quiuis eorum negligentius magistratum gesserat, multatus est, omnesq; officio amoti: ita vt inquilinorum, qui pontem incolebant, incommodum & iacturam, damni æstimatione præhabita compensarent. In reliquos, qui extra ordinem erant, & supra aliquot annos Scabinatui præfuerant, quod imminenti tam diu ruinæ non occurrissent, pœna indicta est: quinto Idus Ianuarii, anno Christianæ religionis Millesimo.cccc.nonagesimonono.

Hæc sunt quæ ex ingenti Francorum annalium aceruo delecta, ad compendium deduxi: ducentorum supra mille annorum curricula complexus. Legat pius lector cui hæc forte conuenient. Sin minus: iustis saltem Gaguini in rempublicam laboribus non detrahat. Operis Peroratio.

Hactenus Gaguinus.



REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DOMINO FRANCISCO PONCHERIO, PARISIENSI PRÆSVli dignissimo, Hubertus Velleius perpetuam fœlicitatem dicit.



PELLES *ille & Polycletus, sacratissime antistes, omnia eorum fere opera (si Plinio credimus) ac nouissima, & tanquam singulis aliquid fato sit ademptum, inscripsere: quò in iudiciorum varietates eis ad veniã superesset regressus, velut emendaturis, si non essent intercœpti, quicquid desideraretur. At Gaguinus noster, quos de Francorum gestis annales edidit, ad sua vsq; tempora adeo consummauit, vt altius ab eo expectari possit nihil, si æternitatem inter mortales ei non optaueris, quò crescentia in dies primarii populi inclyta facinora perpetuo alite efferret. Nam, si Alexander Macedo Achillem Homero præcone fœlicem recte exclamauit, quàm iustius posteri reges Christianissimi, hunc suæ gentis stemmata tam egregie celebrantem, sitierint? cui omnis historiæ apex concessit. Verum qui calcatis hostibus emeritos exaltant, laureasq; pro virtute non abnegant: hunc emeritum cœlos, quietem perennem, ac amplas tot tantisq; sudoribus coronas accepisse minime inuidebunt: vtque suo Ænea Maronem & Romanæ maiestati lacteo eloquentiæ fonte manantem Liuium cœlites dedere, sperabunt, quæ recte gesserint, proprium vatem habitura. Ecce sepultam fere priscorum regum memoriam Gaguini solertia restituit. Ecce restitutam alter Liuius, Paulus noster Æmilius adauget & excolit. Quid magis optandum, expectandum, quærendum, expetendum? Proh dii immortales, hinc cauillandi æmulis materia in me nascetur: qui tam præclaro bonarum litterarum principe Francorum res gestas nouo opere illustrante, non erubuerit nouellum aggerem ad Gaguinum nectere. Sed quid in hoc meam nisi paruitatem damnauerint, cui, vt noctuæ, pleno die volitare nõ liceat? Ecce hanc noctuæ licentiã mihi quæsii, quò in Gaguini occasu: antequam Ludouici XII. ac Francisci I. gestis, Æmilii iubar oriretur, angustam vagandi horam. Venarer fateor illum (si vixisset) elegantius scripturum. Hunc vero & illius & mea qualiacunque sint scripta illustraturum. Hinc nil mihi pœnitendum est, si interea æternitatis quidpiam inter geminos soles affectauerim: quinetiam & si hæc duo lumina quiescant, ea est vtriusque principis (quorum per me gesta narrantur) inextinguibilis lux: vt omnem mei laboris caliginem prorsus clarificent. Quod si tui syderis radii pontifex amplissime illuxerint: & exili nostro operi datum fuerit, tantum inconcussis oculis lumen sufferre, nos aquilis non noctuis connumerabimus. Vtcunq; sit exiguum opus. R. D. T. pronus offero, non rigidam censuram: sed innatæ numen clementiæ expectans. E. R. D. T. quæ in Nestoris annos optime valeat.*

VALE, IVS, GLORIA MEA.

HVBER-

HVBERTI VELLEII AQVENSIS, VTRIVSQVE PERITIÆ DISCIPVLI, SENATORIIQVE AD GAGVINVM AGGER.

Cap. I.



BRVTVM Præpositi ædiliumq; incuria pontem, perennius ac ornatius perpetuo instaurari lapide curauit Ludouicus, quò ab illius ruina ei æternitas ordiretur. Verum Alexander pontificum apex, æthereum sidereo adamante pontem struxisse creditus est, virginei partus quingentesimo supra millesimum anno, dum iubileas statas Christianæ reipublicæ indulsit. Tantus enim vniuersæ gentis concursus in vrbe fuit, vt ab ea, cuius magnitudini orbis impar olim fuerat, ægre caperentur. Quinimo nec tantam mortalium congeriem communis excipere patria potuisset, ni Sforcia è Germania reparato exercitu, Insubres violentus inuasisset, totamq; terruisset Italiam: qui ne inhumanum quidpiam horrescere videretur, impias in Romipetas hospites manus iniecit, & singulum quodq; Galli caput aureo emit. Non efferum religio, sanctissimæ hospicii leges, pietas metuendaq; pontificum fulmina, debacchantem vllatenus terruere, sed æque ac si immortalibus diis bellum indixisset, in quodcunq; facinus audens, ius omne imperii gratia violandum iactabat. Quod etsi cruentam illius tyrannidem Mediolanensis populus satis nouerat, non tamen aut senatus maiestate, aut Triuulci concione, quam elegantissimam palatinis in ædibus habuit, dimoueri potuit, quin detrectato æquissimi principis iugo, violentam Sforciæ seruitutem subire mallet. Cessere ergo rebelli ciuitati senatus, Triuulcius & Galli heroes, ac in arcem se receperunt. Sforcia autem, ęque ac pater patrię, qui paulo antea vt hostis profugerat: cum Ascanio fratre triumphans, numerosoq; cinctus milite, ingreditur vrbem: quæ humaniorem solito rediisse sperabat, sed mox immanissimum experta est. Nec mirum. *Quis enim Leonem à tigride mansuetiorem fieri, aut tyrannum ab effreni Germanorum cruditate mitiorem arbitretur?* Vix appulerat Dionysio sæuior: miseros ciues aut proscribit, aut trucidat aut cumulatis opibus priuat. Nil erga impium iusticiæ decor, nil nobilium stremmata, nil patriæ splendor, nil populi benemerita pensi obtinent, sola vis furentem pascit animum, & cœcos mentis oculos oblectat crudelitas. Nihil eo pauidiores Galli, arcem ac munitiora Insubriæ loca validissime tutantur, præsidio subiectas ciuitates Bellicarum fulmine machinarum terrent, populantur, euertunt. Pænitet miseras Scipionibus Catilinam, & vrbium desolatorem, vero parenti prætulisse. At ille arcis præfectos pecunia sollicitat, sed vbi nil venale apud fidissimos nouit, exercitum (relicto Mediolani Ascanio) Nouariam duxit, vbi Trimollium, Triuulcium, Ligniacum, ac cæteros Gallorum duces copias conflasse acceperat. Sed nec pugnandi copiam imbellis fecit, imo intra vrbis mœnia pauidus se exercitumque continuit. Gaiacius Sanseuerinus Galleaci Germanus, Sforciæ casum prudentiori (vt suspicandum est) oculo præuidens, aut durioris impatiens imperii, ortis aut simulatis cum fratre simultatibus, ad Ludouicum defecit, & cum vxore Lugdunum se recepit: vbi à regia clementia liberalissime ac humanissime susceptus, aureo diui Michaëlis torque honestatur. Anna illustrium iubar heroidum, frequenti pompa ac publico ciuium applausu, Galliarum iterum Regina Lugduni suscipitur. Contra Nouarienses infaustis Sforciam auspiciis sua in mœnia excepisse dolent. Oppressiq; militum insolentiis, nullam fidem pietatemq; viris qui castra sequuntur, protestantur, exclamant, illachrimant, conqueruntur. Nec mansuetioribus agitatur furiis improbus miles. Segnitiem infœlicissimi ducis arguit, eius auaritiam inexplebilis culpat, fortunam ridet, aucto-

Parisius pons instauratur.

Iubileus annus Romæ celebratur.

Sforcia è Germania rediens, Insubriam inuadit.

Mediolanenses à Ludouico deficiunt.

Sfortiæ impietas.

Gallorum strenuitas.

Sforcia nequicquam arcis præfectos pecunia sollicitat.

Gaiacius Sanseuerinus à Sforcia ad Ludouicum profugit.

Anna augusta Lugdunum publica lætitia ingreditur.

Nouarensium calamitas.

ritatem spernit, imperium flocci facit, iram, æque ac beneuolentiam pendit. Omnia hinc in eius maiestatẽ miseros ciues, vrbem, opes & ipsos immortaleis deos licere sacrilegus putat. Cui fidat, cuius consiliũ captet, in tã aduersa rerũ sorte nescit Sforcia. Hinc sibi infensos ciues conspicit, illinc temerarios ac tumultuantes videt milites, iudicii inops, desperatisq; Xerxe rebus vęcordior, relicto sine duce exercitu, Mediolanum euolat. Illius discessum ac fugam, tum eius milites, tum nostri criminantur: pacisq; condiciones per internuncios tractant. Non spernenda etenim Burgundionum phalanx ad nostros transfugerat. Quod vbi Sforcia resciuit, ne cœptæ desertor militiæ prorsus videretur, ab Ascanio (vt reor) persuasus, celeri equo Nouariam repetiit. O quam fœlicius Garamantas & Indos lustrasset. Vbi appulit, exercitus primores ad se vocat. Vt aduenerunt, in hæc prorupisse verba illum accepi. *Vix mortalium quisquam commilitones ignorat, quàm proprio ac patrio incommodo superinclyti progenitores mei, Francorum regibus promptißimo semper fauerint animo, quàm Gallicum nomen defenderint, coluerint, & æque ac penates deos habuerint. Et, vt immensa & vicecomitum & Sforciadum erga illos beneficia (quæ quilibet compertißima habet) reticeam: quis nescit, Carolum* VIII. *vniuersæ armis Italiæ circunuentum, mea sollicitudine, reductoq; Insubrum exercitu liberatum? Nonne illi ad Vercellas Longobardam fidem laceranti, rodenti, renouato fœdere apertißime id probaui, sororiumq; Ludouicum Aurelianensem (etsi iam tum mihi comminaretur) restitui? nonne ille omne iræ venenum in pontificem Venetosq;, pace mecum firmata, diuerterat? Ita vt sperandum foret, Gallos adeo mihi deuinctos esse, vt & in Venetos & quoscunq; hostes omnem opem mihi præstarent: soliumq; meum integro robore firmarent. Sed heu heu fallitur auguriis spes bona sæpe suis. Ecce quos tutelares deos mihi proposueram, quos mei imperii æquißimos rebar vindices, quos denique post Cæsarem (omnium alieno fœdere posthabito) perpetuos dominos & amicos mihi (sed heu temere) pollicebar, violata fide, nullo iure fulciti, quodq; acerbius est, nulla (deos testor) prouocati iniuria, auito imperio insontem amicum, optime meritum spoliare moliuntur. Heu heu quæ venit indigne pœna dolenda venit. At iactant Galli insubriæ principatum ad Ludouicum Aurelianensem hæreditario iure spectare. Ea nube mentes vestras commilitones circumueniunt, & excæcare nituntur. Audite obsecro, audite: communem causam ab origine repetam, ne vana superstitione illi vos seducant, fascinent, obnubilent, aut mihi, imo Cæsari & reipub. alienos reddant. Perspectum vobis esse reor commilitones, Philippum vicecomitem sine virili sobole super astra relatum, superstites habuisse sororem Valentinam, quam Astensi vrbe dotatam, Aurelianensi duci matrimonio iunxit. Ac superillustrem Blancham, Mariam eius vnigenitam, Pontificum Cæsarumq; indultis legitimam, & à patris vltimis tabellis hæredem scriptam, quam Franciscus ille Sforcia principum suæ tempestatis decor, genitorq; meus, vxorem duxit. Quibus hæreditario iure paternum debebatur imperium. Sed Mediolanenses Cæsareis in principatibus fœminas minime succedere causati, iugum excutere, libertatemq; sibi vendicare statuerunt. Quod vbi diuus pater meus resciuit, profligatis (in quos tunc mouerat) Venetis, copias in rebellem patriam retorsit, quam tandem diis auspicantibus suis audientem imperiis reddidit. Postea ad cognatos cælicolas vocatus. Relictis quatuor liberis, Galleacium natu maiorem successorem in principatu elegit. Rerum potitus Galleacius, Cæsareæ maiestati sinceram fidem iurauit. Sed aduersis fatis, ab Andrea Lampugnano, in diui Stephani æde, occiditur. Cui impubes adhuc Iohannes Galleacius successit, qui & morte repentina sublatus est: iusq; imperii ad filium detulit adhuc infantem. Sed paruulum eius mater subripuit, quem tandem Galli, nescio qua arte, in monasterium truserunt, principatusq; incapacem, & mundo (vt aiunt) mortuum reddiderunt. Sicq; ad nos omne ius deuolutum est. Cæsareæ celsitudini fidele iusiurandum præstitimus, & veros principatus titulos optima fide præscripsimus. Nihilominus hostis nudam à fœmina referens originem, Cæsareis edictis reprobatã, Venetorum fabellis irretitus, ab auita præscriptaq; ditione nos extrudere nixus est. Ad summum reipublicæ parentem Cæsarem profugimus. Indoluit eius sublimitas, nec ferendam communem duxit iniuriam. Sed ad extinguendum publicum Italiæ & eius imperii incendium, vos, commilitones, validißima in tyrannos propugnacula, firmißimaq; reipublicæ bases conscripsit, causamq; meam protegendam vobis commendauit. Quid meam dixi? Cum imo res sua vestraq; agatur. Certe commilitones, si vestris (vt & armis, viribus, ac ordine superatus hostis) succumbat auspiciis, nõ mihi, sed Cæsari vobisq; Italiæ & totius orbis (quã patet)*

Sforcia Mediolanum refugit.

Burgundi ad nostros transfugiunt.

Sforcia ad milites oratio.

patet) imperium partum est. At si iniquo Marte (quod dii auertant) cesserimus, ab Italia proscribitur Cæsar, vosq; fidissima imperii dextera. Ergo agite commilitones, arma capescite, quibus & dii, & iura & omne robur fauent. Et si moriendum est pulchrum mori succurrat in armis.

Hæc fatus, vt nihilo animosiores (sciebant enim mendaci mente locutum) è concione abire conspicit, cœlum, mare, sydera ipsumq; deum optimum maximum furibundus detestatur. Fortunam iniquam conqueritur, diu anceps, ambiguus, titubans iterum fugam meditatur. Ha quanti Dædaleas emisset pennas, aut diuersas Acheloi & Prothei formas, quibus aut per aera euolare, aut hostem multiformi figura fallere posset! Dum anxia mens huc illucq; voluitur, Francisci Sforciæ effigiem, quæ forte ante oculos picta erat, conspicit. *Ecquid diue parens*, inquit, *degeneres erimus, & hosti sine conflictu cedemus? Audendū est potius & moriendum, quàm turpem dedecoramq; ducere vitam.* His animatus dictis, ad milites in forum (quod vrbis plateam vocant) armatus descendit. Quos vbi optime instructos videt, magnanimis verbis in nostros erumpere patentibus portis iubet. Parent milites, & longo ordine in apertos campos, vt pugnaturi, descendunt. At ille vt audentem terribilemq; nostrorum aciem despicit, qui læta fronte Martem sitiebant, pauidior, imbellis fractoq; animo nouum fugere consilium capit. Nescit quos inuocet deos, Cælicolæ spretor potentiæ: diui tamen Francisci (quem nunquam coluerat) habitum vestit. O quàm dignius muliebres induisset amictus, fœmina mollior. Hac nube Diomedi Æneam subripere putat. Puduit milites inermi vecordissimoq; duci seruire, aut illum tutari, quem iam victum cernebant. *Quippe tutior est ceruorum duce leone, quàm leonum principe ceruo exercitus.* Quò abiit, inquiunt, serenissime princeps illa magnanimitas, quam tam bella oratione præferebas? Cur hunc ornatum non sumpseras, cum mœnibus vrbis clausus, sanguinis tui insignia stemmata prædicabas? His improperiis illum ridentes, nostris vix conspectis sese dediderunt: mittuntur sub iugum. Impudentissimę copiæ medius cordiger Sforcia incedit. Simulata religione nostros fallere sperat. Sed illi Mercuriali caduceo liraq; opus fuerat, quo Argo vigilantiores Ligniacum, Trimollium Triuultiumq; strennuos nostrorum duces sopiret. Ab his deprænditur, & captiuus Nouariam (à qua mox princeps prodierat) remittitur. I, nunc infœlix, veneno occide nepotes, viduas à principatu pelle. Communi hosti in patrios penates viam præbe, deorum hominumq; fidem, fœdera iusq; omne, quò imperes turpiter, rumpe, dissipa, viola, vt tandem diis mortalibusq; inuisus, miser, inops, vulgi fabula fias, acerbamq; vitam cum morte (quæ miseros surda aure auertit) commutare desideres.

Sforcia copias ad pugnam expedit.

Sforcia laruatus capitur.

Capto Sforcia, celer ad Ludouicum nuncius Lugdunum fertur, celerior ad Ascanium. Ille superis solenneis agit gratias, festosq; dies indixit: per regiones vrbium festiui ignes vndiq; accenduntur, carmina lyricæq; odæ canuntur & lætiores ludi fiunt: hic vero nil nisi fugam parat. Sed heu quò fugiet, cui neq; apud Latios vsquam locus, insuper ipsi Insubrii infensi, pœnas pro sanguine poscunt? Tyrannus ad Tyrannum viam capescet? ad Cacum Busiris profugiet? Armatur igitur purpura exuta, & collectis quingentis leuis armaturæ equitibus, rebellium ciuium nobilioribus ad Iohannem Bentiuolum, Bononiæ incubatorem, hospitii iure deuinctissimum properat. Sed ecce Venetorum mille circiter equites obuios in agro Placentino habuit, à quibus leui pugna victus, se in proximam arcem (cui ripæ altæ nomen est) recepit. Sed vbi nulla salutis via patuit, spem omnem in eos, à quibus desperauerat, conuertit: seq; conditione adiecta, si Ludouico redderetur, dedidit: ea lege excepit Venetus dux. Exceptum tamen Venetias traducere tentauit. Cui Montosonius ac aliqui Galliarum proceres obstiterunt. Consultus Venetiarum senatus, eum hostem Regii culminis iudicans, ad Ludouicum dimittendum censuit. At Mediolanenses propriæ pertinaciæ, rebellionis, & defectionis conscii, vt Sforciadas euanuisse, Gallosq; vrbem populaturos aduentasse viderunt, supplices ad Ambaxium Cardinalem & proregem oratores mittunt. Obsecrant in vrbem veniat humilem, deuotissimam. Precibus flectitur Ambaxius, timidam ciuitatem ingreditur. Et palatinis ædibus susceptus, frequenti senatu Michaëlem Tonsum, Cap. 2.

Ascanius cardinalis fugiens capitur.

Cardinalis Ambaxius pro rege Mediolanum ingreditur.

iureconsultum conciues his defendentem verbis audiit. *Inter ornatissimas (inquit) Italiæ vrbes (reuerendissime & superillustris præsul) siue religiosissimas deorum immortalium basilicas, siue principum decoratissimas ædes, siue superbam arcis molem, siue immensi populi frequentiam, siue situm, siue amœnissimos vndequaq; hortos, siue agrorum vbertatem, nectareasq; Bacchi opes, siue latissimum imperium consideres: hanc facile præcipuam fatebere vrbem, principibus grauidam, claramq; triumphis, ingeniis plenam, doctis musisq; decoram. Sed proh dolor ea est amplissimarum miserrima sors ciuitatum, vt quàm potentiores sunt, tam dissidentium iniurta ciuium pessum eant. Hinc in diuersas luxurians Babylon linguas confunditur. Hinc Niniue obruitur. Hinc propriis Ilium ciuibus proditur. Hinc Romani æmula principatus Carthago interiit. Hinc rebellis Hierosolyma in cineres vertitur. Hinc deniq; ipsa orbis princeps Roma, ciuilibus telis attrita, toties in hostium manus deuenit. Sed quid mendicatas externarum ruinas vrbiū recenseo? Cùm hæc inclyta vrbs intestino ciuium odio sæpius fere occiderit. Et vt prætercam, quas à Federico II. clades sustinuit: quis nescit quibus dolis Franciscus ille Sforcia eam sibi audientem reddidit? Nonne Gibellinorum factione huius vrbis (cuius auspiciis in Venetos militabat) retorto in patriam Marte habenas occupauit? At parcendum ingenuæ videretur ciuitati, à proprio milite obsessæ, si excussa Sforciadum tyrannide, post cruentam Galleacii necem, post venenatum Iohannis Galleacii excidium, post expulsum parricidam Ludouicum (quem à barbarica cruditate Maurum cognominabant) verum Christianissimi regis numen tandem agnouisset. O quam fœlix hæc vrbs videbatur, si quæ diu in tenebris ambularat, ortam deo auspice lucem non respuisset: in propria ædepol venerat. Sui autem (& si fictis animis receperant) turpiter eiicere tentauerunt. Et iam languentē Germanicis paludibus anguem reuocare tentauerunt. Proh Iupiter, quo dicendi genere hæc meorum proteruia ciuium purgari potest? Certe nec Demosthenes, nec (Romani iubar eloquii) Cicero, tam apertam ingrati contumaciam populi excusare possent. Quid igitur reuerendissime præsul huc conscendi? Conciues ne accusaturus? Perfidos ædepol damnaturus, reliquos vero (si quid culpæ aut criminis è proteruorum nube contraxerunt) pro virili expiaturus. Verum leuis erit prouincia illos cum authoribus suis, in lacum miseriarum iam demersos, execrari: vincti enim pestiferi patriæ angues Ludouicus & Ascanius Sforciadæ omnem (quà latuerant) perditorum herbam secum perdidere. At hos (qui regia clementia funestis anguibus liberi, maligno elusi consilio, ad Thesiphoneas iterum comas animos conuerterant: diraq; sanie respersi, dilectum, qui inter lilia pascitur, abhorrentes, mortiferum aspidem amplexi sunt) O dii immortales quis expiabit? Quis duræ ceruicis populi contumaciam absterget? Quis ingratitudinem expurgabit? Quis culpam diluet? Proh scelus horrendū, quod nec Iouis ira, nec igneis, nec poterit ferrū, nec edax abolere vetustas. Fateor præsul sacerrime, si omne cœlū in irā vertatur, si ruptis naturæ legibus Pyrrhæ secula redeant, si deniq; Pluto, Minos, & Radamanthus aggerendas in pœnas omne ingenium confundant, omnem pœnam, cruciatum ac tormentum ciuium iniquitas & reatus excedent. At nec cœli irati videntur, Neptunus furores compescit. Anguicomæ Sforciadum furiæ vinctæ ingemiscunt. Et fulgentissimum clementiæ tuæ sidus nobis auspicatissime illuxit. Conuertite ò ciues lachrymantes oculos ad præsentissimum numen, radios æquissimi Apollinis prostrati adorate, larga è cordium penetralibus suspiria fundite, ingemiscite, contristemini. Cor namq; contritum & humiliatum deus non despiciet. Heu heu ò ciues is vestra, & quæ audiri meruit, infœcunda est oratio. Tantus enim vestrorum est cumulus scelerum, vt clementissimas quasq; aures haud iniuria offendat. Eia ergo huc ades, O Triuulci, optima desperatæ spes patriæ. Qui triplici prudentiæ vultu Iano oculatior hinc fortunæ sæuientis pharetras despexisti: Illinc noxium anguem debellasti. At nunc medio, quo cœlum tempestatesq; serenas? Placidissimo vultu opus est quo iratum nobis Iouem concilies. Nosti enim, quæ fuerit Sforciarum vis, vt optimos quosq; aut proscripserint, aut damnauerint, aut iure vel iniuria suas in partes traxerint, & in scelerum sentinam inuitos demerserint. Vis ad defectionem nos impulit, quæ si culpam non diluit, contumaciam tamen minuit. Procumbe igitur, ò miseræ ciuitatis fœlicissima soboles, & publicas tuis mistas benemeritis preces porrige. Ecce reuerendissime antistes in cilicio & cinere mœsta iacet ciuitas, facta velut vidua, regina vrbium, princeps prouinciarum. At si populares preces te non mouent, genu flectit ecce Triuulcius pro patria, pro diis penatibus, pro parentibus, pro liberis, pro amicis supplex orat, amici optime meriti, & populi pœnitentis preces suscipiat Celsitudo tua, militem irruentem ruinosis à mœnibus propellat, mulctam quam ad trecenta millia num-*

Ad Ambaxiū pro Mediolanensibus oratio.

Videtur aut lis, aut vis legendum.

mūm

mûm aureorum promisimus (vndequaque afflictæ vrbi compatiens) minuat, magistratus restituat. Et denique à Sforcia, dum (si qui superstites sunt) impetu hanc vrbem, quam abhinc fidissimam obsequentissimamq; iuramus, regio munitã præsidio, protegat, regia clementia in æternos annos seruituram: Hæc vix finierat Tonsus cum vniuersus genu flexo populus multiplicatis vocibus conclamauit: VIVAT REX VIVAT REX. Mouit Ambaxium humilis populi ficta simplicitas. Omnis namq; turba lineis vestita amictibus, nudato capite prostrata iacebat. Cui per Michaëlem Ricium iureconsultum eminentissimum paucis responsum dari iussit.

SI *vnquam vberrimus regiæ fons clementiæ, nunc primum ô Mediolanenses exhauriri potuit: vestrorum enim scelerum labes tanta est: vt* **CAP. 3.** *Michaelis Ricii ad Mediolanenses pro Ambaxio responsio.*

--- --- --- nec Padus impiger vndis,
Nec Tyberis flauus, nec styx Phlegetonue piarent.
Sed cum sydereos ornet clementia cælos,

Inuenistis gratiam coram oculis domini, & misertus est super Niuinen, vt pænitentiam in cilicio & cinere egit. O ingens: ô immensa, ô admirabilis, ô inclyta, ô superexcelsa, ô vere diuina regii benignitas animi: misericordias tuas quis enarrabit? ô excellens, ô fulgida, ô laudatissima & æternis celebranda seculis, huius firmissimi ac illustris Romanæ ecclesiæ Cardinis, & proregis ornatissimi humanitas: qui tam propicio sydere regium numen vobis flexit, nedum, placato serenoq; vultu vos (etsi immeritos) pacientissime audiit. Ecce iniquitates vestras sustulit, & iam iniuriarum oblitus apertis vlnis amicoq; vultu vos amplectitur. Ecce ô Mediolanenses hic cardineus apex, vobis regia sceptra Iouemq; conciliat. Et dat epulis accumbere diuûm. Reuerendissimæ eius dominationi vestras igitur scriptis protendite preces. Et placatum regium culmen sentietis.

Vt perorauit Ricius, vniuersa plebs iterum, VIVAT REX ET FRANCIA, conclamauit: sicq; soluta est concio. Dehinc Ambaxius porrectas à populo preces frequenti senatu auctorauit. Et ad restituendam ornandamq; rempublicam sese accinxit. At Ludouico par visum est, rebus feliciter succedentibus non solum Mediolanum: sed etiam reliquas Insubrum vrbes, Gallorum moribus excolere. Ob id ad Ambaxium scribit, senatum Mediolani stabiliat: Magistratus per singulas vrbes disponat. Et præcipue Academiam Ticinensem reformet. Paret Ambaxius & (vt erat bonarum litterarum vnicus Mæcenas) viros clarissimos toto orbe quæsitos, aut senatui adscribit, aut magistratibus donat, aut Academiæ ingenti mercede præficit, & inter cæteros illum omnigenæ disciplinæ Apollinem Iasonem Mainum (quo nihil mirabilius nostra ætas habuit) ducentorum, & mille nummûm aureorum annuis stipendiis præcipuum scholæ doctorem conduxit. Interea ille principum (vt olim iactabat) vertex, belli pacisq; arbiter Sforcia, Lugdunum adducitur. Obuiam regio iussu illi fuere aulæ præfectus & Lugdunensis prætor, qui eum regi manciparunt. Non illum purpureæ aut aureæ vestes, non gemmæ, non sceptra decorabant. Super exiguo ludibrium fortunæ mululo sedebat, camelotea veste tectus. O varia & inconstans iniquæ sortis volubilitas. Ecce quem omnes Italiæ populi expauescebant, quem orbis principes mirabantur, quem Cæsareus apex amplectebatur, cuius consilium prudentissimus quisq; ac Delphicum oraculum obseruabat, nunc consilii inops, sibique ipsi metus, à mulierculis etiam irridetur. Concurrit Lugdunensis populus, illum visurus, de quo tot aliquando & vicia & virtutes audierat. Mira profecto viri erat maiestas, compta cæsarie canis à vertice, ad humeros protensa, fusco colore, naso aquilino, ore venusto, procera statura: satis egregium, referebat principem. Tandem per mediam vrbem tractus in arcem, (cui Petræscissæ nomen est) cruditur & illinc regio iussu Lochias (quæ illi perpetua domus fuit) traducitur: ne forsitan lætiora videret sponsalia filiæ Federici Arogonii, Siciliæ tyranni, quæ per eos dies Baroni rupis Baranæ & Britanniæ proceribus nupsit. Dum hymenea celebrant, Ligniacus ab Insubria optatissimus rediit: cui aulicos primores Ludouicus obuiam misit, & aduenientem æque ac germanum amplexus est. Sed longe dispar fuit Ascanii aduentus. Vt enim appulit, per vrbem ac ridiculum spectaculum ductus, in carcerem Petræscissæ (ne fratre melior censeretur) missus est. Quem tamen Ambaxius, vbi ab Insubribus (constituto eis

Mediolanensium preces à senatu auctorantur.

Ampliatur Mediolanensis senatus restituitur Ticinensis Academia.

Iason Mainus.

Sforcia Lugdunum adducitur.

Sforcia Lochias traducitur.

Ascanius cardinalis Lugdunum adducitur.

Carolo Ambaxio ex fratre nepote vicario) gratissimus rediit, ne sui ordinis fratrem in vinculis pateretur, regi conciliauit: quod iniquis oculis fortuna tulisse visa est. Stabilitos enim quos concusserat, cardines vt vidit, summum ecclesiæ culmen terra nil verita est.

Alexander pōtifex fulmine afflatur.

Quippe Alexander fulmineis afflatus ventis, mortuus creditus est. Sed mox conualuit. Et publicas in vrbe decreuit (quibus & ipse interfuit) supplicationes. Ego facile crediderim in cæteros sæuiisse fortunam, quò Ludouicum vnum efferret ab alto (si dii sinant) mox elisura. Enimuero reliquis orbis principibus tantus visus est, vt hi solum consultissime rem egisse viderentur, qui Ludouici beniuolentiam quæsissent. Ob id Trecas expectatus cum vxore petiit, vbi non solum Maximiliani, & totius fere Germaniæ legatos exaudiit: sed missos quoque à Soltano Turcoq; oratores, eius amicitiam exposcentes, religiosissimus princeps respuit. Nec defuere blanditores, etsi nihil illis deferret Ludouicus, qui & fluuios eius consuetudine oblectari profiterentur: Causati Rhodanum eius discessum indoluisse, mediamq; pontis partem quà Lugduni meabilis est: impatientius obruisse. At non paucis hæc ruina sinistri quidpiam portendere visa est. Quorum vanam opinionem Heluetii firmauere: qui nonnullas in regiam ditionem occursiones fecere: sollicitatis ad defectionem plerisq;, quorum regii corporis custodia (nescio qua fide) creditur: sed eorum inanes nixus illico repressi sunt.

Heluetiorum noui motus reprimuntur.

Ego magis his accedo, qui nouum pontificem Lugdunensibus præsagiri autumauere. Nam per id tempus vita functo Lugdunensi præsule, Franciscus Rohanus, Marescalli de Gies filius, in Lugdunensi sede suffectus est. Nec tamen fluuiorum furor (despecta forsitan noui præsulis tenera adhuc ætate) lenitus est. Nam & Arara Lugduno Matisconem vsq; glaciatus est: & Rhodanus adeo intumuit, vt vterq; innauigabilis diu fuerit: vnde nimia Lugduni annonæ charitas irrepsit.

Rhodanus Lugduni intumescit. Arar congelatur. Annonæ charitas.

At Ludouicus fluuiorum iras parui pendens, nec quid minitarentur curans, principum amicitias studioso quæsiit animo, eum facillime & ventis, & mari imperaturum prætendens, qui præpotentum auxiliis regum fulciretur. Ob id Parisios visit: vbi Philippum Austrium archiducem, eiusq; coniugem regio fastu excepit, pactisq; Caroli Austrii illius primogeniti ac Claudiæ Ludouici filiæ nuptiis, fœdus ictum est.

Cum Philippo Austrio fœdus feritur.

Illinc dimisso Austrio, qui Hispanias petebat, Lugdunum reuertit. Vbi recensito exercitui Ligniacum præfecit iussitq; Neapolitanum regnum adoriretur. Paret illi, ductisq; per Italiam copiis, Parthenopen tandem obsidet. Quæ minimo negocio cum Federico illius incubatore regio iuri accessit. Quippe Federicus recentem Sforciæ ruinam considerans (ne grauius sibi succederet, siue suis parum fidens) Ludouici imperium quàm carcerem experiri maluit. Sic exactus regno Federicus, in Gallias cum vxore nonnullisque eorum liberis (nam pars ad Ferdinandum Hispanúm clam exportata fuerat) sub custodia mittitur.

Regnum Neapolitanum cū Federico, iuri regio accedit.

Eius aduentum præcurrere nuncii ad Ludouicum: quibus auditis, diis immortalibus solennia sacra decreuit, nedum publicam per immensum imperium læticiam indixit. Fœlicem nuncium (vt auguratius veniret) sequutus est Federicus: quem aduenientem placidissimo vultu, ac cumulatis muneribus Ludouicus amplectitur, ingentesque annuos prouentus illi assignat. Ecce quàm breui tempore totius fere Italiæ fasces Ludouicus recepit! Quippe Florentini, Senenses, Bononienses, Ferrarienses, Mantuani, & omnes, quos præterlabitur Eridanus, tum populi tum principes eius nutui parebant.

Ludouici fœlicitas.

At ne quidpiam eius fœlicitati deesse videretur, Alexander eius gratiam promereri cupiens, Ambaxium vniuersæ Galliæ coapostolum legat: decimasq; sacerdotalium redituum (quò in Turcas bellum susciperet) Ludouico indulget.

Ambaxius legatus creatur.

Auctus legationis munere Ambaxius, publica læticia à Lugdunensibus excipitur. Moxque vt appulit, Ludouicum hortatur, vt in religionis perpetuos hostes exercitum mittat. Nil opus fuerat equo currenti addere stimulum. Christianissimus enim princeps prouinciam primogenito ecclesiæ filio dignam vltro suscipit, numerosam conscribit classem, cui Rauastenum præfecit. Oppressisq; à publico hoste Venetis, opem ferre iubet. Quorum Christianorumque principum auxiliis (vt qui pontifici iurarant Ludouico suppetias se laturos) Bisantium imperium Christiano nomini restituere sperat. Sed & principes & Veneti pontificem

Expeditio in Turcas.

&Lu-

& Ludouicum fefellere. Illi enim nullatenus auxiliares fuere: hi vero, quorum precibus tota pugnæ occasio cœpta fuerat, & commeatum Gallicæ classi (præter datam fidem) negauere, & (quod impientissimum est) cerbereo Turcæ in amicas copias viam patefecere. Hinc languidiores & sinistro Marte pugnantes ad Mytilenen nostri fusi sunt. Exacerbasse poterant Ludouici animum tum Venetæ perfidiæ: tum Auraicæ principis obitus nuncii. Illis nanque plurimum fidebat: hunc supra hominem prudentissimum vnice amabat. Vtrunque tamen vulnus leniere legati ab Hungaro rege missi, Ludouici amicitiam, regiaque stirpe virginem, suo regi nupturam poscentes.

Infœliciter Venetorum fraude ad Mytilenē pugnatur.

Auraica princeps moritur.

Haud aspernanda tanti regis (quo & in Venetos ac Maximilianum quidpiam noui semper audentem, & fidei hostes iuuari poterat) visa est Ludouico affinitas. Donatis ergo amplissimis muneribus legatis, Annam Candalli herois filiam, sibique attinentem, futuram Hungari regis coniugem, regiaque dote cumulatam ei tradit. Quam per vniuersas Gallici imperii vrbes (quà illi via fuit) Hungariæ reginam publico applausu salutari iussit.

Anna Candalla Hungaro regi nubit.

At veritus ne Mytilenea cladis procella nouarum rerum studiosis fractiorem se exhiberet: vtque Insubres solida in fide retineret: transactis alpibus Mediolanum gratissimus venit. Et ecce Genuensium oratores ei offeruntur: obsecrantes deditissimam sibi Genuam visere aliquando dignetur. Annuit, & illuc nil moratus, numerosa virorum illustrium manu cinctus applicuit. Quod etsi res insolita Genuensibus videretur, tantum perpeti principem: vt qui liberis ceruicibus (quos ea tenus passi fuerant tyrannos pro libidine excutere solebant) lætissimi tamen regium numen ingenti triumpho venerati sunt. Oblectauit (nil mirum) Ligustici maris vrbs domina Ludouicum, vanorum tum mores ciuium displicuere. Quorum ingenium vt perspectius haberet, bimestre apud eos fere exegit. Hinc per Insubriam rediens, patriam repetiit.

Ludouicus Insubres Genuensesq; visit.

Ad quem apud Allobroges adhuc agentem, Reuerius Philippi Sabbatensis nothus, vir illustris magnique animi, à Margareta Austria, quæ paulo antea Philiberto Sabatensium duci nupserat: pulsus, supplex profugit. Philibertus vero & Margareta ad Annam Augustam, quæ Lugduni Ludouicum præstolabatur venere, à qua nullo tamen ciuium apparatu benigne recepti, post sextum diem patriam repetiere. Fama erat, Philibertum Reuerii suggestione Ludouico suspectum, quò se purgaret, Annam conuenisse.

Reuerius Sabatēsis nothus ad Ludouicū profugit.

Philibertus Sabatensium dux cū vxore Lugdunum venit.

At Ludouicus mortalium nixus facilime superaturum ratus, qui immortalibus haud inuisus esset, procurante Ambaxio ac cordigerorum principe (quem generalem vocant) leges ac mores mendicantium reformari tetrica censura studuit. Hinc ad rempublicam conuersus, vectigalia & grauissimas oppressiones à centum annis nullo regum decreto attentatas antiquauit, ac Lugdunensibus plæraque priuilegia anno supra millesimum & quingentesimum tertio liberalissime indulsit.

Mendicantes reformantur.

Oppressiones & vectigalia antiquantur.

Dignus pace videbatur Ludouicus, qui pacis tempora & religiosissime & legitime excolebat. Sed instabilis, infirma & inconstans est (quam mundus largitur) pacis quies. Aut enim militiam eneruat, aut insolentem suspectamue reddit. Delitiæ quippe Capuanæ fregerunt Annibalem. At Ludouici exercitus nil eis illecebris mollitus, dum regni Neapolitani fines ambit, Ferdinando Aragono, Hispanorum regi, suspectus redditur. Qui dolo magis, quàm virtute rem auspicatus, Philippum Austrium ad Ludouicum cum pacis conditionibus legat. Ille sibi conscius, veritusque, ne vt Hispaniam, sic & Austriam fidem infidam suspicaretur, Ludouicus obsides postulat. Non distulit Ludouicus: hostibus plus æquo credulus, obsides mittit: quibus receptis Austrius Lugdunum properat. Psallentem festiuamque vrbem triumphans ingreditur, & à Ludouico præter spem iucundissime acceptus, infidum Hispani verbis fœdus iurauit, se ac Maximilianum socios inscripsit. Illincque ad Philibertum sororemque Margaretam Burgum, haud vile eorum Sabatensium (quos Breissianos appellamus) oppidum, euolat.

Fraus Ferdinandi Aragonii.

Austrius Aragonii vrbis infidū fœdus ferit.

Interea dum mellitis blanditur Ludouico fœderibus Hispanus, ingentem (cui Gonsallum Ferrandum præfecit) classem parat. Fingit in Christiani nominis hostes conscribi, quam in Neapolitanos fines Gonsallus eius imperio retorsit. Nostrosque nil tale timentes, periuroque fœdere illusos, palantes adoritur, funditque non sine perpe-

Qua arte Gonsallus Ferrandus Neapolitanum regnum inuaserit.

tua nonnullorum è nostris vecordiæ nota. Tantæ cladis acerbitatem exasperauit

Nemorsii ducis mors.

tum Ludouici Armigniaci, Nemorsi ducis, ac regii vicarii indigna mors: vt qui suis ad pugnam (quam Fabiana industria detrectabat) stimulatus, inter confertissimos peremptorum hostium aceruos desertus, magnanimus occubuit: tum etiam Ale-

Alexandri Pōtif. uarium ingenium.

xandri varium ingenium, qui Hispanos (nil mirum, Hispanus erat) commeatu iuuisse compertus est: tum maxime fœdifragi hostis perfidia, qua præcipue offensus Ludouicus, ingentes iterum conflat copias, quibus Latrimollium ducē designat. Iubetq; Aubigniaco (qui Gallicæ pugnæ reliquias collegerat, & in Calabria detinebat) festinans opem ferat. Sed properantem ægra corripit valetudo. Nec tamen substitit exercitus, sed in designatam prouinciam infirmum ducem inauspicate præcessit. Multa quippe infœlicem exitum portendisse visa sunt. Nam fugientem à prophanis altaribus victimam, antiquitas piaculum putauit, quam infœ-

Scholaris hæreticus Christi corpus à sacerdote extorquet.

licius prodigium censeri debuit. A iuuene scholari, hæretica ab Hispanis condiscipulis doctrina imbuto, palatina in æde per id tempus sacerdoti celebranti sacratissimam Christi hostiā vi raptam fuisse. Quam (vt concursu populi præpeditus exportare non potuit) contriuit & fragmenta in terram perfidus seminauit. Tentus

Hæreticus viuus crematur.

pertinacissime perseuerans, nec publicis precibus, nec à parentibus gementibus flecti, nec à clarissimis omnigenæ peritiæ doctoribus ab errore reuocari potuit. Ob id pura accensa manu, prius loco crudi facinoris amputata, suillo in foro viuus crematus est. Dehinc collisa fragmenta, pauimentumq; super quod iacta fuerant, religiosissime ac studiosissime inter sacras palatinæ ædis reliquias recondita sunt.

Alexander pōtifex moritur.

Superstes etiam pontis Rodhani pars Lugduni penitus collapsa est, quæ Alexandri pontificis occasum (qui paulo ruinam præcessit) non præsagire, sed Christiano nomini sinistrum fuisse testari potuit. Optimus enim fuerat pontifex *sola prole* notandus. Eius mors, Ludouico Matiscone tunc agenti nunciata est, qui rem be-

Ambaxius & cardinales vrbem petunt.

ne consultam ratus, si apostolicæ sedi emeritus præficeretur, Ambaxium Ascanium ac cæteros (qui cis alpes erant) cardinales Romam petere, & Christiano orbi pientissimum eligere parentem hortatur. Integer profecto fuit Ludouici in rempublicam Christianam zelus, feruensq; studium: qui Ascanium, etsi insidiantem inimicumq; (Sforcia in vinculis detento) pro comperto haberet: dimisit tamen non sine apertissimo periculo. Poterat namq; Ascanius aut in pontificem eligi, si authoritatem (vt qui summi ordinis cancellarius erat) spectes: aut saltem ad præsulatum Ludouico haud amicum (si affectatam vltionem consideres) efferre. Sed nullam (vbi publica religio emergebat) rei priuatæ rationem habuit Ludouicus. Quinimo & hosti & ambiciosissimo, ad summum apicem liberas laxauit habenas. Dimissi igitur cardinales, Romam venere, ad quos Ambaxius præcipue, cardinalium pleriq;, imo & Romani heroes accessere. Sed præ cæteris Cæsar ille Borgius Ambaxii gratiam pro virili expetiit. Satis sciens, consultius secum agi, si Gallus (quàm alia è gente) pontifex crearetur. Hortatur igitur pontificias ambiat infulas, se facile curaturum vt precio ducti patres ad eum vnum vota deferant. Abhorruit tam dirum facinus religiosi præsulis mens, & (vt erat modestissimus) non sibi sed dignissimo deberi respondit. Eo igitur detrectante, cardinalem Senensem

Pius III. pontifex creatur.

Pii II. ex sorore nepotem (qui & Pius III. dictus est) cardineus ordo, Ascanio id præcipue adnitente, elegit. Qui (etsi Gallis infestior esset) tanto auunculo haud indignus videbatur. Obiit VI. & X. initi pontificatus die. Inopinata eius mors Ascanium in ancipitem curam traxit. Videbat enim aut ad Ambaxium, aut Iulianum Ruuerum Sixti IIII. nepotem patrum studia cogi. Illum (etsi fictis coluisset auris) Gallum abhorrebat, metuebat: hunc capitali odio prosequebatur. Præualuit iræ metus. Conceptumq; inimicitiæ vulnus obliterauit. Iuliano igitur, quibus potuit conditionibus, se conciliat, quo Ambaxium retunderet. Rapitur eo procuran-

Iulius pontifex creatur.

te ad sacerdotii culmen Iulianus: qui dictatoris, quàm apostatæ nomen auspicatius ratus, se Iulium salutari studuit. Vtinam æque ac nomen, mores induisset Iulios, videlicet liberalitatem clementiamque. Certe innatam ambiendi imperii sitim auxit: quam tamen tandiu dissimulauit, donec accensis inter principes odiis, nunc huic, nunc illi fauens, vtrumque Ligustico ingenio falleret. Sat illi visum

sum clauibus iamprimum sumptis, si Romanæ ecclesiæ imperiiq; suis fores reseruaret, aut propriis cardinibus muniret. Ea mente ductus, nepotem purpureo galero, ac Petri ad vincula titulo (quem ipse cardinalis gesserat) ornauit. Iohannem vero Franciscum, ex fratre nepotem præfectũ vrbis creat. At nil sibi satis tutum putans, Cæsarem Vorgium, non vinculorum titulis honorat, sed vinculorum angustiis in mole Adriani onerat.

Borgius Cæsar in vinculo domatur.

Quod ne Ambaxio iniurium esset, eius coapostolatum firmauit: & ex sorore nepotem cardineis insignibus donauit. Vtinam super reipublicæ Christianæ puppim constitutus, furentes regiorum animorum ventos placasset. Longe aliena illi mens fuit. Quippe æque ac mendicatos portus quęritans (quò violentior eum ventus agebat) anchoram firmabat, mox Hispano hęsitans, mox Ludouicum efferens, mox Maximilianum pollicita laurea decipiens, mox Venetos abhorrens, cuilibet principum cum fortuna alludebat. Hinc iam accensos regum animos in ardentiores iras (dum cuiq; applaudebat, quo vtrumque tandem tolleret) animauit, armauit, impulit. Quippe veritus, ne, si Ludouico Parthenopeum imperium restitueretur, ambiciosus eius in apostolatum ascensus Ambaxio auctore damnaretur. Dum Ambaxio ficto ore vale dicit, oratque pro virili regum iras frangat, Hispanum clam monet, vt copias in Italiam augeat. Ille dum in patriam redit, per celeriores nuncios Ludouico mentem pontificis aperit. Hic vero, cui nec miles, nec æs abundat, ad fraudes se vertit, quibus virtute inexpugnabilem Ludouicum fregit. Enimuero Ludouicus rem suis haud dignam animis ratus, si hostem tantum ab Italia pelleret, patrios illius fines inuaserat, validoque exercitu (cui ducem Marescallum de Rieulx dederat) Russilionis terminos infestari iusserat.

In Russilione expeditio.

Iamque Falsam, minutissimum Russilionum oppidum adeo arctissime obsederat, vt deditionem hostile præsidium vltro offerret. Vtinam Marescallus conditionem oblatam accepisset. Sed quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames? Renuit hostilem deditionem, & quò respirandi spacium hosti pro libidine venderet, simulata valitudine Narbonam concessit. Hinc obsessi segnius oppugnantur, & desidiores nostri sine duce languescunt. Vnus Rupispotæ heros, dum magnanimiter oppugnandam arcem suadet, bellicæ machinæ fulminibus actus, ad cœlites migrauit. At Hispanus empti temporis vsuram resarciturus, auxiliares copias ad obsessos mittit: & interea ad Gonsallum scribit, pugnam omnium studio detrectet, donec suppetias ei ferre possit.

Hispani ingenium.

Dum Gonsallus non solum differt, sed nonnullos ordinum Francorum duces pecunia tardat (ne Aubiniaco, qui multis incursionibus hostes grauabat, iungerentur) Hispani auxiliaris exercitus acrius properat, nostros obsidionem soluere cogit, & semiuagos paucis tamen desideratis in patriam propellit.

Nostri ad Falsam fugatur.

His sinistris auibus inauspicatior Ligniaci mors, heu heu successit, quem & regiæ aulæ, & populares gemitus publico luctu suspirarunt. Principem mea sententia nulli suæ tempestatis cedentem. At publicas tersit lachrymas vrbe rediens Ambaxius, cuius aduentum opportunum Hispanus existimans, vt quem pacis studiosissimum, tum suapte natura, tum Iulii impulsione satis nouerat, madentem fere adhuc Russilioneo sanguine legatum, & in recenti vulnere, ad Ludouicum mittit, inducias Russilioneis finibus poscit.

Infausta inducia.

Quas (nescio quo authore) facilius, quàm sperasset, obtinuit. Dehinc, vbi patriis laribus nil iam sibi timendum videt, militem à Russilionea pugna vocat, & ingenti classe ad Gonsallum destinat. Auctus amicis copiis Gonsallus, castra nihilominus excresci, aut ambitu ampliore vallari prohibuit, ne nouas creuisse ei vires nostri depræhenderent: quos non modo commeatu laborare, sed ducum multitudine (quibus nullus supremus princeps erat) in diuersa contrariaq; studia ac factiones scindi sciebat. Augebant illi victoriæ spẽ nonnulli pecunia suas in partes tracti. Hinc non ab re sibi cunctandum fore ducebat, dum nostri commeatu languescerent, & diffidentes minore negocio vincerẽtur. Successit illi pro voto. Nam dum hinc auro corrupti pugnã dissuadent: hinc famelici pugnandũ, priusquã inedia moriendũ, certant (palantes incõpositis ordinibus, vt queq; sua fata trahebant) in hostes castris valleq; clausos irrũpũt. Vt impetũ sustinuit hostis, primi (quibus nulla belli sitis erat) vix cauentibus signis fugiunt. Re

liqui vero vt qui algore & fame fere effæti erant (etsi Iuo Allegrius ac Ligniacus, quàm poterant, ad viriliter dimicandum hortarentur: primaq; fronte pugnantes, egregiæ virtutis spectaculum ostenderent) erumpente in eos plenis viribus integroq; robore hoste, paucis desideratis captisq;, Allegrio & Ligniaco ad Garigliani ripas funduntur. Capti etiam fuere à nostris quipiam haud ignobiles Hispani, quibus commutatis, Allegrius & Aubigniacus liberantur. Ecce, quibus artibus circunuentus, Ludouicus Hispanos furores sustinuit.

Nostri ad Gariglianū funduntur.

Quibus tamen nil territus Ludouicus Dars, Ligniacæ centuriæ tribunus, obstinatissime (quæ Ludouici regis dono Ligniaco cesserant) nonnullas arces defendit, sperans aliquando Ludouicum exercitu reparato, suas vlturum iniurias. Sed vbi expectatum auxilium diuturna spe eum fefellit, acie instructa, per medios hostes terribilis euasit, & ne quidem tyrone amisso, ingentem (quà patet) per Italiam, Insubriam se recepit. Iam prisca Iasones, Alcidas, Eacidas, Theseos, Agamennones, Leonidas, Coclites, Scipiadas, Pompeios ipsosq; Cæsares dissimulet ætas, atq; huic conferendum (qui ex tam remota prouincia, per tot hostium insidias incolumem centuriā reduxerit) vix inuenient neminem. Quod etsi Gonsalus Gallorum triumphatorem se inscribi aliquando sustinuerit, hanc saltem exiguam Gallorum manum sub inuictissimo duce insuperatam, inuitis vidit oculis. O quid sperandum fuerat, si vnitus nostrorum exercitus concordibus animis manum conseruisset! Ecce vnica centuria omnem hostium vim adeo suppressit, vt fortissimus quisq; trepidus, transeuntem expauerit: diis aut fortunæ aliter visum est, ne forsitan factiosæ Italiæ sub Ludouico pax, illaq; ætas Saturnia tandem redderetur. Sed quid? nec sola in Italia sæuientis cœli pharetras perpessus est Gallus. Nam & tam dira ardensq; per Allobroges, Sabbatenses, Burgundiones ac Lugdunenses, anno quarto supra millesimum & quingentesimum, æstas inualuit, vt Phaëtonteam redisse putasses. Hinc publicis decretis votisq;, immortalibus diis supplicationibus ex villis longo ordine populi lineis vestiti amictibus, præeuntibus pueris, innuptisq; puellis, in proprias vrbes vndiq; confluebant. Sed vehementior exæstuabat, nymbis omnino repressis, bullientis aeris furor. Nec precibus vllis superi flectebātur. Primi Chamberiacenses conterminiq; Aquenses (quos Romanorū colonos à Sestio procōsule factos crediderim) cœlitum iram fregisse visi sunt. Illi enim obsidibus missis, ab his impetrarunt, vt lignum saluificæ crucis (in quo & ipsa crux & saluatoris effigies sculpta cernitur) Chamberiacum solenni supplicatione deferrent. Ecce mirum: ad vtriusq; populi fines hinc illincq; vix ventum fuerat, cum serenissimo è cœlo tanta nymborum vis decidit, vt Deucalionea secula iurasses. Lætus vterq; populus, communi mistoq; ordine, hymnis resonantibus, millenisq; collucentibus facibus, vrbem ingreditur.

Ludouici Darsi magnanimū facinus.

Syndon Christi saluatoris apud Chamberiacum visitur.

Dehinc in arcis ædem deuenit, vbi sacratissima illa syndon, in quam Christum dominum Ioseph sepeliuit, salutifero sanguine picta visitur. Ibi peractis solennibus sacris, festus dies indicitur. Hinc mitior aeris temperies eo anno primum fluxit, & frugiferæ pluuiæ scaturiere. Sed quia tardiuscule cœlestis gratia manauit: charior annona, multiphariis infirmitatibus mixta lues eos populos biennio afflixit.

Charior annona.

Philibertus Sabatensium pinceps & Iohanna Biturigum dux moriuntur.

Nec popularibus anxietatibus satiata, summos pincipes aut excommunicauit, aut occidit: à Philiberto Sabatense, principe inuictissimo, cui & forma Paris, & viribus Alcides cessissent, incipiens: mense Septembrio ad superos illum vocauit. Dehinc anno sequenti Iohannam Ludouici vndecimi filiam, Biturigum principem cœlitibus adscripsit, quod etsi Ludouicus ossa parentum à Blesis Parisios in Cælestinorum sacellum, vbi Aurelianensium principum insignis ara est, pientissime ingentiq; funeris pompa efferri curauerit: Non tamen sæuientis astri furias euasit.

Ossa parentū à Blesis Parisios deferri curat Ludouicus.

Ludouicus ægre valet.

Tam enim ægre valuit, vt vix vltimus ei spiritus superesset. Tota in lachrymas Gallia vertitur: heroes, aulici patres, populus, matronæ vt vnicum dilectissimumq; parentem lugent: votis, precibus sacris, hostiis, muneribus cœlum pulsant. Indignum visum immortalibus diis, tam optatum terris numen, dum Franciscus pubesceret, eripere. Conualuit igitur, imo fere reuixit Ludouicus, quem, ac Castorem Pollux, morte (vt suspicor) redemit Federicus, ille Aragonius, qui per id tempus mortalē sarcinam exuit. Cuius spolia Gallis erepta, cū Hispanus inultus detineret,

Federicus Aragonius moritur.

ret,

ret, mens Ludouici fuit, illa nouo exercitu vendicare. Sed institutum distulit, Elizabeth illa armipotens militarisque virago, Hispani vxor: quæ post triumphatos (quos Granatas vocant) populos, cum perenni peritura vestem anno sexto supra quingentesimum & millesimum fecilissime mutauit. Ea mors nouæ pacis vinculũ inter reges patefecit. Quippe Hispanus exulceratum haud immerito Ludouici animum sciens, vixq; erga eum, quem simulatis fœderibus sæpe deceperat, quidpiam fidei se consecuturum: nouum amicitiæ pignus vafro ingenio excogitauit. Mittit ergo oratores, quibus ad Ludouicum frequenti principum corona admissis, is qui primas legationis partes obibat, genu flexo in hæc verba orauit. *Elizabeth Hispaniæ regina moritur.*

QVAM *perniciosæ, execrabiles, incommodæ ac iniuriæ fuerint (quas tua maiestas rex Christianissime, mutuis odiis cum rege catholico exercuit, simultates, & Gallicus orbis, & Hispana respublica testari possunt. Tam enim inauspicatis certatum est ominibus, vt vtraq; imperia non modo, sed crudeliorem etiam erynnim pœniteat. O quam consultius in hostes publicos communibus auspiciis infestas acies duxissetis! O quantum terræ potuit pelagiq; parari, hoc quem ciuiles hauserunt sanguine dextræ! Quoniã etsi aduerso Marte tui pedem reflexere, Parthenopeumq; regnum nobis cessere: quid inde sperari potest? si iratæ mentes perstent, nisi aut tui, aut Hispani principatus, imo & totius Christiani imperii excidium? Nam dum tua magnanimitas vltionem sitit, Ferdinandus rem quæsitam tueri contendit. Si iterum in furias, ignes, sanguinem, vim, arma, crudelius eatur: sani ingenii nemo est, qui apertis oculis imminentem Christianæ reipublicæ procellam non perspiciat. Sic Græciæ vrbes (dum singulæ imperium vendicare certant) libertatem, nedum imperium, amisere. Sic Macedonicus scissus principatus euanuit. Sic reduces à Troia pugna heroes periere. Sic ergo hoc tuum fœlix regnũ Hispanumq; fraternis vulneribus sese conficient, perdent, obruent, interiment: vt mox accurrens perfidus Christiani nominis hostis (qui tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret) confectis aut saltem eneruatis vindicibus populis, decus Christianum deleat. Dii potius iras infensaq; corda in melius vertant, dentq; optatam nostris temporibus pacem. Quod vix sine cœlesti numine fieri potest: cum regia celsitudo tua id exposcat, quod Ferdinandus tantis partum sudoribus nullo pacto restituere velit. Certe raptas Sabini repetebant, quas amantes Romulidæ (nisi prius ceruicibus rescissis, exhausto Quiritum sanguine, vrbeq; demolita) relinquere negabant. Et quid illis irritatius, aut his furiosius exquiri potuit? Ipsæ tamen raptæ, violatæ, parentibusq; auulsæ, vincula sempiterni amoris inter vtrosq; armatos, & in ipso conflictu, inuenere. Sic & vobis quærenda est pax: Sic iniuriæ remittendæ: sic & simultates sopiendæ, vt & ille quod contumaciter amat, obtineat, & tua sublimitas, æque ac si apud se esset, illum potiri gestiat. Vix possibile id inquies. Imo facile, vtile decorumq; fatebere. Si enim ingenita est principibus cum diis immortalibus communis clementia, hacq; sola cæteros mortales præcellunt: Quid facilius, quàm innata virtute vsos, iniuriarumque oblitos, in vnanimem mentem coire? Si quam anxie quantoq; ingentium exercituum dispendio (qui auspicatius in Bizantinos Hierosolymitanosq; tyrannos militarent) Parthenopea corona, à tuis liliis tota Italia discreta, tuo iuri (si restituatur) seruanda tuendaq; sit, æquanimiter consideres: vtilius eam germanæ Fuxiæ consanguineæ dotalem, ea conditione (si nulla stirpe superstite decedat, ad te redituram) largieris, illamq; Ferdinando regi connubio iungens stabili, propriamq; dicabis. Sic enim tuis nutibus res Neapolitana regetur, & affinem amicumq; regem potentissimum haud dedignandum acquires. Quo nil ornatius magisue decorum regio tuo apici accedere potest. Nam & regnum, quod vix Marte redderetur, dotale sanguini tuo efficitur, tuis legibus, nullo freno, nulla impensa, nullis præsidiis onustum, perpetuo parebit. Quid optatius tuæ serenitati offerre potuit Ferdinandus? Nudam vxorem tuo stemmati regiisq; virtutibus decoram exposcit: quam non suis, sed tuis aut saltem communibus nepotibus amplissimo regno tot sudoribus quæsito dotat, te patrem, te dominum, te ducem rerumq; suarum principem amplectitur. Extingue igitur (si quæ supersunt) odiorum flammulas. Vince animos iramq; tuã, qui cætera vincis: benignum amici regis animum suscipe: optatam sponsam largire, iam sperà suauissimos nepotes, qui tibi perpetuo seruiant, obsequantur: quosq; & pater Aeneas & auunculus excitet Hector, Et tandẽ regna, opes, amicos Ferdinandi tuo numini adscribe, deuince.* *Oratorum oratio.*

Mouit Ludouici animum blandior Hispani oratio: annuit, sponsam per singulas Galliarum vrbes Hispaniarum reginam venerari decernit, pacis conditiones laudat. Oratores amplissimis muneribus cumulat, & fœdus (quod sanctis-

Germana Fuxia Hispanū nubit.

ſimum ſperabat) iureiurando firmat: plærisq; dedignantibus omnia ad Hiſpanos Auſtriosq; tranſire: inultos Francorum manes recenti ſanguine reſperſos impa-rentatos, Ruſſillioneis Parthenopeisq; finibus vagari: nuptam Francorum funeribus dotatam (ſi vnicus frater Fuxius comes occidat) amplam eius ſucceſſionem ad hoſtes deuoluturam. Quæ etſi prole carens diem claudat: quis putet Hiſpanum, quæ ſemel quæſierit, firmisq; (dum per pacis quietem licet) roborauerit & præſidiis & propugnaculis ſine ancipiti marte reſtituturum? Cuius auara ambitioſaq; mens necdum ſatiata, Claudiam Ludouici vnigenitam, Carolo Auſtrio nepoti nupturam, Inſubrum Britonumq; principatus, cum bona regni parte, ſecum tracturam ſperat: hinc elatiori Auſtrio auitas clades vlturo, in Francorum ruinam conſpirandi materiam naſci: male reipublicæ conſultum, dum iura ad hoſtes migrant, & regni integritas ſcinditur: dum robur minuitur, quò illorũ vires creſcant: dum deniq; conſanguinitates aut affinitates contrahuntur, non amicitias ſed belli cauſas parituræ. Hinc muliebribus titulis Anglum Auſtriumq; Francos Burgundoſq; faſces expetere: hinc Rouſſilionem reſtitutam liberas Hiſpano in Francos graſſandi habenas laxaſſe, regias virgines tutius ſuis, quàm externis nubere: non placere nuptias, quæ regium diadema deflorent: quo hoſtium frontes regiis floribus adornentur. Hic primo ſenſum tentantium animos ſermo per vniuerſam Galliam eſt datus.

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

Oratores à ſingulis Galliæ urbibus ad Ludouicum deſtinantur.

Potiſſima tamen præualuit ſententia, quæ oratores ſingulis ex vrbibus ad Ludouicum mittendos cenſuit, qui generum Auſtrium diſſuadeant, & Franciſcum Valeſium præferri, Claudiæ connubiis ſupplicent. Electi igitur è ciuitatum primoribus legati, Turonos (vbi Ludouicus agebat) proficiſcuntur. Et ad regem admiſſi, Lutecianum oratorem publico ore hæc fari iubent.

Oratio ad Ludouicum per Lutecianū oratorē publico nomine habita.

Ea fides, cultus, feruor, pietas, zelus & deuotio populorum (quibus tua numen clementiæ imperat, rex Chriſtianiſſime) erga maieſtatem tuam eſſe debent, vt quicquid illi aut noxium, aut ſiniſtrum compererint, ſuſpicentur, mox fideliter aperiant: ne eorum taciturnitas latentem nutriat conſpirationũ aſpidem. Nam qui ſummo regni diſcrimine aut diſſimulant, aut ſegniter agunt in perfidiæ notam facile collabuntur. Quod etſi curandum eis ſit: ne quid temere ad ſerenitatis tuæ ſydus deferant: vbi tamen rei ambiguitas iudicii certam fallit ſtateram: aut diutius deliberandi ſpacium negat: vtcumq; ſit, diuinitatis tuæ oraculum conſulendum eſt: quò aut imminentis periculi leuetur anxietas, aut prudenti conſilio hoſtilibus inſidiis obuiam eatur. Hæc mens, hoc ſtudium vniuerſos lilicolas animos mouere, concuſſere, imo & terruere nunc maxime, cum & tuo culmini caſſes tenduntur: & Gallico orbi paratur excidium. Quid obſtupeſcis aut hæſitas: ac ſi athlantheam corruiſſe ſarcinam conſpiceres? qui tam firmo obice omnem regni tui aditum præcluſiſſe credis: vt facilius giganteis manibus cælum ſubuertendum metuas. Pacata quippe omni Italia Inſubres Ligureſque tibi vni parent. Omnis Gallia ſcabellum pedum tuorum eſt. Perpetuus olim hoſtis Anglus fraterniſat, Hiſpanus vxoriis auctus titulis, ſe affinem non modo geſtit, ſed ſibi communem cum Cæſare nepotem generum tibi offert: quid iam timendum, quid expaueſcendum, quid ve ſuſpicandum eſt: tam potenti obſequentiq; principatui: tot præſidiis ſtabilito: tot tantiſq; fœderibus, ſocietatibus ac affinitatibus firmato in tanta pacis quiete? Proh dii immortales: tam potens imperiũ inuiſum ab æterno fuit: tot præſidia oneri quàm frugi, fœderibus apud periuros nil fragilius: intemeratam ſocietatem, vix maieſtas patitur. Reſarcitis amicitiis exigua fides: tuta ergo (quæ nil niſi reſpirandi lineas hoſti præbeat) erit hæc pacis quies. O venenum, O cerbereum aconitum: quis (vt hoc tuum fœlix imperium mortale redderet) lerneum virus miſcuit hoſtilitas? quis propinauit? Simulatis palliata beneuolentiis perfidia: quis circeos potus libauit & contabuit: credula Simplicitas: Philippus nempe Auſtrius paterno maternoq; ſtipite hoſtis mortiferam hanc pacem (cum filium tibi generum iurauit, quo tutius Hiſpanos peteret) Theſiphonea primum ſanie reſperſit, rediens ab Hiſpanis adeo mellitam propinauit, vt & miſtos Ferdinandi dolos ſimul ebiberis. Eo enim momento, quo ſuccareã pacem laudas, propinantiq; plus æquo credis: latentẽ ſub melle amarã illius Nemorſii ducis ingentemq; tuorum cladem incautus hauſiſti: cor tuum nobile protinus impetiit acerba lethiferaq; amaritudo: quam tamen forti pectore: inuictoq; animo ſuſtinuiſti, & in authorẽ illam euomere tentaſti. Vlturus nãq; violatam deorum hominũq; fidem: ac iniuriam bi-

partitis

partitis copiis, hostem impeti iussisti. Non poterat gemina tui Martis fulmina viribus propellere: quæ tamen solita fraude extinxit. Referrem me Hercule, quibus ille artibus Francam virtutem Parthenopeis Rußilioneisque finibus turpiter fregerit. Sed quis talia fando temperet à lachrymis? Vnum heu & etiam victos solabatur, tali scilicet virtute hostem vicisse: vt & victoriam suam pertæsum puduerit: sed proh Iupiter, & hanc quoq; verecundiam (dum illi Fuxiæ nuptias minime renuis) nostra iactura redemit, vxoriisq; titulis texit. O deleta sit culpa, Franci impune occiderint: & vmbra Nemorsus erret inulta. Parthenopeis Hispanisque vxorius Rex tute imperet: firma abhinc sint fœdera, nec fortiori nexu vinciantur, aut iureiurando feriantur. Quid adhuc expetit? quid ve optatius cupit? aut cupidius optat? Generum (quo sæpißime prudentiam tuam lusit) tibi procurat. Venenum iterum porrigit, & excussum silicibus aureo vellere superbus, ignem in hanc regiam tuam parat: nulla mediusfidius ardentiores flammæ, nulla dirior pestis, nullus violentior hostis, in integrum imperium, quàm seditio excogitari possunt. Et quid nisi apertam seditionem molitur hostis? filiam tuam expetit, quò (si regina mater occidat) Britanniæ principatum à tuis liliis euellat: aut (si inter cœlicolas reciperis) Mediolanensis ducatus cum maxima regni parte regiaque supellectile externo hostilique genero cedat. Quod si ambo æthereas sedes scanditis: nonne vtraque sceptra illi relinquitis? Cui & Ferdinandus & Maximilianus post Philippum latißima imperia conseruant? Quique vxorio numine tantis auctus imperiis: hanc etiam fœlicem coronam vendicare contendat: aureaque lilia eradicaturus conculcaturusque sit. At speras ex Anna Augusta filium, qui nobis imperet: dii dent: filio ne seditiosum sororium paras? qui tuæ hæreditatis amplißimã portionem armis à filio petat. Nonne tutius viligero principi filia nubet, qui & filio tuo obsequatur: & quam reportabit dotem, in eis patriæque auxilium totam profundat. Quinimo (si infantem filium superstitem habueritis) nonne auspicatius apud sororem in patria, quàm apud externum (qui Iugurtino ingenio eius tutelam ambiat) educabitur? At si non sit filius, nonne dulcius superillustri Francisco Vallesiorum principi (cui regii post clementiam tuam fasces debentur) Claudia tua vxor erit, optimis titulis in patria regnatura quàm (si alio nubat) bellorum matricem in penates patrios delatura vnitatemque tuorum liliorum scissura? Certe Rex serenißime, nemo est sani ingenii (qui suauius apud suos pacifero nexu victuram, quàm alienigenis imperantem belliqne fomenta ferentem Iasoneam fidem, cuius insigni ille gener gloriatur) suo malo experturam, luce clarius non perspiciat? Vix enim ab infirma radice sinceritatis fructus venire potest. Scit sublimitas tua (vt iam commemorauimus) quòd dolis illius parentes regiam fidem tuam fefellerint: ne spera à vulpibus agnum procreari: mitia non solita est quercus, producere poma: nunquam palladia glandis nutritur oliua. A tuis autem liliis, quid (nisi puram integritatem innocentemque fidei candorem) expectare potes? confere igitur lilium lilio: fidem fidei: puritatem rectitudini. Et generum Franciscum amplectere, quo nil ornatius, nil nobilius, nil iucundius: nil optatius: nil auspicatius aut fortunatius vniuersæ reipublicæ tuæ exquiri potest. Aspice quanta precor maiestas fronte coruscet: quàm lenis blandos ornet clementia ocellos: quantaque florescat iuuenili pectore virtus: Crede mihi, nec vana fides genus esse deorum, cuius illustri numine, maiestati tuæ fœlicitas, hostibus confusio, filiæ fidelis amor: & patria tua aurea illa ætas orientur. Vix tenuit lachrymas in intima cordis lætícia Ludouicus, cum singularem erga se vidit suorum deuotionem: &, vt erat alter Publicola, benigno vultu his verbis respondit. *Nulla dies nec lethea vnda oblitterabunt, viri optimi, populorum meorum hoc integerrimi amoris pignus: qui tam prudenti sollicitudine, solii nostri robur æternitatemque procurant: meque non modo, sed & vnigenitam Claudiam, tanta veneratione obseruant: & excolunt. Indignum profecto esset, vos tam amata principe per iniuriam priuari: aut externum eius connubiis Francisco Valesio (quo nil mihi speratius est) præferri: Quas igitur optatis nuptias, gestienti pectore accipite: curateque, & publica lætícia, quantum per filiæ ætatem licet, initietur.* Hæc vbi rex fatus est: cuncti gratias agunt. Sponsalis dies dominicæ ascensionis indicitur, quo Franciscus Claudiam in futuram coniugem vniuersæ applausu Galliæ accepit. Tunc mea sententia fœlicius astrum arrisit nostris, quo sinistro iubare externis noceret Philippus. Nanq; Austrius, qui vxorium Castellæ regnum, socru mortua vendicaturus petierat, apud Hispanos veneno (vt aliqui asseuerant) vitã obiit, mense Septembrio M. C. ac sexto dominicæ pietatis anno. Visum suspicor diis (ne initas in deorum stirpem

Ludouicus oratoribus respondet.

Sponsalis dies Francisci Ludouici primogeniti et Claudiæ.

Philippus austrius moritur.

propagandam nuptias turbaret) potius sydereo sceptro illum donare, quàm terreno. At Iulius pontifex maximus (ne infestum quidpiam festi ociosiq; Galliæ dies suæ sedi procrearent, veritus) negocium exhibuit: siue dolis (dum lætior mens omnem suspicionem posuisset) patentiorem ratus, litteras ad Ludouicum dedit, benemerita Christianissimorum regum erga Romanam ecclesiam commemorat: qui non solum à Lombarda rabie illam liberarint, sed ingentibus dominiis ditauerint, inuictissimiq; ecclesiasticæ libertatis vindices semper fuerint. Eum (qui ab pientissimo stipite ductus sit) decere, & sceptra, & auitos mores referre. Non posse (qui se primogenitum Christianæ religionis profitetur) sine dedecore maternam ferre iniuriam: præcipuos illius thalamos, eam quæ ab vbertate pinguis dicitur, Bononiam, Bentiuolum adulterare, incubare. In mentem iam veniat, diram lucem vlcisci: properet victricibus armis almæ genitrici opem ferre, ne degener videatur, & auito indignus diademate merito censeatur. Vix hasce perlegerat literas Ludouicus, Carolo Ambaxio, qui Cisalpinæ vicarius Galliæ erat, euestigio scribit: copias quæ illic præsidio erant, contrahat, pontificiq; protinus auxiliaris adsit. Paret Ambaxius, in Bononiensem agrum exercitum propere ducit, inuadit, incendit, & hostili marte incursitat, nec mora. Ecce & Iulius, ingenti tum cardinalium tum militum agmine cinctus adfuit, & totis animis (si ficti non erant) venientem Ambaxium excepit. Mistis viribus in Bononiam itur. Obsidetur vrbs. Bentiuoli pulsi in Galliam (commune etiam hosti asylum) profugiunt. Vt euanuere, prona ciuitas in pontificis nutus deditur. Interea Genuenses seu ingenita vanitate ducti: seu (vt pleriq; ferunt) pontificis suggestione (qui & classem in Ligustico mari detinebat) crebrissime pulsati, à Ludouico deficiunt, & Ludouici præsidium excutiunt. Nobiles & clarissimos quosq; viros proscribunt. Ducem Paulum nouum lanarum infectorem nouumq; omnino hominem sibi præficiunt. Classem numerosam parant, perq; Ligusticum mare vadentes, Monarchi & stationem & arcem obsident. Id fama, an exactorum proscriptorum obsessorumq; questus ad Ludouicum prius detulerit, incertum est: Ego certatim à læsis, quàm celerius potuerint, nunciatam iniuriam reor. Vbi tristem accepit nuncium Ludouicus terra mariq; (quantas vnquam antea) parat copias: quibus sese imperatorem præbuit, transactisq; alpibus in Liguriam mouit. Præcluserant iuga inuiasq; montium angustias validis propugnaculis Genuenses. Sed quid? Apollini glacialem massam opposuerant. Nam (vbi nostri aduentauere) peditum munus superuacuam timidis defensoribus molem (ingenti tamen hostium clade) expugnauit. Pernix nuncius dirum facinus pauefactę vrbi detulit. Vndiq; metus & similima mortis imago (ac vt in iam capta vrbe) sontes excruciat, coit senatus: pars nauibus conscensis migrandum censent: pars Mediolanenses, etsi pertinacissime rebellarent, clementiam optimo in principe probasse prædicant: esse & eis pœnitentibus sperandum: qui demulceant iratum regis animum mittendos esse oratores. Hæc sola placuit desolatis sententia. E clarioribus (si qui tumultuaria in plebe erant) eliguntur. Qui nil segniter agendum rati, ad regem citissimis equis venere. Ad solium eius oblati prostratiq;, propriam perfidiam accusant: temerarios ausus damnant: maiestatis sese reos fatentur, sed nisi peccassent nulla exercendæ regiæ clementiæ occasio patuisset. Mœstis, pœnitentibus & victis det veniam, & vrbem (quæ quodlibet regii culminis imperium ad hunc pronis animis subitura sit) illæsam seruare & placato numine visere confirmareq; dignetur, gementes supplicant. Seuero supercilio oratores audiit Ludouicus: largos tamen solitæ humanitatis riuos cohibere non potuit, quin paululum explosa Ligustica vanitate exibilataq; vulgi pertinacia, vrbi pepercerit. A victis ingenti applausu (innumera tamen armatorum militum acie cinctus) intra mœnia recipitur: cui Paulus ille nouus ducalium titulorũ temerarius assertor (dum cymba timidus effugere tentat, à regia classe interceptus) offertur: maiestatis reus capitalem sententiam subiit.

Literæ pontificis ad Ludouicum.

Carolus Ambaxius auxiliaris pontifici in Bentiuolum mittitur.

Bononia Gallorum ope pontifici deditur.

Genuenses à Ludouico deficiunt.

Ludouicus in Genuenses.

Genuenses vincuntur.

Genuensiũ legati ad Ludouicum.

Ludouici clementia in Genuenses.

CAP. 4. VICTIS Liguribus, Ludouicus per Insubriam Gallias repetiit, tunc primum quietem sperare ausus. Sed dum Iani ædem claudere tentat: Iulius pontifex (aut patriam Gallo regi seruire ægre ferens: aut innata inquietudine tractus) claues (quas

in eos vsus sibi creditas minime putem) ad immittendas orbi Christiano Eumenides conuertit. Suis nempe litteris Maximilianum, Ludouicum, Ferdinandum, ipsamq; Margaretam Austriam (quæ Caroli Austrii ex fratre nepotis tutelam gerebat) pulsat: quò vnitis animis nexi, in communes principum Christianiq; nominis hostes Venetos arma capessant. Prima pontificis vafram mentem Margareta perspexit: latentemq; in verborum flosculis colubrum fouere ausa est. Nouit enim eo consilio Iulium in Venetos bellū suadere: quò, quas ecclesiæ attinentes vrbes occuparant Veneti, Gallorum ope reciperet: & desertum Venetorum auxiliis Ludouicum (conciliata mox sibi eorum amicitia) ab Italia facilius pelleret. Quinetiam & pontificis ingenium viraginis spes excessit: quæ ex Ludouici Venetorumq; dissidio vtriusq; victoriam Maximiliano patri sperare nil verita est. Erectis igitur animis mulier colum arripit, quo innuit, funestiq; fœderis inexplicabilem glomum neuit. Mox Adrianæ speciem personata, Ludouico scribit, se ab incunabulis Francorum regiam coluisse, à qua si euulsa fuit, Maximiliani à Venetis male consulti culpa fuit: se adhuc eo instituto viuere, vt si aliquando irarum causam prębuerit, ęterni fœderis monimentum iam sit allatura. Venetos Dædaleum Labyrinthum struxisse, quo discordiæ Minotaurum regalibus animis perpetuam luem enutriunt. Concordiæ stamen apud se habere, quod vestigia per Venetas fraudes nullo errore ducat. Bene consultum Christianæ reipublicæ, si in Venetorum excidium reges conspirent, quod (vt decentius tutiusq; fiat) se Cameracum venturam, vbi (si regius id animus annuerit) eius maiestatis legatos conuenire fas sit. Properandum esse eius prudentiæ, vt eos viros ad se deleget, qui rem tam vtilem & arduam sanctissimis fœderibus firment. Oblatas literas Ludouicus vbi legit, extemplo Georgium Ambaxium Cameracum ire iubet. Regiis votis obsequitur. Cameracum magna procerum aulicorumq; ac prælatorum corona septus aduenit. Vbi à Margareta festiuo applausu accipitur. Quid plura? tam belle, tam blande, tam suauiter, tam deniq; caute eum irretit fœmineis ambagibus, vt nihil illi abnuerit. Coniurat igitur illa Maximiliani Ferdinandiq; ac Caroli nepotis verbis. Hic vero Iulii (cuius legatus erat) ac Ludouici, in Venetorum perniciem, in quos communi Marte eundum decretum est. Rebus infœliciq; fœdere sic compositis, ad Ludouicum Ambaxius rediit. Nil morandum censuit Ludouicus. Ingentes conflat copias, quas Insubriam præeuntes, pone sequutus est. Sperabat coniuratos idem facturos, sed rem dissimulantes, omnem belli sarcinam in eum deposuere. Omnis enim eorum cura fuit, non aperto bello, sed incursionibus Venetos lacessere: vt (dum Ludouicus dimicat) quæ sua esse quisq; prætendebat, reciperent: eum mox pugna fractiorem inuasuri: qui id parum caute animaduertens, in hostem signa explicat: ductoq; exercitu & ad Abduam ponte facto, flumen superauit, moxq; pontem (ne vlla fugæ spes suis esset) obrui iussit. Duo Veneti exercitus erant duces, comes Petilianus & Bartholomæus Aluianus. Ille impediendum regi fluminis transitum ducebat, hic vero potius virtute, quàm arte hostem superandum, dum deliberant, mirantur Ludouicum flumen iam transiluisse. Capto igitur consilio, exercitum læui incessu reducunt. Eos persequitur Ludouicus tripartito agmine. Ventum erat in locum (cui Aguadello nomen est) non longe à Pescheriæ oppido: vbi tumulus erectior natura quasi munitus erat. Hunc Veneti occupant, & castra vallare tentant, sed Ludouicus collatis signis maturius, quàm crederent, pugnam expetit & aggreditur. Aluianus (vbi nec respirandi hora datur) milite composito aciem expedit: Illi & loci commoditas & ingentiores copiæ victoriā polliceri videbantur. Sed inuia virtuti nulla est via, nec regiis animis inexpugnabilis locus esse potest. Diu incerto Marte pugnatur. Aluianus ferox suos concitat, cursitat, hostem lacessit. Mox miles, mox imperator nullas strennui viri partes ab se desiderari sinit, nec minus egregie in hostes fertur Ludouicus Borbonio reliquisq; sui sanguinis proceribus acerrime pugnantibus, pertinaciter hostes se defendūt. Pertinacius nostri oppugnant. Tandem Aluianus v(bi suos iam fere cessuros videt) vah, inquit, milites, sic ne Italiæ libertas vestris dextris protegitur? Et furibundus inter confertissimos hostes sese torquet: vbi magna virtute dimicans saucius capitur, & in regia castra deduci-

Iulii pontif. astutia.

Margareta Austria ad Ludouicum scribit.

Cameraci fœdus & in Venetos conspiratio.

tur. At Petilianus, vbi collegam vinctum audiit, non illum vlcisci tentauit, sed fugam vecors arripuit, in fugam & cum duce milites vertuntur. Nostri fugientes persequuntur, trucidant, obruunt, dissipant. Ea pugna hostium quindecim millia cæsa, ducentis è nostris desideratis.

Venetii Ludonico vincuntur.

Victoris Ludouici in potestatem venere Brixia, Bergomum, Crema, Cremona, & Patauini sese dedidere. Fidelis tamē rex, quia Cæsarei iuris erant, Maximiliano eos reddidit, cui Vincentia, Verona & reliquæ, quas Veneti occuparant, eius imperii vrbes cessere.

Ludouici fidelitas.

Iulius Fauentiam, Imolam, Forliuium, aliasq; ecclesiasticæ ditionis ciuitates excepit. Ferdinandus Brundusium Tarentūq; inuasit. Patauini tamen eiecto Maximiliani præsidio, ab eo defecere.

Quæ vrbes cuilibet conspiratorū cesserint.

In quos mouit Maximilianus vrbemq; obsedit. Cui auxiliares copias duce Pallicia Ludouicus misit. At ille (etsi in manus iamiam ventura ciuitas videretur) obsidione soluta sese in Germaniam inglorius proripuit.

Maximiliani Cæsaris ignauia.

Econtra reduci Ludouico Mediolanenses illustrem parauere triumphum: deauratumque Romanorum instar currum obtulere. Sed vt in recusandis honoribus se gereret, quantum in emerendis egerat, deo optimo maximo, non sibi gloriam deberi protestatus, currum triumphalesq; laureas modestissime detrectauit, cœlitibusq; dicauit. Dehinc humanissime habitis Insubribus, Sauonam perrexit: vbi ad se venientē cum vxore Ferdinandum regio fastu excepit.

Ludouici modestia.

Ludouici & Ferdinādi ad Sauonam colloquium & fœdus.

Inter reges iterum firmatum est fœdus. Non sue mactata, sed sacrosancta Christi saluatoris hostia solennibus cerimoniis libata. Illinc quantus à Nemæa Alcides silua tumidi leonis onustus spoliis, in patriam rediit Ludouicus: quem gestiens, applaudens, exultans, iubilans, extollens, omnis eum Gallia exceperit, salutauerit, historiæ fidem excedit. Sed dum sanctis martyribus Dionysiano in templo leonina trophea, spoliaq; lætior offert, inuictumq; leonem domuisse, à blandientibus aulicis prædicatur: sensit Adriatico è sinu lernea crudiorem hydram sæuire: quæ vulneribus fœcundior, geminas in ceruices pullulasceret. Quippe Veneti, quos ad extremum fractos quilibet iurasset, pontifici Iulio (vt ante cogitatione pinxerat) reconciliati, ab eo obtinuere, vt communi Marte Ludouicum Maximilianumq; impeterent. Paratis igitur raptim copiis pontifex Mirandulam, Veneti Mutinam occupant: nec sedata est pontificis sanguinea sitis, quin & in Ferrariæ ducem Ludouici amicum irrueret.

Veneti pontifici Iulio conciliantur.

Indoluit Ludouicus, nec ferendam Iulii impietatem duxit. Attamen ne vllas veri ecclesiæ filii partes omitteret, literas ad illum dat. *Se mirari cur tam varie ageret: cur præter fœderis conditiones non modo Venetos (quos prius abhorrebat) ecclesiæ restituisset, sed in amicitiam recepisset, & in se fœderisq; socios suppetias tulisset. Quin etiam & in Ferrariæ principem fœderi conscriptum arma inimica mouisset.*

Ludouicus ad pontificem scribit.

Non decere pontificem fidei datæ tam exiguam habere rationem, & indicta causa optimos filios damnare. Si iniurium quicquam in ecclesiam commiserit Ferrarius, ad socios referendum esse, non ad inimicos. Se amicum filium optime de apostolica sede meritum (vt qui nec Bentiuolis pepercerit) æquiorem iudicem esse, quàm censeri debeant Veneti, religionis hostes ab eius sede indicati. Caueat ne dum sanguineas manus in pios filios armat, Iouem irritet, qui Saturnias furias minimè passurus sit. Qua fronte, quibus oculis, quoue stomacho hasce legerit literas Iulius, tragico boatu, quàm historica modestia aptius exploderetur. Infremuit enim nubila fronte, toruis oculis, hirto supercilio, pectoreq; ad nauseam spirante perlegit, intumescens, frendens, rugiens. Et Romæ, inquit, asylum est, & in Latio tute delituit Saturnus. Anne decet patrem filii iudicium subire? Num potius in dubiam imperii aut seruicii aleam eundum? His dictis: sese à conspectu eius, qui literas tulerat summouit. Ambiguum celer ad Ludouicum nuncius verbum, & ancipitem pontificis mentem retulit. Turbatur, excandescit, asperamq; vindictam concipit Ludouicus: quam lonire potuisset Georgius Ambaxius, pontificiæ regiæq; amicitiæ studiosior, ni ad emeritos cœlos vocatus, superos per virtutum pontem (quem viuens astruxerat) petiisset.

Ambaxius cardinalis moritur.

Orbatus vnico Achate Ludouicus, ad Carolum Ambaxium scribit, Insubrios exercitus pontifici Venetisq; obiiciat, Ferrarium defendat, & illatam iniuriam vlciscatur. Ecce his Ambaxius (quo duce Iulius Bononiam subiugarat) in Iulium fertur: Mutinam Mirandulamq; expugnat.

Carolus Ambaxius moritur.

Sed dum aut armis, aut sanioribus monitis pontificem à pertinacia reuocare tentat, ægra valitudine corripitur, & fœli-

& fœlicem spiritum ad æthereos triumphos efflauit. Quod vbi Ludouico nunciatum est, ne tam strennui ducis mors hostium animos augeret, Gastonem Fuxium, sibi attinentem, Nemorensi principatu donatum proregem, ad Insubres misit. Qui receptis Ambaxii exercitibus, in pontificem accingitur. Ille territus, non solum arma terrestria parat, sed pontificias imprecationes anathemataq; fulminat. Ecce, quem nullæ humanæ vires hactenus obtuderant Ludouici animum, religionis malleus pene contriuit. Quod vt dubiæ mentis scrupulum deponeret, præsules Galliæ Turonis conuenire mandat. Congressi patres (vbi plæraq; & de religione & de pontificis impietate disputarunt) Lugdunum migrant. Ibi Christiani orbis synodum à pontifice expetendam, quam si abnueret, à sanioribus patribus in vniuersum intimandam, vt ecclesiastici corporis languoribus salubrius mederi, mores corrigi & pax inquietis animis immitti posset: & (si quid in terra violentum pontifex audeat) armis iniuriam propellendam vnanimes decernunt. Hanc patrum sententiam Ludouicus Maximiliano Ferdinandoq; innotescere curat. Ille opinionem laudat, hic vero iudicium solito ingenio, vt dubius differt. Cum cunctatur Maximiliani Ludouiciq; oratores Iulio preces ecclesiæ offerunt. Qui vbi in caput suum parari censuram videt, oratoribus nil respondet, illorumq; principem Auxitanensem cardinalem in mole Adriani sub custodia mancipat. Mox ad Ferdinandum scribit, iam patere Ludouici mentem: quæ nil nisi Italiæ fasces ambiat, Synodum ea ratione expetere, vt (exacto à sede Romana Ferdinandi amico pontifice) in Parthenopen via pateat. Iamiam extinguendum publicum hostem, qui & Venetis, quæ prius dederat, auferre nixus sit, & idem in amicum regē moliatur. Nullam illi esse fidem seruandam, qui nec ab ecclesia abstineat. Nunc nunc opus esse, vt catholicum ecclesiæ filium & præsidem exhibeat, totisq; viribus matris iniuriam propellat. Minimi ædepol negocii fuit, procliuum ad serendas zizanias Ferdinandum dimouere. Lectis igitur literis, ingentem (quæ Neapolitano regno præsidio erat) militum congeriem ad Iulium properare iubet. Idem & Veneti peragunt. Verum Iulius (ne, dum auxilia expectat, interea hostis in eum irrueret) ingenti auro Heluetios solicitat, quò Mediolanensem agrum hostili manu inuadant: quod obtinuit. Sedunensi præsule (quod inter Heluetios magni habebatur) ordini cardinalium adscripto, irruunt Heluetii. In quos primus exiguum militum agmen Baro Continus, eques magni animi, fert, & supra hominem pugnans occiditur. At Fuxius prorex, hostes auro impulsos, auro facile se repulsurum iudicans, aureorum scutorum molem illis obiecit. Aureo splendore exæcati, abscessere. Eorum tamen aduentu erecti Brixienses Bergonienses; à Ludouico ad Venetos defecerant. In quos Fuxius excussis Heluetiis inexpectatus copias conuertit. Perq; arcē Brixiensem à suis (qui alacri præsidio, eam defendebant) exceptus, vrbē infestis animis ingreditur. Territi subito casu Veneti, milites & ciues passim cæduntur, vrbsq; perfida à nostris diripitur. Ab his signa in Bononienses mouit Fuxius, nec hyeme territus, Bononiam obsedit, Iuliumq; in fugam vertit. Præerat cardinalis Papiensis legatus Bononiensibus, qui eo expulso, Fuxium susceperunt. At cardinalis ad Iulium profugiens, à Iohanne Francisco Ruuero, quem Vrbini ducem & vrbis præfectum Iulius constituerat, ante pontificias ædes obtruncatur. Eo fato plæriq; cardinalium paucfacti, aut Iulii mores perosi, diffugiunt. Pisisq; consilium autoribus Maximiliano ac Ludouico vocant. Concurrunt toto orbe patres, citandumq; Iulium decernunt. Citatus venire recusat, & scelerum sibi conscius: culpam armis defendere statuit. Heu heu quò abiit prisca illa pontificum Romanorum sanctitas? quò insons conscientia? qui principum minas floccifacientes, non armis sed virtutum radiis ecclesiam fundauere, consiliaq; non effugientes, sed celebrantes obiecta in se crimina, pleno ecclesiasticæ matris senatu diluere. Ecce Iulius qui pastor ouium creditur, ouium vocem non audit, sed misellas obtruncat. Quiq; illis pacem proprio sanguine mercari debuerat, inquietem illis imprecatur, Auctus enim & Hispanis & Venetis auxiliis, non lachrymas cum Ambrosio, sed arma cum Iuliano (à quo natiuum nomen nactus fuerat) in filios ecclesiamq; explicat. Ab eius impetu nil ibi tutum patres rati, Mediolanum migrant, & pontifici

Gasto Fuxius prorex creatur.

Consilium Turonis celebratur.

Cardinalis Auxitanēsis à Iulio in carcerem mittitur.

Iulius ad Ferdinandum scribit.

Heluetii Insubriā inuadūt.

Baro Cōtinus occiditur.

Brixia diripitur.

Bononia capitur & Cardinalis Papiensis occiditur.

Consilium Pisanum, in Iulium.

Fuxium obuiam ire iubent. Castra ad Rauennam fixerant Iuliani milites, ingentique vallo, aggeribus ac profundissimis fossis munierant. Illuc vbi applicuit Fuxius, crebris incursionibus hostem ad pugnam prouocat. Sed castris clausus, belli copiam abnegat. Cunctantem, pauefactum, territum, ac vecordem, nostri existimant: irruendum esse in castra (quibus nec tute latere hostis discat) vnanimes exclamant. Illum à Rauennatibus commeatu iuuari, se famescere: nescire tam propinquum inimicum, & vrgentem inediam ferre, cum mora illi prosit: sibi noceat, sibi ducem esse, qui vel Proserpinam Cerberumque ab inferis extorquere ausit. Audentem non sequi ignauum esse & perfidiæ specimen. Hic sermo tam increbruit, vt ad Fuxium delatus, stimulum magnanimo eius pectori addiderit. Solennis dominicæ resurrectionis dies illuxerat. Haud segnis Fuxius, sacris paschalibus de more expletis, aciem instruit. Perque cunctos ordines cursitans, milites ad pugnam hortatur, & canentibus signis, Martem capessere obsecrat. At nec tunc hostis in campum prodiit, sed sese claustris obserans, animorum virtutem non modo, sed & vix ipsi penetrandos Herculi anfractus, opponit. Haud aliter infremuit Fuxius, quàm circum alta pecudum stabula famelicus rugit leo. *An*

Oratio Fuxii ad milites.

ne, inquit, *milites, inanes fossulæ, tumidi nequicquam aggeres, aut inermes pali hostem vobis eripient? quos nec penitiores Ticini aut Abduæ aluei, nec aerea alpium iuga, nec Pergameis cinctæ mœnibus Italiæ vrbes, hactenus terruere? Ecce extremus labor, suprema vis, vltimaque spes hostium, qui viribus diffisi, virtute desperantes, ad dolos, latebras difficilesque Labyrinthos, confugiunt. Nunc animis, nunc virtute, nunc illis victricibus armis opus est, ô milites: quibus & Ligusticas harpyias, Insubrium colubrum, Venetumque leonem fregistis. Ecce Hyberiæ vulpes supersunt, quæ tot tantisque iniuriis Gallicum nomen affecere. Ecquis tam vecordis animi erit, qui errantes Parthenopeis Russilloneisque finibus parentum amicorumque manes inultos patiatur? Quis ducis illius Nemorsii (cuius me hæredem regia fecit liberalitas) crudele excidium non vindicet? vbi & sua arte clausus hostis omnem fugæ viam sibi interdixit: propriisque irretitus est cassibus. Concurrite ô comites, solido robore obruite, infringite, perdite, rumpite, fulminate, fœmineos fornices, aut vulpinos cuniculos. Quis enim hoc virile credat munimentum, vbi inanibus septis, quàm fortibus armis plus spei inest? Et si virorum est, maior hinc erit gloria, & viros & virorum propugnacula vicisse, Aut si moriendum est, quæ beatior mors optari potest, quàm (dum nec hostis vires nec artes timentur) pro patria occubuisse? Vincamus igitur fortes, obteramus munitos, aut moriamur, & in media arma ruamus.*

Hæc fatus peditum acies (quibus duo fulmina belli, Molardus ac Iacob: ille Gallicæ, hic Germanicæ ductores erant) bipartito agmine congredi iubet. Medias autem bellicas machinas disponit. Ipse vero primus inter omneis, nil non Cæsareum, nil non diuinum, sublime, augustum, ingens, excelsum exhibet. Tantus tormentorum fragor, tantus tubarum clangor subitus exoritur, vt stelliferam corruere molem pertinacius iurasses. Nam & hostis lethalia fulmina eiaculat, & ordinibus dispositis, latissimis fossis defensus, nostros eminus à castris arcet. Primo congressu, parilique fato, Mauortii duces, Molardus Crotæ dominus, ac Iacob, flammiferis bombardarum ictibus collisi, pugnantes occubuere. Nec ob id cessere nostri, sed inter fulminum telorumque innumeram plebem irruentes, & fossas, & palos, & aggeres, & machinas superauere: mistisque copiis & pedites & equites inimica in castra penetrauere. O si Nemorsum furentem, ferientem, flagellantem, fulgurantem, demolientem, eradicantemque vidisses, Martem ipsum humanis tectum artubus, haud abs re putasses. Infremit, cursitat, dirumpit, euellit, trucidat, præcipitat capita, ceruices, brachia, humeros, crura, equos, ipsasque integras hostium acies (haud aliter quàm siccam messem edax immissus ignis) diuidit, deuorat, absorbet, deglutit, exterminat. Non tulit tantam suorum stragem acerrimus hostium dux Petrus Nauarrus. Sed vbi suos iam terga vertentes conspicit: Vah (inquit) vecordes. Sic ne tã sæpe victis ceditis? Et furibundus in Nemorsium fertur. Mouere Hispanam præsumptionem ducis asperior increpatio, & concordatissimi ausus conglomerati. Igitur resumptis animis, qui iam fugiebant, vnanimes ducem sequuntur. Ecce feralis instauratur pugna. Et incertis volitat

Rauennatensis pugna.

Fuxii virtus.

Petri Nauarri ad suos improperium.

victoria

victoria pennis. Vtrique eam ſibi ſperant, exclamant, pollicentur. Hinc vtriuſque populi ingens enituit virtus, quam & ſepulta iratis in pectoribus odia, & inuictiſſimi duces, & ſtudioſior æmulatio augebant. Sed Fuxius Iuone Allegrio, eiuſque filio (quem Viuerolii dominum pater deſtinauerat) Pallicio, Triuulcio, ac cæteris legionum præfectis concurrentibus, omnem hoſtium vim repreſſit. Primo impetu Nauarrus & maxima inſigniorum hoſtium manus capiuntur. Prorex Neapolitanus celeri equo ſalutem quæſiit. Quem ſecuti ducenti ſupra mille equites. Totidem pedites pugnæ ſe ſubtraxerunt. Exanimauit vilis comitum ignauia reliquos: qui omnem ſpem abiicientes in fugam vertuntur. Fugientes noſtri perſequuntur, opprimunt, interimunt & ſemianimibus cadaueribus ad quartum lapidem vias ſternunt. Verum quàm accenſi animi, quàm implacabilis odiorum ſentina, quàm denique inuidæ, pertinaces, maleuolæ hoſtium mentes erant, patuit. Cùm redeuntibus noſtris ſemimembres, ægriſque corporibus per humum ſerpentes, reſumptis (quæ eis labentibus deciderant) armis: nouum pugnæ genus inſtaurarunt, & prætereuntium equorum, quinetiam & militum tibias ſuccidaneis vulneribus infeſtauere: donec obtriti, demoliti, conculcati oppreſſique languentes animas expirauere. At qui nec vulneribus feſſi, nec viribus exhauſti, integrum adhuc robur retinuerant, aut qui primo impetu trepidiores latuerant, omnes congeſti, nouam phalangem adſtruxere. Hos magnanimus conſpicit Fuxius ebulliens, victor, & Martio furore adhuc incandeſcens. En, ait, & Hiſpanæ mulæ adhuc recalcitrant. Cui Allegrius, qui adoleſcentes animos ſatis nouerat (vt iam conſertos hoſtes inuaſurum videt) exclamat. Quò periture ruis inclyte princeps? Quæ te furiæ exagitant? viciſti & victis deſperatiſque lacerandum temetipſum crudelis offers? Circunſpice obſecro, vix ex toto exercitu decuria tibi adſtat. Quid in tantam hoſtium aciem? ſubſiſte pauliſper, donec Palicius, reliqui heroes, ac victrices copiæ aduentant, quò hi nullo periculo tutiuſque deleantur. Rectè monentem obaudiit, & frendens in hæc verba (ergo cunctantem, victoriamque Palicio ſeruantem conſpiciet hoſtis? Dii melius intrepidam ſuſcipiant animam) in denſiſſimam aduerſantium turmam ſe coniecit. Haud aliter tumidas in columbas regius ſæuit ales, quàm Mauortius princeps hoſtilem vim opprimit, interimit, cædit, laniat, obruit, deturbat: altior morientium gemitus, & languentium ferit aurea ſydera clamor. Mouit Allegrium ac comites cœleſtis immortaliſque Fuxii magnanimitas: adeo impulit, vt ſalubris conſilii immemores, haud ancipitem mortem lubentes ſubierint, vnoq; impetu in hoſtes irruerint. At illi, vbi tam exiguum, omnique auxilio deſtitutum manipulum vident, aperta acie orbiculati, in centralem vterum recepere, concluſere, & eminus lanceas, fuſtes, ſagittas iaculantes, primum equos interemere: dehinc diutina feſſos pugna ſemideos heroes oppreſſere. Sic inter mortuorum ingentes hoſtium aceruos, illuſtris ille Fuxius diuiniq; viri occumbentes, melioris vitæ ortum quæſiere. Ambigeret hic animus (ſi hiſtoriæ lex ſineret) nœniæ an triumphi potius canendi eſſent. Nam ſi Fuxii mores, vitæ ſplendorem, extremumque fatum: ſi comitum & in ipſis lethalibus ſinceram faucibus fidem inſpicias, æthereos triumphos terreſtri gloriæ prætuliſſe coniicies: frænabiſque lachrymas, & indigentibus diis congratulabere, ne noua cœlis ceſſiſſe ſydera ægre ferre videare: & ſuperum beatitudini inuidere. At ſi quot gemitus, clades, ſuſpiria, luctus hæc funeſta dies Gallico nomini attulerit, attentius conſyderes: cyaneos ploratus exuperabis. Fateor inſignem illam nobis victoriam dediſſe, nec impunitam Fuxii comitumque necem fuiſſe: quippe Palicius, Triuulcius ac noſtri ſuperſtites exercitus, ſacrilegos impioſque ſyderei ſanguinis ſparſores, ad vnum obtruncauere: Rauenam expugnauere: vbi Medices cardinalem cepere. Et Nauarri (vt ſuſpicor omine freti) qui Fuxium viuere æternaque & imperitura gloria famaque perfrui, proregem vero Neapolitanum ſuumque (qui ignauiter quò dedecoram proferrent vitam, à pugna abſceſſerant) periiſſe exclamauit, vt & viuenti æthereæq; animæ meritum triumphali funereaque pompa, victoris quod terreſtre reliquum

Nauarrus capitur.

Mira ſauciorum rebellio.

Allegrii ad Fuxium monitus.

Fuxii & ſociorum mors.

Cardinalis Medices capitur.

erat, longo ordine pullati præeuntibusque captiuis Mediolanum & laudantes & illachrymantes efferri curarunt, gementemq; monodiam triumphalibus præconiis miscentes, matri deorum reddidere. At sanguinea hæc victoria Ludouici fœlicitatem pene extinxit. Et publicam eius imperio calamitatem subiecit. Nam vt primum Iulio nunciata est, territus Neapolim profugere fere decreuit: ne Romæ à nostris interciperetur. Verum vbi optimam nostrorum partem militum (nescio quo suasore) à Ludouico exauctoratam accepit: erexit animos. Maximilianum per crebriores litteras: Heluetios per Sedunensem cardinalem excitat, sollicitat, pulsat, quo ille his per Veronensem agrum vt Venetorum & Hispanorum (quas coadunauerat) reliquiis facilius iungi possent, liberum haud abneget transitum. His vero quàm maximis possent copiis in Gallicum hostem suppetias ei ferre properent. Nec mora, parent vtriq;. Ille natiua fraude, hi feritate armisq; cinguntur. Tantos in se conspirari motus cùm resciuit Ludouicus: Claudium Seissellium Massiliensem præsulem ad Maximilianum legat. Sed & Ludouicum & prudentem legatum ille decepit. Nam dum se amicissimum, fœdusq;, quod Cameraci filia sanciuerat, seruaturum iurat, Maximilianum Sforciam, Ludouici filium, Heluetiosq; in Italiam per Veronensem agrum immittit: qui pontificiis, Venetis ac Hispanis copiis aucti, regiam ditionem crudelissime incurrere vastareq; cœperunt. Tam subitam (cui nec Ludouicus Maximiliani Cæsaris dolo præuentus obsistere poterat) hostium colluuiem ecclesiastici patres, qui in Iulium Mediolani coiuerant, ipseq; regius senatus, vbi accepere: migrandum in Galliam extemplo censent: idq; tam raptim, tam trepide exegere, vt dum minus caute Medices Cardinalem obseruant: elapsus libertatem quæsierit. At Palicius collectis vndiq; nostrorum cohortibus, Mediolanensem Brixiensemq;, & aliquot ex insignioribus arces præsidiis munit, & cum reliquis (qui pauculi supererant) militibus Ticinum occupat. Sed tam ab hostibus, quàm à perfidis ciuibus (quibus Gallicum nomen semper exosum fuit) circunuentus, non sine maximo periculo euasit, & patriam comite Triuulcio repetiit. Nostris abeuntibus, hostis minimo negocio vniuersam Insubriam occupauit. Sic pulsus Italia Ludouicus, ad vlciscendam iniuriam animum conuertit. Sed ecce, Alebretus princeps, cum Iohannis filii Nauarræ regis oratoribus ei offeruntur: qui Hispanum regem Nauarræ regnum numeroso exercitu inquietare nunciauit: obsecrantq;, vt amicissimo regi, in perfidissimum hostem, opem ferat. Annuit fidissimus rex, amiciq; causam, quàm propriam protegere properauit, & comparatis copiis, Dunensem principem in Aquitanniam Nauarramque euestigio ire iubet. Trimollium vero & Claudium Seissellium oratores ad Heluetios destinat, qui illos reconcilient. Sed & militum & oratorum inanis labor fuit. Nam dum princeps Dunensis in Aquitaniam tendit: ingens Anglorum classis Aquitanico in sinu fluctuare nunciatur. Visum Dunensi minus consultum, nudam præsidiis deserere prouinciam: ne & Anglus eam occuparet, & se vlterius prodeuntem intercluderet, nec posset Hispano à fronte resistere, si à tergo ab Anglo premeretur. Scribit igitur ad Ludouicum, auxilia augeat. Ipse vero interea leni incessu per Aquitaniam præsidia disponens in Nauarræ fines exercitum ducit: tardiuscule tamen. Nam antea quàm applicuisset, Pampillonam, in saltu Pyreneo Nauarræ principem vrbem, Hispanus, pulso Iohanne rege, occuparat. Sed Anglica classis, cui Admiraldus præerat, vbi nil inerme aut indefensum Aquitanicis oris: iamque & Borbonium & ipsum Franciscum Vallesium auxiliares nostris venturos didicit, versis velis in Britanicum mare se recepit. Quod etsi nonnullæ Gallicæ naues in conspectu essent, dubiæ tamen, nec confligere ausæ (nam & numero & viribus impares erant) vim hostilem patientius diutiusque tulere, donec Primangaius regiæ nauis (quam Anna illius auctrix à proprio Britannarum ducum insigni torque cordigeram nuncuparat) Magnanimus ductor, regiam Anglorum nauem (cui Admiraldus insidebat) prospiciens, in eam vela dari iussit. Idem & Admiraldus, vt se impeti videt, paribusque animis signis vndequaque canentibus curat. Non aliter esurientes

Triumphans Foxii funus.

Literæ Iulii ad Maximilianum, & Heluetios.

Cardinalis Medices aufugit.

Palicius et nostri in Galliã se recipiunt. Omnis Insubria à Ludouico deficit.

Trimollius et Seissellius ad Heluetios legantur.

Anglorum motus.

Cordigeræ nauis cũ Anglica pugna.

tes falcones prudentesque grues, rostris vnguibusque armati: infestis explicatisque alis, quàm regiæ naues plenis lintheis, tonantibus fulgurantibusque machinis ac ingruentibus iaculis, primo impetu concurrunt. Mox nexæ vncisque hamis compactæ, vbi iacula defecere, acerrimam pugnam multis vtrinque cadentibus, manu conseruere. Sed è nostris quispiam (cuius nec nomen accepi) ignem in Anglicam misit: qui antea quàm naues diuelli potuerint, ambas deuorauit: solus Primangaius (vbi nulla salutis à flammis patuit via) in mare armatus sese præcipitem dedit. Terruit reliquam Anglorum classem Admiraldi regiarumque nauium excidium. Sed longe magis ductoris nostri magnanimitas: qui cineres suos hostilibus misceri non tulerit, & æque ac eorum manes, per Neptunias tartareasque vndas persequutus, Curtio cordatior, æquoreos furores viuens armatusque subierit. Quòd si id animi cæteris sit, nusquam se tutos arbitratur. Hinc quantum velis, quantum remigibus possunt, Angliam repetunt. At ingentior Hispanum metus inuasit: vbi Borbonium, dehinc Franciscum Vallesium à Ludouico missos, in se mouisse audiit. Nescit quid fingat aut moliatur: vt qui de imperio suo actum (ni adhuc nouos texere dolos fortuna tulerit) non diffidat. Accessit illi malo omine Iulii pontificis inopina mors, quæ iam fere obtusum in amentiam detrusit. Hinc namque Anglum fugientem videt: hinc amici pontificis occasum audit: hinc Gallicam in se virtutem aggeratam conspicit: pontificem suscitare cum nequeat, amicum saltem illi sufficere cupit. Sed id exequendi venia non datur. Cum auxiliarem classem (qua nostros retunderet) reuocare minime posset, & violentius ipso Marte numen Valesium instare non ambigat, in tam ancipiti negocio consilium sors Ludouico (vt reor) infensa attulit. Audiit enim Trimollium apud Heluetios tempus inuanum terere, & Anglum, classem in nos reparare. Hinc si à Ludouico inducias petat, non negaturum. Hacq; arte Franciscum à se repulsurum sperat. Petiit ergo & exorauit à Ludouico (quid mirum? si in eum totus orbis conspirat) inducias.

Ambæ naues cõburuntur.

Iulius pontifex moritur.

Induciæ Ferdinando à Ludouico conceduntur.

Quibus reuocatus Franciscus, cum exercitu ad socerum rediit. Hac saltem gloria conspicuus, vt sola nominis fama victorem hostem belli pausam supplicem expetere coegerit. Sed longe dispar fuit Trimollii Seissellii que reditus: qui fere exacto apud Heluetios semestri, nil nisi belli minas retulere. Indoluit Ludouicus efferæ gentis pertinaciam: quos vbi blanditiis frustra tentari accepit, igne ferroque demulcendos decreuit. At ne Leo pontifex (quem cardinalem Medices hactenus diximus, quique in demortui Iulii sedem, vnanimi cardinalium assensu euectus fuerat) quidpiam in se moliretur: Seissellium melliflua præpollentem facundia ad eum destinat: coactisque egregiis copiis, Trimollium, Triuulcium ipsumque Albaniæ ducem ac Robertum Marchium, Insubriam repetere imperat. Præsto fuere inclyti proceres, & superatis alpibus ad Nouariam castra posuere: vbi cum Heluetiis Maximilianus Sforcia, in eo (qui patri fatalis fuerat) agro exercitum duxerat. Sed non eodem cardine cœlici orbes semper voluuntur. Nam qui aliquando hosti sinister fuit ager, nostris infœlix fuit. Quippe qui ob recentes pluuias paluster erat: nec poterat equestris phalanx, nec ipsæ rotatæ grauioresque machinæ luteo cœno emergere. Pedites (cum impares inimicis essent nec ab equite aut subsidiariis tormentis iuuarentur) primi funduntur: inter quos Florengius Iamesiusque ambo Marchii filii (plusquam humanum credi possit) pugnauere. Sed & paterna virtus tunc enituit. Illos vt audiit viriliter dimicantes occubuisse: nil eo fractior, inquit: Nec exanguia quidem corpora hostis triumphabit, & per medias densasque Heluetiorum turmas terribilis gradiens, geminam prolem fere exanimem lethalibusque confossam vulneribus, retulit. Dii tamen (quibus magnanimorum cura est cordium) in pristinam salutem eos & patri & patriæ reddidere. At equites fusam peditum aciem, seque terreis fere compedibus tentos videntes, vlterius progredi minime ausi, in fugam vertuntur. Sicque victor minimo negocio Maximilianus euasit. Ea victoria Maximiliani Cæsaris Margaretæque filiæ animos auxit:

Iulio sufficitur Leo, ad quem Seissellum Ludouicus destinat.

Marchii virtus.

Nostri ad Nouariam funduntur.

quibus visum est, nunc tandem Ludouicum vinci posse, si Anglus auro armisque præpotens, in Galliam traiicere, & Heluetii Burgundiam infesto agmine infestare non abnegent. Solicitant igitur vtrosque, properent accelerentque patentem victoriam capescere. Quod etsi moriens Henricus VII. Caroli VIII. auxilio Anglorum rex filio Henrico, qui nunc Anglis imperat, prohibuisset, ne Francorum amicitiam desereret: Plus tamen paternis monitis apud magnanimum regem laudisque cupidum iniquorum consilium valuit. Hinc citissime classem parari præcipit. Tanti motus pernix nuncius ad Ludouicum delatus (ni prudentissimus fuisset) terruisse poterat. Sed vt arridente fortuna nusquam elatior, sic aduersa infractior apparuit: salubrique fretus consilio, Trimollium ad Heluetios sedandos auro onustum mittit. Piennarum vero dominum ac magnum Seneschallum Picardiæ Normaniæq; vicarios, earum regionum portus, vrbes, arces præmunire iubet, donec ingentior conscribitur exercitus. At Heluetii antea quàm ad colloquium Trimollium admitterent, centena millia nummûm aureorum petiere: non aurum, sed Ludouici amicitiam omnino spreuere. Acceptoque auro, Trimollium, in Burgundiam iam penetraturi, vacuum remisere. Festinauit Trimollius in Burgundiam, cuius prorex erat, vt (quantum pro tempore liceret) prouinciam

Heluetii in Burgundiam.

muniret. Sed tam præcipites Heluetii regios in fines, igne ferroque omnia vastantes irrepsere, vt vix vrbium portas obserandi horæ superfuerint. Quantas tamen potuit, Trimollius è vicinis præsidiis copias congessit, & Diuione aliquantisper munito, illic hostem pro virili sustinere statuit. Nec mora, obsidetur semireparata in vrbe, machinisque ac omnium telorum specie impigre oppugnatur: nulla spes auxilii, nulla salutis, si (quod auaras Heluetiorum semper excæcauit mentes) aurum non suffragetur. Hæc sola in eos arma posse videntur. Impetrato

Heluetii precio in patriam remittuntur.

igitur colloquio, Trimollius ingentes thesauros pollicetur: centenaque nummûm aureorum millia primo congressu profundit: & sic quos armis retundere non poterat, auro victos obsidionem soluere & patriam repetere compulit. Sed non his armis Anglus, qui iam Callisium aduentarat, repelli potuit. Qui imo Sufforcii ducem ac Tallibotum cum bona exercitus parte (dum ipse à maritimis laboribus paulisper respirat) Ludouici fines inuadere imperat. Qui nil segniter a-

Longæ villæ dux & pleriq; è nostris capiuntur.

gentes, ferro igneque omnia vastantes, Morinum obsedere: in quos Longæ villæ dux, ac nonnulli proceres haud spernendas copias duxere. Sed dum obsessos commeatu refercire moliuntur, Anglicis insidiis circumuenti, semiermes, nonnullis cæsis cæterisque fugientibus, ex eis fere insigniores capiuntur: vinctique in Angliam ducuntur. Ea res Ludouicum (etsi ægre valeret) è Vicennatum proxima Parisiis arce, digredi coegit: præmisso prius cum exercitus parte Francisco Valesio. Sed Anglus, qui Callisii adhuc belli auspicia captabat: Maximilianumque Cæsarem præstolabatur, vbi Franciscum in se accingi audiit, solo nomine territus (ne, priusquam suis iungi posset, ab eo interciperetur) properauit à Callisio Morinensem obsidionem petere: idque tam palatim, vt fama tulerit, si Piennius suos non prohibuisset, facile in manus nostras concidisset. Cui ecce tristior nuncius, regem

Angli anxietas.

Scotorum in Angliam cum numeroso exercitu penetrasse, retulit. Pœnituit nil mirum tam temere & patriam in discrimine vicini hostis deseruisse, & in tam potentissimum regem contra paternam mentem mouisse. Augebat etiam indignationem bilemque exasperabat Maximilianus Cæsar, quòd præter fidem iuratam cum pollicitis auxiliis nondum venisset. In se tamen Franciscum Valesium Borboniumque ab Abbatisuilla parari, audiebat: quibus etsi copiis numerosior sit, hæsitat tamen an suis fidere queat, vt qui patria blandissimis Maximiliani sermo-

Rex Scotorũ moritur pugnans & victor.

nibus eum abstraxerant, forsitan derelicturi, si victoria Scotorum regi sororia cedat. At dum his fluctuat Syrtibus, ab vxore illi redduntur literæ Scotorum regem, deletis fere ad internicionem Anglis occubuisse. Scotos vero regis fatò (licet victores censerentur) territos, proprios lares remeasse. Vix legerat literas: ecce & Maximilianum ad secundum lapidem auxiliarem adesse accepit. Hinc, qui iam fortunæ maledicebat, resumptis animis audentior gestit. Et quò feliciori-

ribus

ribus auspiciis Maximilianum exciperet, Morinum acerrime oppugnari imperat. Sed nec Maximiliani aduentus victoriam illi parturiit. Nam Morinenses validissime tutati (cui Pontis Remigii hæres dux erat præsidio) hostem iterum atq; iterum insultantem, fortiter à mœnibus arcuere. Sed tandem longa obsidione fessi, omniumque commeatu exhausti, pacis conditiones longa dierum intercapedine tractare cœperunt: idq; iubente Ludouico, qui iam satis scius, quàm difficiles bellorum sint exitus, Heluetiosq; ac Hispanum nil aliud, quàm pugnæ finem explorare, qua aut omnino victus ab eis diriperetur, aut saltem vincendo fractior facilius vinceretur, Anglo nusquam congredi proposuerat: quem & à Maximiliano auri bibulo thesauris aperte emungi, & diutino bello infringi sciebat, paruiq; existimabat, si exiguam vrbem tantis sudoribus tantoq; auro emptam, Anglus tandem obtineret. Eapropter ardentem Franciscum obsessis suppetias ferre prohibet, donec ipse cum integro exercitu adesset. Obsessis vero, vt vrbem quam poterint, diutius detineant: cumq; nec amplius per inediam id licebit (si ipse auxilium interea non tulerit) æquis conditionibus dedant. Regium Ponsremigius imperium optime expleuit. Longis enim ambagibus interpolatisq; induciis hosti toto bimestri illudens, tandem vbi nil, quod mandi posset, famelicæ amplius vrbi superat, eam dedidit. Ipse vero cum integro præsidio omnibusque impedimentis armatus, instructaq; acie per medios hostes incedens, ad Ludouicum inuictus se recepit. Mirabantur Maximilianus Anglusque infractam Gallici præsidii virtutem, quam nec ipsi nec iniquus etiam liuor carpere possent. Hinc Maximilianum altius suspirantem exclamasse ferunt: O feroces inexpugnabilesque animi, quis vos conteret, quis duras ceruices subiugabit? Cedentibus igitur nostris, inimicæ acies vrbem ingrediuntur: quam etsi illæsam seruare Anglus iurauerat: Cæsari tamen milites datam fidem fregere, miserosque ciues diripuere, ac potissimam vrbis partem incendere. Interea Ludouicus in Corbiensi agro contracto recensitoque exercitui Franciscum Valesium imperatorem præficit, iubetque, si Anglus Sommam flumen ad se traiicere tentet, prohibeat. Sin minus, nusquam illum adoriatur. Illinc Corbiam, dehinc Ambianum se recipit. Et ecce distincti in diuersa studia Tornacensium oratores ei offeruntur. Pars enim vrbis in fide Ludouici perstare decreuerant, pars Anglo antea quàm è patria solueret, vrbem se prodituram conuenerant. Petebant ergo fideles Ludouici præsidium: perfidi verò, nil tam potenti vrbi opus esse contendebant. At dum Ludouicus Sinoni quàm Laocoonti plus credit, Anglus Maximilianusque ad Tornacenses euolant, & intra mœnia è composito excipiuntur. Quæ res vbi Margaretæ Austriæ innotuit, nil morata, contractis insignioribus ac formosioribus vndequaque puellis, cum Carolo nepote ad patrem Anglumq; festinauit: sperans Tornacum nepoti facillime ab Anglo se exoraturam. Vbi appulit magnanima mulier, ludi publici festiq; dies celebrantur, lautissima conuiuia nouorumque irritamenta amorũ choreæ, posthabito belli studio, per totos dies ipsasq; noctes crebrescunt. Quid moror? nõ aliter Antonium Ægyptiæ blanditiæ, quàm Anglum Belgicæ illecebræ irretiere. Hinc captato Maximilianus ac Margareta tempore, ab Anglo vrbem nepoti dono mellita facundia petunt. Iam non abnuebat liberalissimus princeps, sed Tallibotus id præsentiens, regem (ac secreto aliquid dicturus) ab eorum conspectu seduxit. Remotisq; arbitris his verbis alloquutus est. *Ea ne fuit mens, serenissime rex, cum à patria in antiquos hostes soluisti, victoriam (si quam deus optimus maximus largiretur) integram in fœmineos sinus demergere? fuit ne hoc tuum institutum, vt non patriæ propriæque gloriæ, sed Austrio sanguini militares? Hi sunt triumphi, quos penatibus diis referre paras, vt victorem muliebribus laqueis vinctum succubuisse non pigeat? Cerne precor quibus te ingenita astutia circunuenit dolis. Maximilianus qui Morinum desolari imperauit, & nunc muliebri lingua Tornacum extorquere molitur, quò ex victoria nil tibi supersit, ingloriusque patriam repetas. Taceo illius inexplebilem auri sitim, quæ (etsi Mydà aut Crœso opulentior fueris) gazas omneis tuas ebibet, deglutiet, obsorbebit.* Respira paulisper inuictissime rex, & teipsum consule, ne post emunctos thesauros, gloriam quoq; tuã Austrii rapacitas deuoret. Ingenuum regis animũ lenis amicaq; obiur-

Maximilianus et Anglus Morinum obsident.

Morinum Anglo deditur.

Suspirãtis Maximiliani exclamatio.

Tornacũ Anglo deditur.

Maximilianus & Margareta ab Anglo Tornacũ Carolo nepoti in munus petunt.

Talliboti ad Anglum obiurgatio.

gatio perstrinxit. Immutauit ac cupidineis pharetris præualuit, mutus, suppudens, roseoq; tinctus ora rubore ac Massinissa à Scipione sese ad Maximilianum Margaretamque proripuit. Credidere illi ad se rediisse, quæ petierant vltro largiturum. Instant, perstant, vrgent ardentioresque nepotem cum eo sibi communem offerunt, qui & vrbem illi fidissime seruaturus, & æternum pariturus sit. At ille ingemiscens anxius fessaq; voce respondit: Parcite principes superillustres ab eo quem amicum nostis exposcere: quòd non sine perpetuo dedecore daturus sit. Grauiorem æquis non tulere animis illi repulsam, sed nepotem trahentes, à rege indignatiores abiere: & citatis suis eo insalutato Flandriam repetiere. Suspectam abhinc habuit Maximiliani Austriiq; stemmatis fidem Anglus, nec solum cum Ludouico negocium sibi esse, sed cum his, quos amicissimos sperabat, perspexit. Vocato igitur consilio, cum Franciscum Valesium sibi insidiantem haud dubitaret, antea quàm Maximiliani abscessus ei enunciaretur, præsidiis Tornaci relictis, Callisium properauit: & illinc in Angliam vela dedit. Eo abeunte, Ludouicus munitis Picardiæ arcibus, Parisios, mox Blesas repetiit: vbi ab vxore lætissime susceptus est. Sed & eius quieti Heluetii iterum inuidere visi sunt: qui Burgundiam sese inuasuros iactabant. Ad quos reprimendos Borbonium cum iusto exercitu dimittit. Sed illi tam inuicti imperatoris virtutem expauescentes, se fœderi, quod cum Trimollio percusserant, adhærere significarunt: si, quæ Insubrias adhuc detinebant arces, præsidia (quæ vel fame peritura erant) Ludouicus reuocaret. Excepit conditionem Ludouicus, sicq; milites Insubri rediere. Sed inter cęteros Aubiniacus Brixiensi arce instructa, acie armatus prodiit: & patrios lares repetiit. Eo abscedente Hispani arcem occupauere, Venetis credentibus, illos à se precariam habere. Sed vbi in vanum eam repetiisse cognouere, pœnituit tam infidæ genti, fidem dedisse. Hinc si Ludouicum reconciliare sibi possint, tentare constituunt. Erant Lochiis mancipati, Bartholomæus ille Aluianus, insignis imperator, & Andreas Gritius ex illustrioribus Venetorum proceribus: quibus Veneti mandant pro virili tentent Ludouici animum demulcere, & Venetorum amicitiam illi haud indignandam suadere. Properant captiui: Ludouico Venetorum mentem aperiunt, qui rem sibi frugi fore ratus: non spernendam Venetorum (si syncera sit) amicitiam esse respondit, captiuosque ad se vocat, & secreto colloquio audit. Illi iam rem firmaturos pollicentur, & id Venetis euestigio rescribunt. Non distulere Veneti, legatos qui fœdus cum Ludouico ferirent, mittere: qui æquis conditionibus liberatis lauteque à Ludouico donatis captiuis, perpetuam regi amicitiam pro principe senatu populoque Veneto iurauere. Sed interea dum Veneti pacem firmant, inuida mors Annam Augustam, Ludouici castissimam in tredecimo supra quingentesimum & millesimum, anno Idibus Ianuariis, proh dolor, exanimauit: quam regio funere Blesis, Parisios dehinc ad Dionysium cœnobium magna impensa, sed longe profusioribus gemitibus publicisq; lachrymis efferri curauit. Natalesq; sibi Blesas (quas vnice prius dilexerat) funestas exosasq; abhinc habuit: & à quibus paucis pòst diebus diffugiens Parisios, ad Vicennarum arcem venit. Nec ibi luctum rumpere potuit, sed sancti Germani in Laia arcem (quæ placidissima est) petiit: nec quemquam ibi, nisi pullatum, ad colloquium admisit. Augebatur indies tristi in pectore dolor, nec vlla mitigandi via patebat: si geminæ natæ Claudia Renataq; dirum frangere mœrorē nequeant. Illas igitur à Blesis ad se vocat, quæ natiua gratia ægrum parentem aliquantisper solatæ fuere. Illuc conuenerãt totius Gallici imperii heroes, præcipue quos Aquitanica ac Picardia expeditione plusquam Cæsarea liberalitate sibi deuinxerat Franciscus, quibus visum est, vniuersæ reipublicæ expedire, vt per ætatem Claudiæ eatenus prorogatæ nuptiæ adimplerentur. Eapropter regem adeunt, supplicesq; obsecrant: ne tam desideratos Gallico orbi hymenæos diutius protendat. Placuit Ludouico communis illustrium virorum zelus, intimoque pectore gestiit: & quas optabant nuptias, totis animis indulsit. Quid plura? publico applausu Franciscus Claudiam vxorem duxit. Sed nec ibi defuit Annæ desiderium. Voluit enim Ludouicus pullatas esse nuptias. Quibus expletis (nescio quo referente, nonnulli enim famæ,

Maximilianus & Margareta repulsam ægrè ferentes, indignati abeunt.

Anglus patriam repetit.

Heluetiorum motus reprimuntur.

Præsidia ab Insubria reuocantur.

Veneti Ludouico reconciliantur.

Anna Augusta moritur.

Nuptiæ Francisci Valesii et Claudiæ celebrantur.

mæ, nonnulli longæ villæ duci, qui adhuc captiuus apud Anglos erat, adscribunt) prope diuinæ Mariæ Angli regis germanæ elegantia, forma, venustas ad Ludouicum delatæ sunt. Incaluere iam senescentis medullæ, visumq; illi est Mariam aliquando terris pacem tulisse, & id alteram Mariam iterum posse. Quamobrem Iohannem à Sylua præsidem Rothomagensem ac Boherium, Normanniæ quæstorem, oratores legat: qui Mariam ab Anglo sibi coniugem petant. Festinant illi regis votum exequi, & in Angliam traiiciunt. Qui vbi Anglo regiam mentem aperuere, protinus obtinuere. Paratur ergo regia classis, quæ nympham vectura sit. Id vbi Ludouico innotuit: accersitis toto imperio heroibus, & tunc primum pullam vestem exutus, in Picardiam (quò ventura erat) iter arripit: electosq; nonnullos regii stemmatis proceres, qui Mariam excipiant, Callisium mittit. Illuc vix appulere, & ecce regia classis in portu adest. Procedunt reguli & cœlestem deam ouantes suscipiunt. Illicq; aliquot dies morati, eam Abbatisuillã, vbi Ludouicus præstolabatur, deducunt. Processere illi obuiã Franciscus Britonum ac Valleſiorũ, Alenconius, Borbonius, duces: Vindocinensis & plæriq; comites, ac reliqui Gallici principes. Nec potuit ipse Ludouicus differre, quin conscenso insigni equo, intextoq; paludatus auro, obuius illi fuerit. Quam vbi conspexit, dato osculo blandaq; salute, in vrbem rediit, à qua ingenti lætitia excepta est, & ingenti ore Ludouico diui Dionysii die nupsit. Labor esset his, quos mellifluis oblectat, Parnasus fontibus, *Maria Angli regis soror,* qui vel Apollinea præcingunt tempora lauro, Epithalamium hic canere. Sat sit *Ludouico nubit.* historicæ modestiæ, hasce nuptias, Pelei Thetyosq; connubia vicisse. Quibus & religiose & magnifice expletis, post VIII. diem Abbatisuilla digredientes, perq; Picardiæ vrbes, quà transitus eis fuit, summo applausu excepti, tandẽ in diui Dionysii ædem venere: vbi more reginarum vncta coronataq; Maria triduum fere exegit. Hinc Parisios, gestientes, iubilantes, laudantes, psallentes, ouantesq; lætissima regina ingressa est. Vbi celebratis per Britonum Vallesiorumq; ducem, ac cæteros Franci imperii regulos, hastiludiis, mensem totum festum iucundumq; expleuere. Hinc donatis regiis muneribus, dimissisq; Anglis, qui reginæ comites fuerant, Ludouicus & Maria sanctum Germanum in Laia petiere. Vbi aliquot diebus exactis Parisios rediere. ***Heu heu extrema gaudii luctus occupat.*** Ecce infœlix morbus *Ludouicus moritur.* Ludouicum inuasit, quo post octauum diem mortales artus exuere, Calendis Ianuarii MCCCCC. ac XIIII. regni sui decimo septimo, ab implacabili Parca coactus est. Quod reliquum terrestre fuit, in æde diui Dionysii, ad Annæ coniugis charissimum latus, magna impensa humatum est.

SIDEREO iubare iam coruscante Ludouici spiritu, certissima patriæ salus, CAP. 5. Franciscus Vallesius Augustus, diuis Carolo Sabatense Ludouicoque Engolismæ ducibus superinclyta ac optatissima progenies, tertio affinitatis gradu Ludouicum attingens, auspicatissimusq; gener, Gallici habenas imperii recepit. Quem, vt *Franciscus merito primus dicitur.* præsentissimum numen, primumq; mortalibus principem, benigni cœlites exhiberent, primum sacri huius nominis, primi mensis Calendis, prima hebdomadæ luce primariæ, gentis sceptra, & in ipsa nostri sæculi primaria florentissimaq; vrbe faustissimis auibus suscipere voluerunt. Verum nec superos studiosior hæc cura fefellit. Magnitudo enim clarissimi eius nominis vtramque Apollinis domum impleuit. Prudentior numinis nutus, geminas Iani fores pro arbitrio aut claudit, aut reserat, eius auspicia cuilibet labori fœlix principium largiuntur. Augetur Christianissimi populi principatus, tam clementissimo augustissimoq; Cæsare imperante. Vrbis decor, sublimitas, ciuilitas ac religio ampliantur, eo principe rempublicam moderante, ad quem cætera diuinitas non opinione, sed exploratissimo argumento colligitur. Quippe, si maiestatem eius consideres, quid ipso Ioue haud dignissimum videbis? si proceritatem, formæq; decorem, nonne iuuenilem Phœbi venustatem (si te claritas tanta non excæcat) præ oculis habes? si facundiam, nonne Mercuriũ iussa deorum explicantem audis? si gratiã, nonne Venerem, Charitesq; diuinis ludentes ridentesq; labiolis amas? Si quos lucis radios gemino cornu, huic misellis, huic fortunatis partitur, Phœben ne ipsam infestiores tenebras propellentẽ adoras? At sentiant potius hostes Martias eius vires, tententq; Hercu-

lea eius dextera clauam euellere. Nos vero Saturnia aureaq; sæcula hunc cœlestiũ virum congestorem retulisse gestiamus. Accedant deiformis eius animi præcelsæ dotes, quæ imbecillam nostræ mentis aciem eximiis illis, quos vibrant, fulgoribus adeo perstringunt: vt neq; intrepidum fas sit, fulgentissimis illarum radiis oculum obiicere. Quinimo proficiscentem ab æterno luminum parente perennem sacratioris spiritus lucem, ab eo nusquam diuisibilem, superna pasci sapientia, communiq; omnipotentia perfrui, pientissime credimus. Si enim, quo ardore frigescentem Ludouici senio rempublicam refocillarit, perspicias: seraphicis eam restituisse ignibus fatebere sororium. Nempe Alenconii ducem Armigniaci comitatu: dehinc Biturigum principatu donatum Normanniæ proregem instituit. Borbonium, militiæ principem (quem Conestabilem vocant) creauit. Vindocinensem ducalibus auctum titulis, Picardiæ vicarium, dum Piennius diem clauserit, destinauit. Sed quid per singulos regii stemmatis semideos versor? cum neq; immensis quot muneribus, dignitatibus principatibusq; illos ampliauerit omnis Parnaseus labor exprimere: neq; historiæ hæc humilitas referre possent. Vnum sat sit his seraphicis amoribus: nostro numini nunquam lacescente studio, nec sanguinis tantum, sed ardentissimi fidiq; spiritus nexibus inuictissimis & adhærentibus languescentes nuper imperii neruos nouis viribus adeo calfactos, instauratos, roboratosque: vt æque, ac canum latratus Cynthia, hostiles minas Franca expaueat monarchia. Quin etiam nec his finibus cohibita est, supracœlestis huius, quem colimus, animi flagrans in patriam pientior cupido. Enimuero vt fortem solidam constantemq; vidit, ne in vicia effrenis laberetur, Cherubinea eam prudentia moderandam instituit. Quo suæ inconcussum clementiæ thronum firmius stabiliret. A quo legalia oracula, nectarei intemeratæ amnes sapientiæ, fulgentissimiq; iustitiæ radii scaturirent, manarent, ordirentur, ærumnasq; nostras illustri coruscatione & salubri aspiramine leuarent. Ipse autem super celsissimo residens solio Claudiam Iunonem, quæ æterni amoris, casto pectore, sidereisq; oculis, flammulas ebiberet, ac nostri Iouis clementiæ largitrix, conciliatrix, Cybele fœcundior, deorum progeniem, astrorum innumeræ plebi æquaret, à dextris constituit: Fœlicem vero deiparam Ludouicam, quæ prudenti speculo fatalia decreta terminaret, Solomone pientior, sinistro lateri considere iussit (nam etsi Solomon protestatus, nil matri se negaturum, proprio diademate illam honorauerit: Adoniæ tamen obsecratas nuptias non modò non concessit, sed in fratrem, Deum arasq; frustra implorantem, crudelius grassatus est. At hic noster Solomon inclytæ genitrici nil negandum sanxiuit. Procedite igitur filiæ Parisiæ Hierusalem, adorate regem Solomonem diademate insignitum, quo coronauit eum mater sua in die desponsationis suæ. Sed quæ hæc mater? quæ hæc corona? quæ hæc desponsatio? Si Bacchum bimatrẽ credere potuit antiquitas, hunc verum bimatrem probabilius totis animis venerabimur. Ludouica enim sacros artus, sed diuina lux æternum lucentemq; spiritum genuit. Illa corporeas triumphaturasq; vires nutriit, hæc inuictissimam magnanimæ mentis aciem procreauit. Illa fragrantibus aromatibus decoratissima membra sæpius refouenda curauit: hæc ab immortali Dauide hunc nostrum Solomonem in iusticia & sanctificatione Sadoch: & in nomine sacerrimi prophetæ Nathan nobis vere donati Iesu saluatoris (dominantium ecclesiæ Romanæ cardinalium cætu dominanti Francisco benedicente virtutibus archipræsulum, virtutes regiæ eius maiestatis attollentibus, potentibus salutari sanctitate pontificiis patribus, episcopis, abbatibusq; præpotentem sanctum domini sanctificantibus: Concurrente superne secundæ zerarchiæ afflatu, & beatitudinem omnem à paracleto effusam secundo nauigio per aquas gratiæ, quæ supra cœlos sunt, afferente) oleo lætitiæ præ participibus suis in regem & Christum domini vngi obtinuit. Et ecce astitit regina à dextris in vestitu deaurato circundata varietate. Quæsiuerat in lectulo per noctes quem diligit anima sua, non in lectulo pigritiæ aut voluptatum, non per tenebrarum noctes inuenerat. In sole etenim iusticiæ posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: intercepta ab his qui custodiunt ciuitatem, quam nisi dominus custodierit frustra vigilat qui custodit eam. O quæ est ista

Prima cœlestis Zerarchia.

Alẽcõius Normannia prorex.

Borbonius Cõestabilis creatur.

Vindocinẽsis, ducalibus titulis augetur.

Solomone pientior Franciscus.

Secunda Zerarchia.

O miserabile Dei verbum, quãtam vim pateris?

est ista quæ ascendit per desertum deliciis affluens, innixa super dilectum suum, qui pascitur inter lilia. Et quem præteritis excubiis inuenit, & tenuit donec introduceret in domum & cubiculum matris suæ. Hæc est, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol: terribilis vt castrorum acies ordinata, tota pulchra & in qua macula non est, perennis & inconcussa fides. Quæ deaurato caritatis vestimento ornata: & in fimbriis aureis sanctorũ meritis circunamicitur, quæ ab antiqua philosophantiũ Græcorum, Hebræorum, Chaldæorum Latinorumq; doctrina in tenebris expetita, pernoctantes tamen pertransiit & ab occiduo Iesu optimi maximi sepulchro, vt aurora consurgens, rosidas diuini ortus portas reserauit: pulchra vt luna sine macula, veri Apollinis lumẽ excepit. Electaq; vt sol, lucis radios populis, qui ambulabant in tenebris partita est: & ascendẽs per desertum Asiæ, per desertum Aphricę, perq; maximam Europæ partem spreta, irrisa: tyrannorumq; insidiis impetita, hæreticorum venenatis dentibus lacerata, tandem dilectum vnicum inter lilia pascentem inuenit, tenuitq;: super quem innixa deliciis affluens terribilisq;, vt castrorum acies ordinata, procedens Geticos furores, Lombardam rabiem, Hispanam perfidiam, Punicas insidias, Cerbereosq; vniuersæ Asiæ latratus sæpissime compescuit. Quid mirum? Ergo, si inuentum hunc vnice amat, obseruat, colit, veneratur, cœlestis gratiæ oleo linitum, & integritatis diademate à superna luce genitrice in celebri desponsationis die coronatum, Christianissimiq; nominis celeberrimis titulis illustratum, principibus veram dei imaginem, principandiq; auctoritatem à supernis principantibus sibi elargitam, benignó sydere prębentem, angelicis sui imperii senatibus archangelica functione natiuæ lucis fulgores & maiestatem sociali quodam iure communicantem, ac extrema zerarchialium excellentiarum ab excelso suo serenitas throno, per ineffabiles æterni spiritus intelligentias complectentem, perfruentem, congerentem. Sed vbi vnctus & coronatus? In Remensi Gion. Quid enim Gion, nisi luctatio? aut arena? ecquis remos sine luctatione rexerit? Aut quis ignorat, quàm dextro remigio Clodoueum diuus ille Remigius, per vndas sacri baptismatis, in salutis portum duxerit? Hinc meritó Remis coronantur Franci reges, qui fere naufragã ecclesiæ cymbam, fortibus remis luctantes, calcatis hęresium hostiumq; arenis, tutam in quietem sæpissime deduxere. Quod si Bersabeides ille Salomon iure optimo in Gion vnctus est, si Franci reges hactenus bene initiati sunt, eo iustius hic noster Solomõ cœlesti oleo Remis linitus est, quo à perenni maternæ lucis fonte procedens, fons ipse fidelis iuramenti satiansq; iusticię puteus rite credetur, vnumquemq; pro meritis repensans, prudens retributor, parcere subiectis & debellare superbos didicit, proximiusq; Francæ libertati nomen sortitus, obrutam Iulianis hyemibus ecclesię puppim solidauit? firmauit, restituit & catholicæ fidei flagrans amoribus, procellosas vnitatis Christianę diris schismatum ventis vndas placauit, propiciis obediẽtiæ zephiris, plenissimis velis ac inuictæ fortitudinis remis in pacificum littus perduxit. At si promeritus sacris optime sanctificatus est: quis neget exiguã, exilem, angustam, debilem & nauci esse omnem mortalium (si gloriæ eius conferas) laudẽ? Verum si humanissimam eius clementiam inspicias, & lacte & mola tantum salsa litantes benignissime suspicientem videbis. Nam etsi in excelsissimo humani generis fastigio positus sit, neminem spernit: neminem abhorret, obaudit, refugit: sed minimum quemq;, posita seueriore maiestate, amplectitur, excipit, exaltat: esuriẽtes bonis adimplens, viduam pupillumq; sub vmbra alarum, vt pupillam oculi, diligenti solicitudine custodit. Propterea populi confiteantur ei in æternum, & in seculum seculi, memores sint nominis eius, in omni generatione & generatione. Et filiæ fortitudinis Tyri in muneribus, vultum eius deprecentur omneis diuites plebis. Dicant filiæ Sion, filiæ visionis pacis & speculationis (quæ Lutecia est à luce, nõ à luto, dicta, cum almæ Theologiæ lucis radios totum in orbem immitat, & in qua diuinæ speculationis spiritalisq; pacis visio præ cæteris nostræ tempestatis vrbibus emicat) Ecce rex tuus tibi venit mansuetus. Audi filia & vide & inclina aurẽ tuam illi, quia concupiuit decorem tuum. Recte mea sententia hęc verba huic inclytę ciuitati directa sint, quæ Remis redeuntem Franciscum, illustri procerum corona,

Tertia ierarchia.

Vnctio Solomonis regum Francorũ vnctionis figuratiua.

Quomodo quæ sono nauseat, qui legat hæc omnia?

senatorumq; ac nobilium innumero ordine cinctum, tam iucunde tantaq; pompa lætissima excepit, vt nullus antea regum ornatiorem, festiuiorem, cultiorem, aut in sua proniorem vota inuenerit. Insigni igitur argenteis decoratissimo phaleris, sonipede vectus, argenteoq; paludamento splendidus, deuotissimam, psallentem, resonantem, gestientem, gratulantem, officiosissimam vrbem, rex mansuetissimus, optatissimus, speratissimus, placidissimus ingreditur. Perq; medias pictis tapetibus lustratas regiones (biuiis, triuiis ac quadriuiis laudantibus, salutantibus canentibusq; theatris) incedens, excelsam virginis puerperæ ædem subiit, & illinc (oblatis prius regiis muneribus) ingens capitoliũ petiit: vbi regia in mensa medius principum cenauit, diemq; moratus, ædes regias (quæ Tornellæ vulgo nuncupantur) petiit: vbi cum suis aulicis ac Anglicis Flamingisq; proceribus lautissima conuiuia, infestioresq; imitantia pugnas torniamenta, ac hastiludia celebrauit. Cæterum à Carolo Austrio comes Nausantii (vt sacris Remensibus pro eo comite Flandriæ adesset) missus, & si amicissime exceptus: minus tamen à Francisco Austrii rebus cautũ esse. Si strictior necessitudinis & amicitiæ nexus non intercederet, prudentissime suspicans, Renatam Ludouici filiam, ac Claudiæ Augustæ germanã futuram, Austrio coniugem petiit. Quod non modo obtinuit: sed & filiam Auraicæ principis (quæ inter regias heroidas educabatur) vxorem duxit. Hinc adamantinũ fœdus inter Franciscum Austriumq; solidari speratum est, cui & Ferdinandus & Maximilianus conscripti sunt: quinetiam & cum Henrico Anglorũ rege inuictissimo, firmata est perennis amicitia. Tam etenim benigne habuit Franciscus Mariã Ludouici relictam: vt eam æque ac viuente marito rege coluerit. Dehinc ex Henrici voto duci Sufforcii nubere nõ modo passus est: sed largissime donatã annuaq; dotali pensione assignata, cum eius viro innumera procerum heroidumq; plebe comitatam, Callisium vsq; deduci curauit: plerisq; illam vni ex Francis principibus (ne ampla dos & supellex ad exteros deferretur) nuptũ dari obnitentibus. Sed fœderis lex, sacro insculpta pectori, apud Franciscum publico etiam patriæ commodo semper præualuit, quæ æqui sanctiq; obseruantia stimulus fuit cæteris, orbi Christiano dominantibus, Francisci amicitiam auidissime petere. Vnus Maximilianus Sforcia, Heluetiorum temeraria victus peruicacia: Sedunensis cardinalis ambitione motus: Cæsarisq; Maximiliani (qui sub fœderis imagine Franciscum, vt Ludouicum, intercipere sperabat) dolis imbutus, in cœlum os ponere ausus est. Suisq; auspiciis Heluetios, cum ingenti Insubrum ac Hispanorum manu, Briansonem vsq;, in Alpinorum oppidum hostiliter incurrere passus est. Diuerterat à Parisiis cum Augusta, ac genitrice Ambasiã Franciscus: vbi dum ceruos venatur, crudelis spina calcaturum sydera pedem læsit. Accepit cœlestes monitus diuino spiritu, cumq; supplantatoribus seruis, non innocuis ceruis negocium sibi esse intellexit. Auxit auspicii fidem nuncius temerarii Heluetiorũ ausus. Idcirco dum pedem curat: festinasq; Lotharingi ducis & Borbonii principis germanę nuptias celebrat, comparatas omni ope copias Lugdunum præire iubet. Nec mora, exultauit vt gygas ad currendam viam. Et vale dicto Augustæ, & matri (cui & regni moderamen, grauidæq; vxoris curam commisit) Biturigibus, Niuernis Molinisq; gratissime salutatis, Lugdunum expectatissimus peruenit. Dedere operam Lugdunenses, pronissimam illi vrbem exhibere: tantoq; studio, læticia, pompa, triumpho excepere, vt se non solum ac regem amari: sed felicissimum numen coli merito cognouerit. Nec tamen minus deuotis animis Viennenses, Gracianopolitani, ac reliqui Dalphinatium populi, eius maiestatem venerati fuere. Tantus enim applausus, tanta læticia, tanta iucunditas vndiq; arrisere, vt cœlitũ omnem coronam eos visisse credidisses. Mirabantur consultissimi cœlestis ingenii acumen, fortissimi Herculeas vires adorabant: disertissimos Nestorea rapiebat facundia: vniuersos roseí oris decor, candidulas suaui risu detegens margaritas, sydereorumq; splendor oculorum viciabat. O vere beatam, quæ eius thoro digna inuenta fuerat. Iunonem formosissimæ nymphæ iurabant, attollebant. Quid plura? mentes, oculi, corda, linguæ, voces, organa, lyræ, tibiæ, plectra, tubæ, tympana, fistulæ, cornua, cymbala in laudes, hymnos, odas, carmina, præconia Concordi accentu profundebantur, resonabant & su-

Renata Ludouici filia Carolo Austrio despondetur.

Principis Auraicæ filia, comiti Nausantii nubit.

Mariã Ludouici relictam, dux Sufforcii uxorẽ accepit: quã in Angliã remittendam Franciscus curauit.

Heluetii insurgunt.

Lotharingi ducis & Borbonii sororis nuptiæ celebrantur.

& supernum æthera in communis cœli terrarumq; principis exaltationem, gloriā ac iubilum inuitabant. Verum quò omnigenæ theoriam Mineruæ ingentibus vinceret meritis, Borbonium (qui per inaccessa alpium iuga cum exercitus parte præcurrebat) cum reliquis sequutus copiis, Punicos Grçcosq; labores superauit. Illorū enim dux oculum perdidit: horum vero maxima pars membrorū vim amisere, vacuamq; ac indefensam primam Italię oram vtriq; inuenere. Vnus vtrisq; labor, horridam hyemem vincere & cum inermibus barbaris, rei militaris omnino imperitis, manum conserere. At non tam facilis Francisco fuit in Italiam descensus. Nam etsi hybernæ glacies minime obsistebant: bulliens tamen, æstuansq; sub ardenti sydere canis, militem Francum ægerrime affligebat. Quinetiam nec patuit facilior via: sed quà nec Herculi nec Annibali, imo nec vlli antea duci transitus fuit. Nam per Ebrodunensium fatalem Romanorum coloniam, in eum (qui Argenteriæ ab incolis dicitur) collem itum est. Nec defuere monticolæ barbari, qui angustias obstruere tentarint. Sed extemplo repressi, primas nostrorū vires sensere. Adde montium radices ab hostibus vndequaq; obsessas. At vbi ventum est in editū sublimiore colle Rupisparueriæ oppidum, quod Dura, ab alpibus sese proripiens, præterlabitur: ingens Italia, quinimo & pleni hostiū insidiis agri patuere. Prosper tamen Columna, qui missa, à pontifice maximo quingentorum & mille equitum, auxilia ducebat, eaq; loca tutanda susceperat, nostros nec adhuc alpes ingressos ratus, ad villam Francam (quod in alpium conspectu oppidum est) se receperat. Vbi dum vino indulget, à Pallicio, Aubiniaco, Imbercurto ac Boiardo interceptus, suis aut cæsis aut captis, tentus est: nec prosperam sibi fortunam arrisisse, nec se firmam aduersus Francos columnam, Gallosq; se vigilantiores prudentiæ oculos, aut robur inter alpes minime amisisse, sua iactura temerarius cognouit. E contrario, nostri optimis auspiciis Italiā petisse, sibi pollicebantur: vbi & fracta Romanorū columna, simul & prosperitas ad se migrarat, vtq; insignem Franco nomine gentē primo congressu liberarant, reliquum quod Franci iuris esset, ab hostili tyrannide vendicaturos magnanimiter sperare ceperunt. Accreuit hæc haud temeraria spes, ex hostiū fuga: quibus vbi Columnæ infelicitas nunciata est, timidi magnis itineribus Mediolanum profugere. At ne insalutati abirent, Claietæ nothus, Borbonicæ tribunus centurię à Saluciis Padum vsq; multis occisis persequutus est. Et rediens Borboniū in suam traxit sententiam: quò antea quàm hostes sociis, qui Mediolani erant, iungerentur, semipalantes trepidosq; totis copiis adoriretur. Sed Francisco aliter visum, ne (si fessus alpinis ærumnis miles præcipitatus pugnā obiret) intolerabili oneri inutilis succumberet. Nec satis compertum esse an socii obuiam fugientibus veniant. Hinc verendum, ne simul in insidias, pugnam recentem, & nouo iuuamine superbum hostem, semiexpugnatę immergantur acies. Quòd si inimicorum vires sociorum auxiliis interea crescant: sibi etiam Sabatenses, Genuenses Venetiq; auxiliares aderunt, & robur suo militi augebitur. Et gloria ingentior erit, integrum quàm (vt canit Iulius Cæsar) flumine diuisum, hostem fudisse. Ob id instructis ordinibus exercitum, leni incessu hostem postgredi imperat, perq; Taurinensem pertransiens agrum (vbi Carolus Sabatensiū dux inuictissimus, ac superexcelsus cum Philippo illustri fratre, Gebennensium comite, ac validissimis fidissimisq; auxiliis, bellicisq; machinis Christianissimo nepoti sese iunxere) Vercellas peruenit. Illic Aimardum Priam, auratum equitem cum Genuensi milite (qui & Alexandriam cum tota ipsius ditione regii iuris fecerant) placidissimus excepit: & Heluetiorū oratores, qui nonnullas pacis conditiones proponebant, audiit. Huiusq; rei summā Reuerio Sabatensi notho & Lautrecio comiti credidit. Dehinc Nouariensibus deditis, per Ticinensium Mediolanensiumq; fines præterlabens, ad tertium à Mediolano lapidē (vbi sanctę Brigidę villa, obscura prius, nunc satis diffamata visitur) castrametatus est. Et ecce firmata iurataq;, imo ingenti auro empta, cum Heluetiis pax nunciatur. Sed dum Carolus, Sabatensis princeps, Reuerius nothus & Lautrecius aurū hosti deferūt, visum est cardinali Sedunensi ac Maximiliano Sforcię, & Franciscū paci fidentē, facillime vinci, & aurū deferentes intercipi posse. Idcirco primarios Heluetiorū ad se vocāt: quib. concurrētibus, cardinalis in hæc verba intonuit.

Franciscus Alpes superat.

Prosper Colūna à pontifice cū auxiliis missus captus.

Heluetii fugiunt.

Carolus Sabatensium dux, & frater Philippus Gebennensis comes, Francisco bellici comites iunguntur.

Genuenses victi Alexandrinis auxiliantur.

Heluetii fictas pacis conditiones offerunt.

Nouaria capitur.

Sanctæ Brigidæ villa.

Heluetiorum perfidia.

Cap. 6. *Sedunēsis cardinalis ad Heluetios oratio.*

Qvod *oblatum à Samnitibus aurum Marcus Curius pertinacius repulerit, spreuerit, abiecerit, summæ frugalitati ac fortitudini ascripsit antiquitas. Ego vero milites longe prudentius, frugalius, fortiusq; illum egisse rerer, si extortum cautissimæ aurum patriæ, & militi, nil omnino sibi retinens, erogasset. Vno nempe facinore patriæ profuisset: munificentia militum animos auxisset, deuinxisset: proprii frugilitatem pectoris apertam fecisset, vanamq; hostium spem (qui venalem eius sinceritatem suspicabantur) vafro strategemate refellisset. Sic casta mulier à petulcis munera procis non respuit, & tamen ineptæ conceptam libidinis spem supplicibus abnegat: nec iniuria. Qui enim fortis, aut casti cordis decorem precio prostitui posse cupidius auet, æqua statera, & precio & stulto desyderio priuatur. Eia agite milites, cernite, conspicite pensitate, quid à vobis perpetuus obstinatissimè expostulat hostis. Amicitiam cupit vestram, quò intemeratam vestræ fidei gloriam incestuoso precio deuirginet. Societatem quæritat, quò vestri summam decoris perpetua nota inficiat. Victoriam mercatur, vt (quos armis inuictissimos nouit) auro superasse glorietur. Quid? tandem iniquum fœdus vobiscum ferire tentat, vt Insubria abeuntes, sociumq; amicū optimum, verumq; principem Maximilianum hunc illustrissimum, qui tot & tanta in vos remq; publicam nostram contulit beneficia, turpiter deserentes, eiusq; innoxium sanguinem vili prodentes pecunia, inglorii, perfidi, obscuri, infames, periuri fœdifragi, diis hominibusq; inuisi, patriam repetatis. Hæc est illa optatissima pax, hæc amicitia, hæc societas, hæc victoria, hoc deniq; fœdus. Ecce ignauior hostis celebres iam parat triumphos, quibus fidem, integritatem, puritatem, famam, virtutem, Heluetiæ magnitudinis captiuas ducat. Ecce pollicitum vobis aurum imprudentior mittit. Ecce vos rectitudine vendita, vecorditer abscessuros speculatur. Quid? ô milites, accipietis, an refutabitis perpetui dedecoris arrham, sanguinis Sforciadæ precium, & æternam patrio splendori nubem? Ha milites, sentiat hostis se in casses, quos tetendit, incidisse: vtq; incorruptos nec non inuiolatæ fidelitatis vestræ lenones vos intelligat, retortosq; in auctoris caput dolos ingemiscat, iubet aurum, illudq; ferentes detineri. Concurrite fortibus armis. Victoria enim in manu est: dum segnis nil metuit: dum paci fidens, vino somnoq; indulget: dum inermis armatos decipere tentat. Ecce sui regulis imperii gazas, dominia, agros, vrbes, opes, delitias huius excelsi principatus iam partitur, dispensat, pollicetur. Opprimite, ô milites, vanum rei non suæ datorem, confringite credulos rei alienæ fellatores. Presseritis etenim (cernite vt aurati phaleratiq; sint) omne Francorum robur: domueritis fastum, vim, superbiamq; perfregeritis: opes immensas, immortaleq; decus ac patriæ perpetuam laudem quæsieritis. Nec quod contra ius præstitistis iurisiurandum, mentes vestras fascinet. O milites, vt (quod sine æternæ salutis interitu seruari non potest, si patrum decretis credimus) minime seruandum sit: eam potius, quam huic superinclyto principi iurastis, fidem illibatam custodite, amicum defendite, inimicum obruite, insontem protegite, violatorem perdite, verum hunc principem sustinete, tyrannum propellite. Sic enim & magnificos (æquissimi principum censores) maiestatis vestræ titulos inconcussos ostendetis, nec temerandam aut triumphandam vestræ dignitatis amplitudinem hosti prostituetis.*

Hæc fatus: vbi nil nisi pugnam aurumq; famescere videt, nonnullos selegit, qui ferentes Carauasium (is enim locus numerandæ pecuniæ designatus fuerat) cum auro interciperent, captiuosq; adducerent. Reliquas autem copias triplici agmine, in patente campo, explicat. Vix semi prodierant, exploratoribus nostri patuere: qui celeri equo Francisco regi Borbonio ac Alenconio id renunciant. Iussere illico vniuersum exercitum armari. Tripartita etenim erat acies. Anteriori præerat Borbonius, mediæ Franciscus, posteriori Alenconius. Quos vbi Franciscus rectis ordinibus instructos videt, armatus insigni insidens equo, principibus militumq; tribunis in concionem aduocatis, in hanc orationem cœlestia labia aperuit.

Cap. 7. *Francisci regis ad milites oratio.*

Præcellens *ille artifex Euphranor, principes illustrissimi, vosq; fidissimi commilitones, dum Athenis bissenos pingeret deos, Neptunum Iouiali maiestate augustiorem fingere nequicquam nixus est: aperteq; intellexit, naturæ potentiam suarum æmulam virtutum artem sæpissime vincere, & fessam irrito labore dimittere. Nam etsi Thersiten peritior enutriat Chiron in Achilleas vires nunquam formabitur. Nec Æacidæ arma Patroclo victoriā, sed præceps fatum attulere. Quis pugnacis equi animos, aut dexteritatem Apuleii, aut Luciani aureis asinis magicos potus præbuisse contendat? Quippe nec arte, nec ingenii viribus reluctans, naturæ numen fixaq; lex immutari aut velli vsquam potest. Et tamen credula simplicitas,*

citas, nos eò deduxerat, milites, vt in insidiis fidem, in hoste amicitiam, in degeneribus animis nobilitatem, in fœdifragis fœdus, in barbaris societatem, in mortifero angue pacem, in crudelioribus vrsis clementiam, in hoste virtutem, Sedunensi asino sinceritatem, toto studio, cura, mente, sollicitudine, gratia, benemeritis, aureisq; (vt aiunt) montibus concreasse sperauerimus. Certe obstabat ingenitæ genius pertinaciæ. Ecce violata fide, spreta amicitia (reiecta nobilitate, rupta societate, temeratis fœderum sacris, deuorata clementia, stuprata synceritate (auro tamen dolis emuncto) insidians coluber, mortale virus expuit: vrsinus furor rabidos morsus acuit, ignauior asinus calcitrat, & barbara obstrepit violentia. Ecce iam portis erumpunt, & in nos pacis lilia, fidei columen, amicitiæ robur, æquitatis asylum, nobilitatis specimen, perfidi latrunculi feruntur. Credo equidem commilitones, deos Francæ maiestatis tutelares, hostilis vltores impietatis, id voluisse: quò ferunda inimico spongia cruore comprimeretur, ex qua purgata sanie vini manarent colores, quibus adamantinis æterni triumphi tabellis, viuax & indelebilis fama, perennes imperiturosq; titulos (non Protogenea aut Nealtea dextera, sed diuino pollice) vobis sculperet, pingeret. At ne credite milites, tales sine spinis rosas, aut hanc sine sudore gloriam vobis parari. Cernite, non gemmis, non auro, non obsequiis aut officiis, vobis offertur fortibus animis, inuictis pectoribus, interrita mente, indefessis manibus. Quinimo proprio cruore ipsaq; vita emenda ac quærenda est. Cernite commilitones, quibus cum hostibus nobis negocium sit: cum indomitis Heluetiorum vrsis, cum versutis hesperiarum vulpium dolis, cum mortiferis Insubrum cerastis, acrior mea sententia pugna est. Sed in vrsinas (ne mordeant) fauces chalcantum adhuc vobis superest, ô milites, quod Rauennatensi agro ex manantibus Hispano sanguine fontibus purissimis, atq; vndis miscuistis. Pendent vestris adhuc humeris vulpinæ exuuiæq; pristinæ cladis memores. Illas à vobis arceant, nec nobis Hercule progenitis victrix dextera deest, quæ rediuiuos post tot vulnera angues ab incunabulis superasse didicit. Ecce milites bellica Pallas adest, quæ vos prudentiæ cultores non inconsultam dolosamq; hostium turbam sacro ægide protegat. Ecce nobilis Mauors, ignobiles animos perosus, vestræq; ingenuitatis perpetuus protector, terribilis curru vobis aduolat. Ecce Iupiter optimus maximus scelerum vltor claro numine vobis arridet. Ecce Phœbus ipse Apollo coruscans radiis iubar in tenebrosos veritatis osores ardentissimè torquet. Quin potius, ecce milites, Christus saluator, æterni patris fortitudo, Christianissimis populis in fidei sacrorumq; temeratores fortes animos, solidum robur, infractasq; vires ministrat. Talibus freti auxiliis, vbi cœli vobis militant, quid vobis timendum est? falsi quid poterunt assertores (qui se correctores principum nobilitatisq; domitores iactant) in vos liligeræ coronæ perpetuos vindices, & inexpugnatas nobilitatis dexteras? anne menticiis titulis vos terrebũt? aut nunquã extinctæ vestræ virtutis laus improbitati illorum cessura est? ne sinite, ô milites, partã tot sudoribus Gallico nomini gloriam ab ingloria gente conculcari: ne sinite primos decores ab indecoris fœdari: ne sinite quæso celeberrima Francæ fidelitatis præconia abrogari, ne sinite tandem vestræ dignitatis apicem ab indignissimis latronibus obrui. O dii immortales, vicimus: iam fractos conspicio hostiles motus, video mediusfidius vos omnes hilares, lætos, iucundos, intrepidos, audentes, gestientes, Martemq; totis animis capescentes, affectantes, ardentes. Certe res in portu est. Concurrite, obruite, cædite, triumphate, spoliate, vt nec nuncius quidem hosti supersit.

Vix finierat, vniuersus exercitus, VIVAT REX, VIVAT REX, conclamauit. Ipse vero celerem caduceatorem (qui Sabatensi auunculo eiusq; comitibus, qui aurum deferebant, hostium dolos, vtq; obliquo itinere redeant nunciet) e vestigio destinauit, leniq; gradu vniuersos copiarum suarum cuneos obequitat, circuit, transcurrit, perscrutatur: nunc hũc, nunc illum placido vultu compellans, dextram insignem porrigens, salutans, amplectens, animans, ac plærosq; equestri munere donans. At vbi nil inordinatum aut labans vidit, in secundam (cui præerat) aciem se recepit. Et ecce ingenti fremitu signa canunt. Nã terribili impetu rugiens violentusq; hostis Borboniam aciem missilibus iaculisq; iam inuaserat. Extemplo bellicarum boatu machinarum, acriori clangore tubarum, magnanimis militum cohortationibus, alacrioribus sonipedum hinnitibus, sauciorum morientiumq; gemitibus, tumultuantibus ferientium ictibus, cœli, terræ, maria, miscentur. Puluere sulphureoq; fumo concreta nubes pugnantibus suauem spiritum, diemq; tenebrosa caligine fere aufert, & altiores effusi sanguinis amnes scaturiunt, manant, *Sanctæ Brigidæ pugna.*

ebulliunt. Primam in hostium frontem Borbonius eiusq; germanus, Franciscus Castallerandi dux, superinclytus Taillimontis princeps Latrimollij haud dedignãda progenies: Sancerrus comes, Imbercurtus, Moiacus, Destangius vicecomes, cuneati sese accingunt, fulminant, torquent. Quos omnis primæ aciei tum equitũ, tum peditum phalanx secuta, primo congressu hostẽ ad desperationem fere perterruere & in fugam vertere. Sed Borbonius (affectatam consulto hanc ab hoste fugam, quò nostros rupto ordine palantes in angustias deducerent, prudenti animo suspicans) suos subsistere coegit. Nec mora, conglomeratus hostis, non in Borbonios equites, sed Francorum Germanorumq; peditum (quos *lanschenetos* præsens ætas nuncupat) cuneos, vnde machinæ illos infestabant, impetum fecere: iactantes, improperantes, vociferantes, se cum rege quidem amicitiam fœdusq; iniisse, quo *lanschenetos* prima acie desertos interimendos proderet, destitueret, & ob id se candidulas cruces pro pectore gestare, vt amicos regis esse palã facerẽt. Hoc perditorũ murmure (etsi Borbonius pro virili adiuraret, hortareturq;, ne tam improbe ignauiterq; hosti succumberent, aut simplicius crederent) perculsi tamen tum Germani, tum Galli pedites, imo & maxima equitum pars, cedere & ad fugã spectare cœpit. Eo insultu Franciscus Castellerãdus dux, & plæriq; alii proceres ab hostibus circunuenti, strennue pugnantes cæsi sunt. Id conspiciens Franciscus secunda acie (Boisiaco Castillonoq; illustribus viris credita) cũ nonnullis è fidioribus aulicis in anteriorẽ Germanorũ peditũ ordinem aduolauit: Ecquid, inquiens, amici quis pauor? quæ ignauia aut trepidatio vos inuasit? hæc ne est pollicita amico regi fides? Ecce ego ipse vobiscum aut moriturus, aut superaturus hostem adueni. Ne credite inimici versutiæ, qui nil præterquã mentiri fideq; frangere didicit. Videbitis an ego vestri sanguinis sim proditor. Sequimini præeũtẽ, quem aperto argumẽto nil in vos, fidemq; vestrã conspirasse iam perspicere fas est. Hęc fatus, equo desiliens, pediti (qui proximus forte fuit) hastam extorsit, & medios in hostes magnanimus, frendens, concutiens, sternens, obruens, conculcans, occidẽs, diuellens, rumpens, dissipans, sese immersit. Sensere protinus nostri Iouis iras, fulminãtesq; lacer tos inimici. Nostri vero tam præsentissimo numine conciti, resumptis animis exutoque falso suggestæ proditionis metu, ducentem deum secuti, acriorem pugnã instaurauere. Pluunt grandinibus crebriores sagittæ, ignitiq; tormentis excussi lapides. Tanta vndiq; clades, tam atrox iniuria, tã obstinatæ mentes, tã insculpta mediis cordibus odia, vt nec canentia receptui signa vtrã gentem pugna auellere potuerint. Quinetiã nec demerso in ceruleas occiduę Æthiopis vndas Apolline (quãdiu bicornis Delia vmbrosum fulgorẽ præbuit) intempestã vsq; noctẽ pertinacissime dimicatum est. At vbi omne cœli lumẽ in tenebras versum est, nõ in castra aut tẽtoria abiere, sed eo ipso, quo nox eos cœperat, loco vtriq; populi armati, ipsiq; equites equis insidentes pernoctauere. Hic mira constantia, inaudita prudentia, admirabilis strennuitas, inuincibilis patientia, celebrandaq; plusquam Mæonio alite fortitudo ac cœlestis Francisci virtus apparuere: qui etsi tantm belli molem, tot sudores, totq; hostium (qui in ipsum vnum sæpissime concurrerant) violentissimos insultus indefessus, perdiusq; sustinuerat: peditum tamen inter excubias fere pernoctauit, nec (cui paululum se dedit) nisi armatus, curulisq; machinæ temoni accumbens, quietem cœpit. Idem Borbonius, Alenconius, ac cæteri heroes eius exemplo tracti fecere.

Franciscus Castellerandi dux, cũ plerisque procerib. occiditur.

Vide Francisci regis egregium facinus.

Crudelis pugna.

Postera Phœbeos splendens aurora iugales
Iunxerat, eoas vix pandens rosida portas:

Die secũdo pugna crudior instauratur.

Ecce in furentia Martis studia proni, Franciscus rex, Borboniusq; primã aciem in hostẽ concitauere: quem non segnem, non somnolentũ, non victum, nõ fractum, nõ deniq; pauentẽ, sed recentem, rebellem, pertinacẽ, pugnamq; horrendo clamore cientẽ inuenere. Crudior instauratur cædes, asperior consurgit tumultus, acrior exoritur vis, languentum, & morientiũ gemitus, planctusq; imis ducti pectoribus crebrescunt. Nulla pietatis: nulla amicitiæ, nulla pacis vestigia. Efferi ambo exercitus, aut mortẽ, aut victoriã appetunt. Illa plærosq; occupat: hæc incerta spe vtrosq; pascit. Dilatæ spei fastidiit Franciscus, vtq; leo senæ stimulatus verbere caudæ in den-

Frãcisci regis vehemens exclamatio.

denſiſſimos prorūpens hoſtes, exclamauit: Gloriabitur ergo hoſtilis peruicacia (vltra Acheloi vires) trinā ſuſtinuiſſe oppugnationem? fregimus pluſquam humanā eius primi congreſſus audaciam, ſuſtinuimus ſerpentinos (dū tortuoſo irrepſit calle ſeditioniſq; virus in nos euomuit) eius dolos, ecce taurino tādē robori fidens adhuc viciſſe ſperat. Adeſte, ô ſocii, dementis extremæq; ſuperbiæ hæc cornua trunca hoſtiū fronte reuellamus. Hæc ſimul dum iratus intonuit, quicquid obuiū conſpicit, deturbat: compactas haſtarum ſiluas infringit: ſtrictos aperit cuneos: ſauciorū aceruis ingentes campos ſternit, quem Borbonius totaq; acies, infenſis animis ſecuti, ad primū lapidē hoſtē inſigni ſtrage cedere coegerūt. Id Sedunenſis Cardinalis, & Iohannes Galleacius vicecomes conſpicientes (vbi fruſtra ſiſtere & pugnā integrare nixi ſunt) ignaui præpetibus equis Mediolanum cum omni equitatu ſalutem fuga quęſiere. Illis abſcedentibus, reliqua acies bipartita anhelanti curſu pugna declinauit. Alteram, perſuaſo prius Franciſco, ne victum fugientemq; hoſtem præter regium decus ſequeretur, Borbonius totaq; eius phalanx proximā vſq; villā (cui Geuillæ nomen eſt) fugauere, illicq; inaniter latebras quæritantem, aut vulneribus laceram, aut ſuppoſitis flammis torrefactam deleuit. Alteram, quæ ſimulatis candidis crucibus ſecundam noſtrorum aciem pręterlabens, in poſtremi agminis, Alenconiiq; oculos inciderat, detectis dolis Alenconius inuaſit, fudit: fuſamq; perſequutus, ne nuncio quidem ſuperſtite extinxit. Sic victi, qui ſe inuictos gloriabantur. Sic domiti, qui principum domitores ſe iactuoſe prædicabant. Sic fracti fidei fractores. Sic rigidam nobilium ſubiere cenſuram, qui cenſores nobilium ſe inſcribebant, duo & viginti millia ex eis cæſa: ex noſtris duobus millibus deſideratis. At tamen adueniens illuſtris Aluianus, Veneti auxilii dux, plæroſq; è noſtris fugientes, qui victum Franciſcum nunciabant, offendit.

Aluiani cū Venetis auxiliis aduentus.

Quos aſperrime increpatos, pedem referre coegit: dicens, inuictum eſſe Franciſcum, quando ſua acies adhuc integra eſſet. Et inſtructo agmine, animatiſq; profugis, impune campos ſigna direxit.

Aluiani virtus.

Vbi hilari vultu victori Franciſco gratulatus, ſuæ tamen ſorti maledixit: quòd ſcilicet ea victoria ſe abſente contigiſſet. Sed innata id modeſtia dicebat Aluianus, vt qui externæ pugnæ celeri equo ſuos præcurrens adfuerat, & egregia virtute abſentis auxilii deſiderium ſuppleuerat, illincq; noctu ad ſuos reuertens, tam celeri greſſu exercitum duxit, vt anteaquam tuta adhuc eſſet victoria, à Laudenſi vrbe, quæ ad vigeſimum milliarium diſtabat, auxiliaris adfuerit. Laudauit (nil mirum) gratiſſimamq; habuit Franciſcus Aluiani militarem ſolertiam: & lautiſſime donatum amplexatumq; in Hiſpanos (qui pugna fugerant) citiſſime cum Venetis copiis mouere precatur. Paruit Aluianus. Sed dum properat, febre correptus, vniuerſæ carnis viam ingreſſus eſt. Indoluit amici ducis caſum Franciſcus. Sed natæ ei filiæ nuncius, qui à Iohanne Pariſio (vnico noſtræ ætatis Apelle) fictam effigiem ei attulit, hunc mœrorem abſterſit.

Nuncius primogenitæ natæ ad Franciſcum aduolat.

Iohannes Bariſius illuſtris, & alter Apelles, puellæ regiæ imaginem finxit.

At Mediolanenſes, vbi cladis nuncium accepere, e veſtigio legatos, qui regis iram frangant, mittunt. Quod etſi in iniquitatem perfidiamq; tam ſæpe recidiuis nullus veniæ patere debuiſſet locus: inuenere tamen victorem clementiſſimum, qui leuiter pecunia multatis omnem culpam remiſit. Et recepto fidelitatis ab eis iuramento, Aubigniacum vrbi præfecit, Nauarrumq; (quem carcere liberarat) ad oppugnandam arcem deſtinauit. Ipſe vero poſt aliquot dies Ticinum petiit: recte exit prouinciam Nauarrus. Licet enim arx inexpugnabilis videretur, tonantibus tamen tormentis, ſubterraneiſq; cuniculis fundamenta eius adeo concuſſit, vt iam tota labaret. Terruit Maximilianum Sforciam inſuperata vis, ac machinæ ineuitabilis nouitas. Hinc eſt, quòd Cardinalis Sedunenſis, & Iohannes Galleacius vicecomes ad Maximilianum Cæſarem abeuntes, auxilia propediem ſe adducturos promiſiſſent. Veritus tamen ne (ſi pertinacius expugnationē ſuſtineret expectaretq;) paternam captus ſubiret calamitatem, ad Franciſcum ſupplices dat litteras: quibus ſe cum arce (ſi eius gratiam victis etiam promereri licuerit) in regias manus venturum ſignificat.

Franciſci victoris clementia.

Anthonius de prato cancellarius.

Lectis litteris, Franciſcus Anthonio de prato (quem à primario Pariſii ſenatus præſide, ſui imperii pręſidiarcham (cancellarium noſtri vocant) virum omnigenæ peritiæ Apollinem, vbi primum regius apex ei ceſſit, creauerat) inſigni aulicorum comitato caterua illud

delegauit. Qui gentili trifolio omnem colubri maliciam fugans, illum dedita arce Ticinum ad regem Hercule fortunatior adduxit. Anguem nempe nisi interimens, ille nunquam vicit: hic vero colubrum hunc, lernea belua crudiorem, non modo superauit, sed posita feritate victaq; natura, mansuetum placidumq; inter lilia oblectari, & viuere coegit. Excepit serena fronte Maximilianum Franciscus, regiisq; muneribus onustum, & assignata ingenti annua pensione, Mortimario heroi in Gallias ducendum commisit. Eo abscedente, Franciscus Mediolanum petiit, triumphansq; vrbem ingressus, pristino decori restituit. Senatum, Iohanne à sylua præside constituto, ordinauit. Insubriamq; Monarchiam tam prudenter solidauit, vt & celebris victoriæ fœlicitas: regiæq; prudentiæ, & equitatis splendor vniuerso orbi illuxerint: ipsumq; Leonem pontificem maximum (qui eatenus Gallico nomini aduersari visus erat) adeo immutauerunt, vt supra Francisci amicitiam optauerit nihil. Eapropter ad eum dedit litteras: quibus se Bononiam venturum significabat: &, vt illuc proficisceretur, paternam accepturus benedictionem, obnixe orabat. Gratissimæ fuerunt Francisco pontificiæ litteræ, quas & per caduceatores tubis canentibus publicari, & vniuersos suæ clementiæ militantes, exequendis pontificiis mandatis in octauum diem præsto esse iussit. Interea (dum quisq; operi se accingit) Leoni se propediem venturum rescribit. Lætus pontifex properauit Bononiam: idem & Franciscus, religioso zelo tractus, exegit. Admissus ad apostolicum senatum magna sui stemmatis procerum cinctus corona, pronus pontificem adorauit: verumq; ecclesiæ filium his verbis est protestatus.

Maximilianus Sforcia cũ Mediolanensi arce deditur.

Francisci regis ad Leonẽ pontificem maximũ oratio.

Si pulsatus Epaphi iniuriis Phaëton Apollineos ortus (parentem difficili munere probaturus) visere aliquando meruit, eo iustius mea humilitas, beatissime pater, ad diuinitatis tuæ sydus (cui omnis cœlorum virtus creditur) decurrerit, vbi nulla iniuria, nulla generis suspitione simulata, vnicum te, verumq; genitorem, syncera fide confitetur. Et si ille Israel mentita venatione, paternam præripere potuit benedictionem: quanto meliori iure (pulsio Insubriæ tyranno) venatam Heluetii vrsi gloriam, tuæ sanctitati offerens, sacratiorem exposcere sanctificationem minime erubuerim? ecce sanctissime parens, nec precaria pelle sed inuictis armis, hæc dextra tegitur: quæ lapideos induratorum aceruos hostium, tuo culmini insidiantium profligare, & obruere queat. Ecce quam ecclesia genitrix tui conscia gustus hedinam simplicitatem, hunc primogenitum tuum offerre tibi iussit, filialemq; obedientiã prostratus, supplex, humilis, procumbens, deditus, deuotus sacrosanctæ magnitudini tuæ offero: ecce nectareũ catholicæ vnitatis & confessionis vinum, quo te summum in terris numen Christi eiusq; apostolorum vicarium veneror, confiteor & adoro, pura mente, sincero spiritu, integro pectore, toto corde, tuæ amplitudini lætus propino. Ecce fragrantis fidei vestimenta: quibus Franci reges semper ornati Christianissimos titulos à tua sede promeruere, nos cœlesti gratia largiente decorant. Benedicat igitur mihi anima tua, foueat filium paternitas: sanctificet deuotum sanctitas. Et dextera in te sperantes protegat & defendat. Sic loquentem miratus Leo: eiusq; diuinã prosperitatem: cœlestes vultus, æthereos oculos, mellitam facundiã: ingenii apicem obstupescens, in extasim raptus, diutius responsum distulit. Tandem dato paterno osculo, & lateri considere iusso arridens, silentium soluit.

CAP. 8.

Pontifex Frãcisco respondet & benedixit.

REM *æquam, tuæq; debitam serenitati, Christianissime ac dilectissime fili expostulas: qui tam benignum erga nos, sedemq; apostolicam te exhibeas. Quam igitur Abrahæ, Isaac, & Iacob dedit dominus benedictionem, tibi largiatur: diuinæ gratiæ ros tibi scaturiat: frumentum sinceritatis, vinum consolationis: oleumq; sanctificationis, in pinguedine frugalioris terræ tibi abundet: seruiant tibi populi: & adorent te tribus. Esto dominus regũ fratrum tuorũ, & incuruentur ante te filii matris tuæ ecclesiæ. Qui maledixerit tibi, sit maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Vxor tua, sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii tui sicut nouellæ oliuarum, in circuitu mensæ tuæ. Constitues eos principes super omnem terram, & videbis filios filiorum tuorum, pacem super Israel.* Hæc locutus, iterum dato osculo lętissimis vlnis amplexus est: ipsosq; omnes proceres paterna affectione excepit. Quid plura? aliquot dies apud pontificẽ Franciscus fuit, semper tã placide habitus, vt eo inscio ille ageret nihil. Quinetiã (vbi de pragmaticæ sanctionis dissidio transactũ est) Adrianum Boisiaci germanum, rem Francisco gratam facturus, inter cardinales retulit ipsumq; Franciscũ primariũ ecclesiæ filiũ, augustũq; declarauit.

Boisiaci germanus ordini cardinalium adscribitur.

rauit. Re sic apud pontificem & pientissime,& religiose gesta, Franciscus(relicto Borbonio Insubriis prorege)Gallias repetiit. Vbi,dum votis (quibus tenebatur) se solui cupit,mors Ferdinandi Aragonii Hispanorum regis ei nunciatur.

Ferdinandus, Aragonum et Hispanorum rex moritur.

Sed nec ea territus Maximilianus Cæsar, conflato ingenti exercitu (Sedunensi Cardinale id procurante)per Veronensem agrum Insubriam irrepsit. In temerarium hominem Borbonius, quantas ex præsidiis congerere potuit, copias duxit. Sed dum pugnæ impar se accingit,audiit Mediolanenses ad defectionem spirare.

Borbonius Mediolanenses ad Maximil. Cæsar. deficiẽtes, supplicio afficit.

Eapropter mutato consilio, Mediolanum regressus, conspiratorum nonnullos vltimo supplicio affecit: nonnullos in carcerem trusit. Sicq; in fide perstare vanam gentem compulit. Sed Maximilianus,abscedente Borbonio, factus elatior,in Mediolanensium agros peruenit,vrbemq; obsedit.

Maximilianus fugit.

Verum vbi audiit ab Heluetiis, qui post pugnam in Franci verba iurarant, auxilia Borbonio aduentare, timidus væcorsq; obsidionem soluit. Quem persequutus Borbonius, leuibus incursionibus innumeros ex Cæsarianis occidit. Sed ille finxit Vngariæ regem diem clausisse: regnumq; eius ad se spectare. Ob id mendax, inglorius,trepidus, se suis suffuratus, in penitiorem Germaniam recepit. Quem timidior sine duce exercitus pone sequutus, ab Insubria euanuit: Borbonius autem Mediolanum rediens, Lautrecium sibi suffectum vicarium Mediolanensi principatui relinquens: in Gallias properauit,& Chamberiaci Franciscum (qui illuc voto astrictus,pedes à Lugduno venerat) ipsumq; Carolum Sabatensium ducem offendit. Excepit lætissimus Borbonium Franciscus, votoq; solutus, Lugdunum: & illinc Turones venit. Ad quem à Carolo Austrio (ad quem Hispanorum imperium spectabat)oratores venere,orantes(quò firma inter reges pax ordiretur)vnigenitam Francisci Ludouicam,anniculam adhuc,suo regi futuram coniugem desponderi: vtq; omne diffidium, querelaq; tollatur, legatos Nomonum mittit: quò & à Carolo venturi sint legati, qui fœdus inter reges æternum feriant. Non distulit Franciscus legationẽ mittere, cuius principes fuere Boisiacus, Parisiensis præsul, & Iacobus Oliuerius, ex parlamenteis præsidibus. Conuenientibus ergo legatis,& de exposcitis nuptiis, & Parthenopeo ac Nauarræ regno transactum est. Ob id Franciscus sanctorum martyrum corpora,more regum repositurus,fœdusq; cum Rauasceno principis Austrii legato feriturus,Parisios venit: vbi pax (quæ solidissima sperabatur)inter reges iurata & proclamata est: pacis conditionibus parlamenteo in senatu lectis & auctoratis.

Cum Austrio nonum fœdus Franciscus fecit.

Quinetiam Franciscus & Austrius mutuos aureos torques alter alteri dedere. Carolus enim insignem aureo vellere,Franciscus vero diui Michaelis monile Carolo misit. Conuentum etiam fuerat vt Cameraci Franciscus Carolusq; conuenirent. Sed ille natiuo ingenio ductus(dum Franciscus se accingit)protensis velis Hispaniam petiit: magnum vanitatis argumentum exhibens.

Filia iterum Francisco nascitur. Delphini natiuitas.

Illusus Franciscus, Blesim Ambasiamq; cum grauida coniuge petiit: vbi nata est ei fœmina, cui Carlothæ nomen est. Illic fere annũ venationibus deditus,vbi nulla belli suspicio erat,exegit. Et ecce natus est Ambasiæ filius: quem dux Vrbini,Leonis pontificis nepos: & ad id legatus,publica læticia à sacris fontibus leuauit, Franciscumq; patris nomine appellauit.

Vrbini ducis nuptiæ.

Ipse vero dux,alterã ex natis comitis Bononiensis,vxorẽ duxit: quam, liberalissime à Francisco donatus,& lautissime habitus,in Italiam deduxit.

Franciscus Britanniã visit. Ludouica Frãcisci primogenita moritur.

Eo abeunte,Franciscus Britonum omnem principatum, cum coniuge visit. Sed interea Ludouica, eius primogenita ad superos migrauit. Eius mors à Boisiaco ei nunciata est. Gratias deo omnipotenti egit Franciscus,qui fructus sui primitias suscipere dignatus erat. Dehinc à Britonibus Parisios repetiit.

Initiãtur Delphini & regis Angli vnigenitæ nuptiæ.

Vbi legatos Angli regis,qui vnigenitam eorum regis filiam, Francisco Delphino coniugem offerebant, lætissimus excepit: celebratisq; hastiludiis,festiuisq; & lautissimis conuiuiis, ac pollicitis nuptiis, fœdus amicitiamq; cum eis percussit.

Maximilianus moritur.

Et ecce, dum lætiora sponsalia celebrantur, Maximilianus Cæsar diem clausisse nunciatur. Visum est Francisco legatos ad electores mittendos, qui Cæsarem meritum eligendum procurarent. Inter quos Iohannem Langheacum,regiarum supplicationum interpretem (requestarũ magistros nostri vocant)selegit,quem Ciceroniana pollentẽ facundia ad Bohemorũ & Hungariæ reges legauit. Pro virili regios iussus oratores exegere. Sed electores(ne-

ſcio quibus auſpiciis) Carolum Auſtrium elegere. Franciſcus vero dimiſſis Angliæ legatis, ſancti Germani in Laia arcem petiit: vbi natus eſt ei filius, cui Henrico nomen inditum eſt: quem Aurelianenſium ducem deſtinauit. Ilincq; abiens, Ambaſiam profectus, Pictonum vrbes, venationibus ocia pellens, lętiſſimas viſitauit. Vbi fere octimeſtri exacto, literas ab Anglo accepit: qui ſe eum videre, & coram alloqui maximopere deſiderare, ſignificabat. Ob id Pariſios Picardiamq; Franciſcus properauit: vbi tanto apparatu, tanto faſtu, tamq; triumphali pompa ambo reges, cum eorũ coniugibus, coiere, vt nulla vnquam ætas tam celebria feſta viderit aut audierit. Taceo munera innumera, taceo ſplendidiora conuiuia, quæ nullus hiſtoricæ apex exprimere poſſet. Tam iucunde inter ſe ludentibus regibus pax vniuerſa ſperari potuit: præcipue Carolo Auſtrio fœderi conſcripto. Dii velint vt hæ mentes vanis conſiliis nunquam varientur: & noſtris diebus

Regum Franciæ & Angliæ colloquium.

Aurea fœlici ſplendeſcant tempora vultu.

At vbi reges fere inuiti vale dicto diſſoluti ſunt, Anglus patriam repetiit: vbi Auſtrium iterum ad ſe venientem feſtiuus recepit. Franciſcus vero Pariſios & ſanctum Germanum in Laia venit, vbi Auguſta fœminam ei peperit: quam Venetorum legatus à ſacris fontibus leuatam Magdalenam nominauit. Hæc Franciſcus ante ſextum imperii ſui annum fœliciſſime geſſit.

Iterum fœmina Franciſco naſcitur.

FINIS.


P. FAVSTI ANDRELINI FOROLIVENSIS POETÆ LAVREATI AC REGII IN AMPLISSIMO gymnaſio Pariſienſi oratoriam ac poëticam artem profitentis, in Gallicas hiſtorias ab eruditiſſimo Roberto Gaguino editas, Carmen.

Vt nitidos totum radios diffundit in orbem,
Cum titan puro ſplendidus axe micat:
Hiſtoriis ſic Galla tuis monumenta relucent
Exculte ac breuibus clare Roberte ſonis.
Grandia milleno quis tædia voluerit anno
Quæ rudis immenſo codice maſſa parit?
Gallia quàm debet regalibus inclyta geſtis,
Tam debent ſcriptis regia geſta tuis.

ERAS-



INDEX
IN ROBERTI GAGVINI
FRANCIAM, DVPLICI NVMERO DE-
SCRIPTVS, QVORVM PRIOR PAGI-
nam, posterior versum significat.



FINIS.



